

*Archivum  
Rákócziánum*



*II. Rákóczi Ferenc  
Meditációi*

*Balassi Kiadó*

# *II. Rákóczi Ferenc Meditációi*

Az *Archivum Rákóczianum* sorozat legújabb kötete nyomtatásban még soha meg nem jelent Rákóczi-műveket ad közre, a törökországi száműzetésben keletkezett, de mindenkorán kéziratban maradt Szentírásról szóló *Meditációkat*. A mű két nyelven készült, latinul Mózes öt könyvéhez fűzött a fejedelem megjegyzésekkel, franciául csak az első négy könyvhöz írta meg kommentárjait. A jelen kiadás – terjedelmi okokból – nem közli a művek magyar fordítását, csak a kéziratok alapján helyreállított hiteles idegennyelvű szövegeket és ezek tartalmi összefoglalását, a tanulmányok azonban magyarul és franciául egyaránt olvashatók. A figurizmus teológiai irányzatához tartozó, az olvasóközönség számára első ízben hozzáérhetővé tett latin és francia szövegek teljesen új oldalról világítják meg a Rákóczi-életről, és új színnel gazdagítják a XVIII. századi teológiai gondolkodás magyarországi történetét. A vallásos elmélkedéssel ugyanis új műfaj jelent meg a fejedelem írásaiban 1717 tavaszán. A meditáció kiváló keretet biztosított számára, hogy a francia földön töltött évek során felerősödött janzenista inspirációt hasznosítsa ószövetségi kommentárjaiban. Nyíltan nem foglalt állást a janzenizmus mellett, sőt szövegmagyaráztában igyekezett összebekíteni a legellen tésebb teológiai felfogásokat, éppen ez a sokszínűség, a különféle hatások együttes jelenléte avatja nagyszabású teológiai művé a Szentírásról szóló *Meditációkat*.



BALASSI KIADÓ  
Budapest



II. RÁKÓCZI FERENC  
MEDITÁCIÓI

MEDITATIONES  
PRINCIPIS  
FRANCISCI II. RÁKÓCZI

MÉDITATIONS  
DU PRINCE  
FRANÇOIS II RÁKÓCZI

# ARCHIVUM RÁKÓCZIANUM

III. OSZTÁLY: ÍRÓK

II. RÁKÓCZI FERENC MŰVEI

V

SZERKESZTŐBIZOTTSÁG

HECKENAST GUSZTÁV, † HOPP LAJOS,

KOVÁCS ILONA, KÖPECZI BÉLA

ÉS R. VÁRKONYI ÁGNES

A SZERKESZTŐBIZOTTSÁG ELNÖKE

KÖPECZI BÉLA

SOROZATSZERKESZTŐK

† HOPP LAJOS ÉS R. VÁRKONYI ÁGNES

II. RÁKÓCZI FERENC

# MEDITÁCIÓI

A LATIN SZÖVEGET GONDOZTA  
ÉS JEGYZETELTE  
DÉRI BALÁZS

A FRANCIA SZÖVEGET GONDOZTA  
ÉS JEGYZETELTE  
KOVÁCS ILONA

A TARTALMI ÖSSZEFOGLALÓKAT  
KÉSZÍTETTE  
TÜSKÉS GÁBOR



BALASSI KIADÓ  
BUDAPEST, 1997

# ARCHIVUM RÁKÓCZIANUM

SERIES III: SCRIPTORES

ŒUVRES DE FRANÇOIS II RÁKÓCZI

V

*COMITÉ DE RÉDACTION*

GUSZTÁV HECKENAST, † LAJOS HOPP,  
ILONA KOVÁCS, BÉLA KÖPECZI  
ET ÁGNES R. VÁRKONYI

*PRÉSIDENT DU COMITÉ*  
BÉLA KÖPECZI

*RÉDACTEURS DE LA SÉRIE*  
† LAJOS HOPP ET ÁGNES R. VÁRKONYI

# MEDITATIONES

PRINCIPIS

FRANCISCI II. RÁKÓCZI

# MÉDITATIONS

DU PRINCE

FRANÇOIS II RÁKÓCZI

TEXTE LATIN ÉTABLI ET ANNOTÉ PAR  
BALÁZS DÉRI

TEXTE FRANÇAIS ÉTABLI ET ANNOTÉ PAR  
ILONA KOVÁCS

AVEC UNE ÉTUDE ET DES RÉSUMÉS DE  
GÁBOR TÜSKÉS



BALASSI KIADÓ  
BUDAPEST, 1997

KÉSZÜLT A MAGYAR TUDOMÁNYOS AKADÉMIA  
IRODALOMTUDOMÁNYI INTÉZETÉBEN

PAR LES SOINS DE L'INSTITUT D'ÉTUDES LITTÉRAIRES  
DE L'ACADEMIE DES SCIENCES DE HONGRIE

MEGJELENT

AZ OKTK „KULTURÁLIS HAGYOMÁNYAINK FELTÁRÁSA.  
NYILVÁNTARTÁSA ÉS KIADÁSA” KUTATÁSI FÓIRÁNY TÁMOGATÁSÁVAL

PUBLIÉ AVEC LE SOUTIEN DU PROGRAMME INTITULÉ  
« DÉCOUVERTE, ENREGISTREMENT ET PUBLICATION DU PATRIMOINE  
CULTUREL ET HISTORIQUE DE LA HONGRIE »

A II. RÁKÓCZI FERENC MEDITÁCIÓI CÍMŰ TANULMÁNYT ÍRTA  
TÜSKÉS GÁBOR


LEKTORÁLTA  
TÖRÖK JÓZSEF

A TANULMÁNYT FRANCIÁRA FORDÍTotta  
KÜRTŐS ANNAMÁRIA

A LATIN SZÖVEGET A KÉZIRATBÓL LEÍRTA  
ÉS A PÁRHAZAMOS HELYEK LISTÁJÁT ÖSSZEÁLLÍTotta  
DÉRI BALÁZS

A FRANCIA SZÖVEGET A KÉZIRATBÓL LEÍRTA  
SZERÉNYI SÁNDORNÉ

2004 JÚL 01.



262

2005 JÚL 25.

ISBN 963 506 153 6  
ISSN 1218-5183

© Balassi Kiadó, Budapest 1997  
© Déri Balázs, Kovács Ilona, Tüskés Gábor, 1997  
Printed in Hungary

## TARTALOMJEGYZÉK

MEDITATIONES PRINCIPIS FRANCISCI II. RÁKÓCZI	
MEDITATIONS DU PRINCE FRANÇOIS II RÁKÓCZI	9
Meditationes in forma Soliloquiorum super scripturam Sacram	11
Præambulum operis	11
Meditationes super Genesim	12
Meditationum Deo adjuvante inchoatarum in Rodosto die 14. Martii, Anno 1721. Continuatio per formam soliloquiorum super Exodum	111
Continuatio meditationum per formam soliloquiorum super Leviticum	183
Continuatio meditationum in forma soliloquiorum super Librum Numeri	251
Continuatio meditationum in forma soliloquiorum super Librum Deuteronomii	335
Meditations Du Prince Rakoczy Anni 1723	402
Meditations en forme de soliloques sur l'Ecriture Sainte	523
Preambule de l'ouvrage	523
Meditation sur la Genese	526
Suitte des meditations en forme de soliloques sur l'Exode	656
Continuation des meditations en forme de soliloques sur le Levitique	744
Continuation des meditations en forme de soliloques sur le Livre des Nombres	823
ÉTUDES	921
Rákóczi, auteur des méditations ( <i>Gábor Tüskés</i> )	921
La tradition textuelle des <i>Méditations</i> ( <i>Ilona Kovács</i> )	946
TANULMÁNYOK	959
A meditációiről Rákóczi ( <i>Tüskés Gábor</i> )	959
A Meditációk szöveghagyománya ( <i>Kovács Ilona</i> )	981
TARTALMI ÖSSZEGZÉSEK ( <i>Tüskés Gábor</i> )	991
Meditációk magányos beszélgetések formájában a Szentíásról	991
Meditációk a Teremtés könyvéről	991
Meditációk a Kivonulás könyvéről	994
Meditációk a Levíták könyvéről	997
Meditációk a Számok könyvéről	999
Meditációk a Második törvénykönyvről	1002
Az 1723. év elmélkedései	1005

MEDITATIONES  
PRINCIPIS  
FRANCISCI II. RÁKÓCZI

MÉDITATIONS  
DU PRINCE  
FRANÇOIS II RÁKÓCZI

## [1:] MEDITATIONES IN FORMA SOLILOQUIORUM SUPER SCRIPTURAM SACRAM

### PRÆAMBULUM OPERIS

O Deus infinitæ misericordiæ, qui me continuatis erga me miserationibus tuis in tantis temporalibus et spiritualibus persecutionibus peregrinantem conservare, protegere et alere dignaris, dum corpus meum te ita disponente ex infidelium beneficio pane quotidiano alitur, anima mea a te petit escam, nec nisi a te potest recipere panem sapidum et satianter. Ecce, secundum inchoaturus sum annum, a quo seposito calamo nulli fixæ materiæ incubui in meditationibus meis, exceptis illis, quas in Confessionibus meis secundum occurrientias subjectorum connotavi. Arguebar enim a quibusdam censoribus Soliloquiorum meorum pro diebus Adventus tui ante biennium conscriptorum, quod ambulem super me;<sup>a</sup> et propterea finitis quadragesimalibus meditationibus, quas durante<sup>b</sup> censura conscripseram, seposui calamum, et solummodo in lectionibus librorum spiritualium carpebam alimoniam.

Sed, o Domine, his quidem ali, sed nutritri vix sentio animam meam, vel enim eorum, quæ nota sunt, me tædet, vel somno correptus deficit in legendo. Esurit itaque anima mea, et quia se præteritis diebus, ut in Confessionibus meis recenseo, ad cibum sibi vel maxime appropriatum invitari sensit, nempe ad verbum tuum: Asum, Domine, loquere ad servum [2:] tuum,<sup>1</sup> da escam pauperi tuo, conforta enervatum, esurientem puerum tuum, neque enim panem petenti dabis scorpionem,<sup>2</sup> nec pulsanti<sup>3</sup> clausam tenebis januam. Respice ima cordis mei et vide nolle me loqui hominibus, sed tibi soli, nec ad hæc scribenda a sciolitate, curiositate, vanitate aut alias instruendi cupiditate invitari, sed ut scribendo loquar tibi cum majori attentione, et ut ex ordinatis, non ex confusis cogitationibus contextetur eloquium meum. Quodsi enim omni humana scientia ornatus essem et refertissima librorum copia non carerem quoque, a te peterem auxilium. Eo magis igitur petendum est mihi illud, dum me his et illis carere agnosco et profiteor.

Tota ergo hæc operis mei series quodsi ex tuis loqueliis constiterit, bona et sanæ doctrinæ Ecclesiæ tuæ conformis erit. Sed quis sum ego, ut præsumam de tua bonitate, et insipienti audacia correptus credam ita existinctum esse in me humanum spiritum, ut tuis ea quoque miscere nequeat, quæ sua sunt, quæ tamquam ingenii mei abortus sanæ doctrinæ contraria esse poterunt. Propterea timeo, et ecce, coram te, Deo meo trino et uno et coram facie totius Ecclesiæ tuæ militantis et triumphantis, cui me unitum esse cupio et subjectum agnosco, protestor me his, quæ quandoque aut scripsi aut scripturus sum in vita mea, nolle doctrinæ ejus receptæ aut recipiendæ, scriptis sanctorum patrum et receptorum conciliariorum statutis contrariari aut dissentire, sed prævie retractare, revocare et tamquam non dicta annihilare illa, quæ (in meo ex antecedentibus et subsequentibus conciliato sensu) illis contraria reperirentur.

<sup>a</sup> *Quod ambulem super me* (cf. Ms. fr.: *de ce que je m'elevois au dessus de ma portée*)

<sup>b</sup> *durante* (fere ut præp.) *censura* (cf. Ms. fr.: *pendant le temps de la critique*)

<sup>1</sup> Cf. 1 Reg. 3,10.

<sup>2</sup> Cf. Luc. 11,11–12.

<sup>3</sup> Cf. Luc. 11,10; Matth. 7,8.

Ex hac sincera protestatione peracta, ecce, Deus, Creator meus, ecce, statuo tenebras meas coram lumine tuo, afferro insipientiam meam coram sapientia tua, exhibeo frigiditatem cordis mei, ut recipiam ardorem charitatis tuæ; præsento spiritum meum per se tantis tenebris circumfusum, tot erroribus obnoxium Spiritui tuo. Pono denique figuramentum coram Plasmatore suo. Benedicaris, lauderis et exalteris, o Deus, ab omnibus sanctis et ab omnibus creaturis tuis pro omnibus mihi præstitis gratias et singulariter pro hac, quod mihi voluntatem dederis amandi te et in lumine tuo quærendi lumen. Sentio enim, et vere sentio, quod nihil me ita satiet, nec quid ita delectet, prout verbum tuum. Propterea Scriptura tua Sacra erit deinceps objectum meditationum mearum.

Fac igitur, o Domine, ne decipiar a spiritu erroris et mendacii, ne extollar a spiritu vanitatis et vanæ gloriæ, nec deficiam [3:] in ariditatibus, quas vel tu, Domine, vel te permittente Temptator immiserit mihi, nec ab hoc opere ullo umquam tempore avellar per dissipationes status mei! Tu scis, Domine, quod nullius opinioni contrariari intendam illis, quæ prolatus sum, nec velle pro melioribus statuere illa, quæ scripturus sum, illis, quæ scripta sunt. Deest mihi librorum copia, desunt consiliarii, consultores aut directores; suppleat igitur bonitas tua, quæso, hoc, quod deest mihi, cum nemo melior interpres verborum tuorum esse possit, quam sapientia tua, quæ illa hominibus dictavit. Reliquisti Ecclesiæ tuæ immensum hunc thesaurum et in illo te adjuvante quisquis vult ac petit, sibi convenientia reperit. Hoc sacrosanctum verbum tuum lac est infantibus, cibus et nutrimentum solidum fortibus.<sup>1</sup> Da,<sup>a</sup> quæso, quod et quantum convenit mihi secundum mensuram gratiarum, quas destinasti mihi, indigno pulveri terræ!

His a te humiliter, sed numquam sufficienter petitis audacter accingo me operi, quod te inspirante me suscipere credo et sentio. Rege mentem,<sup>b</sup> refrena intellectum, adjuva, coerce memoriam, inflamma voluntatem, duc calatum secundum sanctissimam voluntatem tuam! Sit tibi gloria ex omnibus, quæ bona fuerint, sit mihi confusio ex illis, si quæ me nolente propria mea surrepserint, quæ tamen etiamsi ignorantiae meæ fetus fuerint, bonæ voluntatis meæ erga te, Deus meus, sint indicia! Animam meam nutrire, tempus gloriæ tuæ impendere cupio; finis quippe aliquem ædificandi aut docendi multum indirectus est, cum hoc munus postremum non sit meæ vocationis. Dum ergo me tibi, o supremum bonum, integre trado, quæ facturus, cogitaturus aut scripturus sum, tibi soli dico et dedico.<sup>c</sup>

## [5:] MEDITATIONES SUPER GENESIM

### SUPER CAPUT I.

O Sapientia æterna, te manifestante agnovi alias esse in Scripturis tuis Veteris Testamenti veritatum futurarum, alias eventuum figuras, ita nimurum, ut primo illa, quæ futura, et demum, quomodo futura sint, adumbrentur et designentur, et pro

<sup>a</sup> da sc. mihi (cf. Ms. fr.: *donnez moy*)

<sup>b</sup> mentem etc. sc. meam etc. (cf. Ms. fr.: *mon esprit* etc.)

<sup>c</sup> [4:] pagina vacua

<sup>1</sup> Cf. 1 Cor. 3,2.

horum contextu formando rerum eventus et temporum historias referre oportuit. Hinc moralia ad regulandam vitam electorum tuorum subjungere, prophetica autem ad alendam spem illorum ac fidem fulciendam adjungere quodammodo necesse fuit. Unde differentes sensus mystici, litterales ac spirituales exoriuntur.

Propterea dignaris mihi in memoriam revocare illa, ad quæ in primis meis meditationibus mentem meam elevare dignatus fueras, et ecce, in exordio Scripturæ tuæ Sacrae, in historia nempe creationis universi imprimis reperio figuræ omnium veritatum expressas, quas pro docendo genere humano et pro ducendo illo ad finem creationis suæ instituere ac tandem revelare voluisti. Et ex hoc fine sapientiæ tuæ factum fuisse credo, quod creationem universi, quam unico verbo perficere potuit, septem dierum spatio et, ut humanitus loquar, labore operata est. Mille anni quippe tamquam dies una<sup>1</sup> in conspectu tuo, et hinc patebit dierum septimanam millenniariorum dierum fuisse figuram, qui a lapsu primi parentis suum sumpsere exordium.

(1) Posteaquam ergo cælum et terram creasses, o Deus, (2) terra erat inanis et vacua et tenebræ erant super faciem abyssi. Ecce, figura primi millennarii mundi. Quid enim magis inane, quid magis vacuum corde humano post lapsum considerato? Quæ tenebræ majores tenebris per peccatum offuscati intellectus ejus? Quæ abyssus profundior hoc eodem intellectu, in quo consistebat [6:] imago Dei Creatoris? Et hinc vere abyssus est. Exprimitur in textu: Spiritus Domini ferebatur super aquas. Profecto non super terram inanem et vacuam, quæ cordis humani typus fuerat et a quo Spiritus Dei per lapsum recesserat. Elementa porro aquæ, super quas Spiritus Dei ferebatur, lacrimæ pænitentiæ et doloris præfigurabantur.<sup>a</sup>

(3) O Summum Bonum, quantus est bonitatis tuæ effectus! Vix creasti terram hanc inanem et vacuam tenebrisque circumfusam, dixisti: Fiat lux! Vix expulisti Adam peccatorem per agnitionem peccati, lucem creavit in illo misericordia tua, et facta est lux per pænitentiam, (4) quam tu, Deus, bonam esse videns separasti lucem a tenebris, demonstrans in cordibus patriarcharum ab Adam descendenterum (semen<sup>b</sup> nempe, per quod caput Serpentis conterendum<sup>2</sup> erat) creatam hanc lucem separandam fore a tenebris ceterorum hominum, qui primo hoc millennario in via carnis ambulaverant. (5) Appellasti, Deus, lucem diem et tenebras noctem, et ecce, distinctionis filiorum Dei a filiabus et filiis hominum figuræ, ex quibus consistebat primus dies creationis.

Secundus per constitutionem firmamenti et separationem aquarum ab aquis inchoatur. Et ecce, Noe<sup>3</sup> cum exiguo justorum numero tamquam firmamentum inter aquas primum diluvii, postmodum semen ejus in Sem inter gentes tamquam aquas terram operientes immobiliter persistere video. O semen justi Sem a patre benedictum, quanta firmitate subsistis medium inter sem[en]<sup>c</sup> Cham et Japhet! Quod aquis supra et infra firmamentum separatis (7) designabatur, (8) hoc porro firmamentum cælum appellasti, Domine, et quid dignius, cum fuerit sedes Hominis Dei ex hoc semine nascituri. Et ecce, secundus dies nascentis et adolescentis in secundo millennario mundi sic completus est.

<sup>a</sup> Nota structuram sententiæ confusam.

<sup>b</sup> Sic!

<sup>c</sup> Correxit *semen ex Sem*

<sup>1</sup> Cf. 2 Petr. 3,8.

<sup>2</sup> Cf. Gen. 3,15.

<sup>3</sup> Cf. Gen. 6–9.

(9) Congregasti aquas, Deus, die tertia in locum unum, et ecce, tertio millennario descendunt gentes tamquam aquæ in campum Sennaar,<sup>1</sup> et apparuit arida. (10) Vocabasti aridam terram congregationesque aquarum maria. Quam viva est hæc imago veritatum, quæ subsecutæ sunt! Hoc benedictum semen Sem a patre Noemo<sup>a</sup> erat tamquam firmamentum, quod in æternum subsistere debuit, sed non obstante hoc decreto adhuc tamquam arida terra fuerat, et tamquam portio terræ respectu maris circumdantis illam apparebat inter gentes; et hanc aridam appellasti, Domine, terram in Abrahamo,<sup>2</sup> cum ad initium tertii millennarii vocasti illum, et per fidem, quam dedisti illi, formasti in terram capacem promissionis tuæ.

Jusseras primo, (11) ut [7:] germinet terra elementaris herbam virentem et facientem semen, et Abraham quoque tamquam terra tua germinavit Ismael veluti herbam virentem, facientem semen, sed non producentem fructum. Jussisti secundo, ut terra produceret et lignum pomiferum faciens fructum juxta genus suum, cuius semen sit in semet ipso super terram. Adorandus es, Domine, in hac excellenti quoque figura veritatis in Abrahamo tamquam terra gratiarum tuarum adimpletæ. Fructificare fecit ille semen fidei, quod dedisti illi, et ecce, germinat et lignum et non solum semen, prout Ismael, sed et fructum afferentem. Et ecce, exsurgit e femore illius in Isaac et Jacob populus ille electus juxta genus suum, et semen ejus est in semet ipso. Isaac enim et Jacob propterea quæsiere Rebeccam et filias Laban,<sup>3</sup> et postmodum matrimonium gentium exterarum lege vetitum fuit, ut semen fructus arboris tuæ et pomi ejus sit in semet ipso.

(12) Et sic protulit terra herbam virentem lignumque faciens fructum tertia die mundi et tertio millennario ejus ætatis, donec tandem quarta die dixisti: Fiant luminaria in firmamento cæli, et dividant diem ac noctem. En, adoro te, veritatem hujus figuræ, luminare majus, quod in firmamento cæli, in semine nempe Sem ex fructu fidei Abrahæ factum, non creatum, sed factum, id est, eductum es, et vere divisisti diem ac noctem, Synagogam et Ecclesiam. Revereor et vos, luminaria cæli hujus, quæ posita estis, ut sitis in signa et tempora, (15) ut luceatis in firmamento cæli, et illuminetis terram. (16) Fecisti, Deus, (repeto cum Scriptura), duo luminaria magna: luminare majus, ut præcesset diei, luminare minus, ut præcesset nocti, et stellas.

Adoro, inquam, te, lumen de lumine, Deus de Deo vero,<sup>4</sup> qui in hoc millennario quarto in firmamento seminis, quod in æternum manet, factus es homo, et per communicationem luminis tui factum est luminare minus, Ecclesia tua, et per eandem communicationem gratiarum tuarum facta sunt luminaria apostolorum, ut sint in signa, martyrum et sanctorum triumphantis Ecclesiæ, ut sint in tempora, electorum et doctorum, ut sint in dies, et ex his componantur anni fidelium tuorum super terram militantis Ecclesiæ. (17) Hæc luminaria posuisti in firmamento cæli, ut lacent super terram (18) et præcessent diei ac nocti, ut dividerent lucem a tenebris, id est veritatem evangelii a tenebris legis veteris.

Quantum est hoc opus [8:] diei quartæ, quo<d><sup>b</sup> diem ac noctem divisisti! Jam porro die secunda facta luce diviseras eam a tenebris, separaveras semen justorum

<sup>a</sup> Sic!

<sup>b</sup> Delevit -d

<sup>1</sup> Cf. Gen. 11,2.

<sup>2</sup> Cf. Gen. 12 sqq.

<sup>3</sup> Cf. Gen. 28 sqq.

<sup>4</sup> Cf. Symbolum Nicæno-Constantinopolitanum (Credo).

seu filiorum Dei a filiis hominum, sed quarta solummodo die nox et dies separatae sunt per constitutionem luminarium. Quid opus est explicacione? Nonnisi cæcos latere potest veritatis hujus figura. Nox erat Synagoga, a qua, uti dixi, dies Ecclesiæ separata est, sed habet et Ecclesia dies ac noctes, et ipsa Ecclesia luminare est. Luminare minus est Ecclesia triumphans, ut luceat nocti Ecclesiæ militantis et patientis, sed hæc et illa illuminantur per luminare majus, solem nempe justitiae,<sup>1</sup> prout nox naturalis illuminatur per lunam et per stellas non per proprium, sed per participantum lumen.

Hoc lumine sic instituto, ecce, die quinta (20) producunt aquæ reptile animæ viventis, volatile super terram. Et dum considero millennarios nativitatem Christi subsequentes, ecce, reperio reptilia per aquam baptismatis fieri in animam viventem. Produxere aquæ volatile quoque super terram sub firmamento cæli, profecto et aquæ baptismatis duas species: vocatorum et electorum generant. Illi repunt in substantia, ex qua educti sunt, hi ex substantia originis suæ evolant super terram quidem, sed tamen sub firmamento cæli. (21) Cete tandem grandia, magni illi imperatores Christiani sic creata aut producta sunt, et demum terra quoque suas produxit bestias, jumenta et reptilia in tot species haereseum, cum reperiam (22) te, Creatorem illorum, quæ ex aquis producta sunt, eis benedixisse, non autem animantibus, quæ terra produxit.

His peractis repræsentat mihi Scriptura (26) edictum illud de faciendo homine ad imaginem et similitudinem tuam, o Deus, qui præsit universis creatis, et cuncta subsequentia hujus primi capituli ad hoc opus spectant. Audeamne dicere et hoc opus tuum realis creationis hominis figuram fuisse alicujus veritatis, cum Adam in perfectione sui status creatus imago tua, Creatoris sui fuerit? Sed quidem audeam, cum hec sit illa veritas, ad quam dilucidandam et realiter manifestandam facta fuerint omnia; nisi enim novus Adam<sup>2</sup> in mundum venisset, nec vetus Adam salvatus fuisse. Hic fuit ad imaginem et similitudinem Dei solummodo creatus, ille porro Deus ipse et homo fuit, non tantum imago et similitudo Dei. Quare igitur hæsitarem dicere veterem Adam figuram fuisse novi Adam, [9:] et diem ultimam creationis mundi fuisse figuram reparationis et quodammodo veræ recreationis totius naturæ hominis in fine temporum, quem tu, Deus, absconditum tenes in libro æternorum decretorum tuorum?

Sed cum hæc uberior in capite sequenti enucleanda occurrent, petita gratia tua hactenus tantummodo illarum veritatum demonstrandarum occurrit occasio, quæ subsequi debuerant a principio usque ad finem mundi, et harum figuræ ad vivum repræsentavere mihi dies creationis ejus. Quidquid demum in scripturis Veteris Testamenti occurret, concernet veritates, quibus quodammodo velut mediis hæc fieri oportuit, reparari nempe natura humana, ut ad verum finem creationis suæ perveniat homo.

O lumen Patris, Sapientia æterna, qui me indignum ad hæc contemplanda duxisti et mentem meam ad tam sublimia elevare dignatus es, respice infirmitatem meam, et da<sup>3</sup> gratiam, ut persistam in hoc opere, si hæc, quæ scribo, a te sunt, et cunctis

<sup>3</sup> da sc. mihi

<sup>1</sup> Cf. Mal. 4,2; hic de Christo.

<sup>2</sup> Cf. 1 Cor. 15,45.

diebus vitæ meæ per hæc tendam ad unionem tuam, donec pervenero ad te, unicum finem meum et bonum cordis mei! Amen!

## SUPER CAPUT 2.

Quam magnificata sunt opera tua, Domine!<sup>1</sup> Anima mea cognoscit ea nimis.<sup>2</sup> (1) Perfecisti cælum et terram et omnem ornatum eorum opere sex dierum. Et (2) die septimo requievisti ab omni opere, quod patraras. Complevisti opus tuum, Domine, circa creationis opus tamquam figuram et imaginem futurarum veritatum. Sed opus diei sextæ fors necdum de toto completum est, in quantum<sup>a</sup> concernit inductionem hominis in paradisum voluptatis, finem nempe suum finalem. Videtur mihi non carere mysterio, quod Scriptura in contextu primi capititis cunctis operibus dierum distincte recensitis creationem hominis tam perfuntorie describat. Sed nec paradi- sum illum voluptatis memorat, sed postquam te requievisse die septima rettulisset (3) et diem hunc te sanctificasse connotasset, reassumit creationem cæli sub nomine generationis; (4) et sic aggreditur postmodum descriptionem paradisi in subsequen- tibus referendo (5) te creasse, Domine, omne virgultum agri et herbam regionis, antequam germinasset, cum necdum pluerat [10:] Dominus Deus super terram et homo non erat, qui operaretur terram, (6) sed fons ascendebat e terra irrigans univer- sam superficiem terræ.

Nolo, Domine, sapientior apparere tot interpretibus Scripturarum, qui emphases illarum jam proprietati linguarum attribuunt, jam interpretibus ascribunt; credo ta- men illam fuisse bonitatem tuam erga Ecclesiam, ut siquidem verbum tuum et opera tua scripto constare volueris, et interpretes<sup>b</sup> illius ita illuminaveris, ut et illis, qui originales linguas ignorant, constet <et><sup>c</sup> sensus illorum, quæ sciri voluisti ab illis, qui famelicorum <ad><sup>d</sup> instar panem suum quotidianum<sup>3</sup> quærunt in Scripturis. Propterea versibus prædesignatis attentius ruminatis confirmor in opinione, quam rettuleram: caput præcedens primis versibus concludere respectu creationis elemen- torum, respectu quorum requievisse videris, et deum ordiri ea, quæ opus tuum figurarunt, respectu glorificationis et hominis et corporum, quæ pro illo creaveras, quibus peractis succedet sabbatum illud seu dies quietis, quam septimus dies crea- tionis designavit.

De cælo novo, de terra nova<sup>4</sup> loquor, quæ generabitur post dissolutionem elemen- torum nunc subsistentium, in quam inducetur novus Adam. Non tamen hæc reffero, ut præteream ea, quæ statum mundi hujus seu figuram ejus in versibus (4 et 5) repræsentarunt. Vere enim similis erat mundus ante adventum novi Adam terræ, prout hæc repræsentatur ante creationem veteris Adam. Omnes homines conserva- bat providentia tua gratiis suis communibus et spe redemptionis tamquam fonte

<sup>a</sup> Rectius: *quod concernit vel quo ad inductionem*

<sup>b</sup> Correxit *interpretes ex interpretibus*

<sup>c</sup> Delevit *et*

<sup>d</sup> Delevit *ad*

<sup>1</sup> Quam...: Ps. 91,6 et 103,24.

<sup>2</sup> Cf. Ps. 138,14.

<sup>3</sup> Cf. Luc. 11,3.

<sup>4</sup> Cf. Apoc. 21,1.

egrediente e terra et irrigante terram illam fidei electorum tuorum veteris testamenti, quia neandum pluerat Dominus Deus super terram. Non dicit Scriptura, sicut hactenus, simpliciter: Deus, sed adjungit: Dominus. Quamvis enim conveniat et Creatori dominatus, fors tamen hac proprietate dominatus hic annexa illum designat, cui tradenda erat omnis potestas.<sup>1</sup> Et profecto ille ipse est, qui ante passionem suam, antequam exaltatus fuisset, neandum pluerat super terram salutarem illam pluviam sanguinis sui, quæ fecundavit terram suam. Neandum erat antea homo, qui operatus esset eam modo efficaci.

Posteaquam Scriptura prædicta repetiisset, (7) refert de novo: Fecit igitur Dominus Deus hominem de limo terræ. Rettulerat jam in præcedenti capite V 27 succinete: Creavit Deus hominem ad imaginem suam, ad imaginem Dei creavit illum; sed hic et materiam designat, ex qua formavit illum, et modum, quo vivificavit illum.

[11:] O Domine, quam suave est mihi contemplari hæc arcana mysteriorum tuorum! Sed ecce, nescio proferre et exprimere sensum meum, ut eloquar illa, quæ de his cogito. Nollem enim distinguere opera ab intra personarum Divinitatis, scio enim et credo in stricto sensu totam creationem Sacrosanctæ Trinitati attribui deberem. Dicam tamen in tota hac repetitione operum Dei Scripturam per additionem ly<sup>a</sup> Dominus voluisse exprimere quodammodo particularem operationem Verbi (per quod Pater creavit) in formatione hominis, in plantatione paradisi, cum hæ fuerint principaliter figuræ abyssi illius mysteriorum, ad quam refertur totum opus creationis et œconomiæ adorandæ Dei. Et profecto quid aliud designavit formatio corporis Adam ex limo terræ (communi illa massa corporum), quam quod novi Adam corpus quoque ex communi generandorum corporum humanorum massa seu substantia formabitur. Communis doctrina est Ecclesiæ, quam et ego sequor cum omni humilitate, animam Adam creatam fuisse. Hic tamen dicitur tantummodo: Inspiravit in faciem ejus spiraculum vitæ, et factus est homo in animam viventem. Et quomodo potuit melius figurari incarnationis mysterium per obumbrationem et virtutem Spiritus Sancti peractum, cum et ipsa inspiratio Divinitatis unionem tam admirabili modo exprimat?

(8) Subsequitur hunc textum plantatio, non autem creatio, non formatio paradisi. Et hic est typus regni illius beati, quod Filius acquisivit sanguine suo, quod obtinebit complete post finem temporum, cum hactenus quoque nonnisi figura ejus est<sup>b</sup> veritas per regnum spirituale Christi revelata, cujuſ figura fuerat paradisus pro Adamo plantatus. Cælestem illum Jerusalem intelligo, quæ descendet de cælo,<sup>2</sup> cujus lumen et templum Deus est;<sup>3</sup> illam concernit descriptio hæc versuum (9. 10. 11. 12. 13. 14. 15), sed et manifestatae jam quoque veritati, regno nempe Christi spirituali applicabilis est. Plantavit hoc Pater per electionem decretorum æternorum a principio, rigavit hunc paradisum fluvius ille egrediens ex loco (10) voluptatis Patris, sanguis scilicet ex latere Filii ejus profusus, qui in omnes quattuor mundi partes inde dividitur tamquam in quattuor capita. (9) Lignum ad vescendum suave hujus paradisi est sacramentum altaris; arbor vitæ: crux Christi. Lignum porro scientiæ boni et mali Evangelium est, et ex hujus arboris figura vetitum erat Adamo comedere, cujus

<sup>a</sup> ly ut articulus

<sup>b</sup> Correxit ex et ?.

<sup>1</sup> Cf. Matth. 28,18.

<sup>2</sup> Cf. Apoc. 21,10.

<sup>3</sup> Cf. Apoc. 21,22–23.

576 111  
M.

fructus esus pro hominibus ex Spiritu per Spiritum renascendis, non pro [12:] carnis libus filii veteris Adam reservatus fuerat. (16. 17) Decreveras, Domine, formare Adam adjutorium simile sibi, sed antequam formasses illud, formatis cunctis animantibus terrae et omnibus volatilibus caeli (19) vocasti illa omnia, ut Adam nominaret illa, (20) appellavitque Adam nominibus suis cuncta animantia. Adae vero non reperiebatur adjutor similis ejus. Ecce, figura vocationis omnium gentium in Ecclesiam: sed necdum erat adjutor similis Adae.

(21) Quid factum proinde? Immisit Dominus Deus soporem in Adam, cumque obdormivisset, tulit unam de costis ejus. Miseras, o Pater aeternus, soporem in novum quoque Adam <(cujus filii generantur a Spiritu)> oportuit esse spiritualem, hanc><sup>a</sup> in cruce pendentem, nec prius latus ejus apertum, nisi postquam obdormivisset. (22) Costam ædificasti in mulierem, Deus, in mulierem corpoream, sed quia sponsam novi Adam (cujus filii generantur a Spiritu) oportuit esse spiritualem, hanc ædificasti ex sanguine, qui animam in se continet. (23) Et haec est non os ex ossibus tuis, sed spiritus a Spiritu tuo, per quem animatur Ecclesia, sponsa novi Adam, Filii tui. Haec est vera illa virago,<sup>1</sup> quoniam de viro dolorum<sup>2</sup> sumpta est. (24) Propter hanc descendens de caelo<sup>3</sup> dereliquit quodammodo Patrem novus ille Adam, et adhaesit huic sponsæ suæ et sunt vere duo in Spiritu uno.

Hæc sunt, o lumen cordis mei, Deus meus, quæ revelasti mihi in Scriptura de creatione mundi et de statu innocentiae primi hominis. Hæc est synopsis veritatum, quas figuraverant opera tua sex dierum. Absit a me velle querere figuram in prævaricatione Adami, quæ veritas fuit a te permissa et ab ipso libere patrata, quam quia futuram prævidisti, has figuræ in finem tuum ordinasti. Cetera, quæ subsequentur in Scripturis, prout jam dixi, credo esse figuræ ad implendas præcensitas veritates spectantes, pro quarum manifestatione exalta, anima mea, Deum, benedic illi, et omnia, quæ intra me sunt, nomini sancto ejus!<sup>4</sup>

### SUPER CAPUT 3.

Sæpe jam lapsus primorum parentum consideranti dignatus es, Domine, manifestare mihi quædam, quæ in Soliloquii meis rettuli, pro quibus hic renovata memoria gratias tibi refero, Domine. Sed illa [13:] non repeto, verum totum hoc caput historicum esse credens<sup>b</sup> respectu enarrationis lapsus primi hominis, omnia repræsentant abyssum illam judiciorum tuorum, qui non peccatum, sed præviso peccato ordinem horum, ut sic evenirent, contexisti.

Stupendum est statim ad initium hujus capititis (I<0>O)<sup>c</sup> legere: sed et Serpens callidior erat cunctis animantibus, quæ fecerat Dominus Deus. Qui dixit ad mulierem: Cur præcepit vobis Deus? Stupendum, inquam, serpentem nulla organizatione

<sup>a</sup> Delevit (*cujus filii generantur a Spiritu*) oportuit esse spiritualem, hanc (cf. inferius!)

<sup>b</sup> Nota structuram (cf. fr. gérondit)!

<sup>c</sup> Delevit O

<sup>1</sup> Cf. Gen. 2,23.

<sup>2</sup> Cf. Is. 53,3.

<sup>3</sup> Cf. Symbolum Nicæno-Constantinopolitanum.

<sup>4</sup> Cf. Ps. 102,1.

moderni corporis sui calliditatem et adhuc minus loquendi facultatem præ se ferentem sumpsisse Diabolum pro instrumento temptationum suarum, sed quamvis hæc mihi prima fronte stupenda appareant, bene considerata tamen dilucidantur. Oportet serpenti inesse calliditatem naturalem quoque, quod et exinde agnosco, quod Evangelium mihi jubeat esse prudentem sicut serpentem.<sup>1</sup> Nec mirum seu naturalistas seu ceteros homines illam ignorare, cum hoc animal in foraminibus terræ et petrarum latitans oculis hominum parum exponitur.

Quod porro loquela concernit, nonnisi fatuorum est dicere animalia suis carere loquelas seu ministerio vocis seu signorum aut motuum corporis prolatis, sed nos illam non intelligimus, nisi in illis animantibus, cum quibus quodammodo conversamur. Nec hanc tam perfecte intelligere possumus, prout Adam et Eva, quibus tu, Deus, prout jam legi, singulare super animantia dans<sup>a</sup> dominium, œconomiam et administrationem, non caruerunt modo se illis communicandi perfectius, quam nos. Quapropter perinde fuit Diabolo per quocumque animal Eam temptare, et huic cum illa modo naturæ et organizationi suæ conveniente colloqui.

Sed statu animalium et primorum hominum attentius considerato fors præsumptionis foret super hoc aliquid statuere. Considerans<sup>b</sup> tamen tunc omnia animalia homini famulantia ita quæsivisse illorum consortium, prout nunc canes videmus dominorum suorum quærere familiaritatem, serpens frondosa arborum et umbrosa dumeta fors <fors><sup>c</sup> et tunc amans se in silentio absque incommoditate ubique insinuans familiarior gratiorque esse potuit ceteris animantibus, prout nunc feles, canes aut quasdam aviculas vel exotica quandoque animalia esse videmus, quibus hodie dum frequenter Diabolus utitur ad horrenda persuadenda feminis et hominibus; et propterea ex hac familiaritate serpens aptior fuit ad formandam illam curiositatis [14:] quæstionem. Hujus generis quæstiones enim et suggestiones nec hodie aliter proponit Diabolus, nisi per familiares homines, qui amici vocantur; aut in otio, in quo plerumque ipsi Diabolo familiares reddimur, ipse nobis proponit illas.

O fallax ac seductivus loquendi modus: Cur præcepit Deus?, quoties me seduxisti, et hæc bona intentione scribentem omni momento seducere potes, nisi gratia tua, Deus, defenderit me. Hæc est loquela tua, o Serpens, in venis et in toto corpore hominis cupiditas, cuius filia est curiositas. Quid te homini suavius insinuat? Quid te callidius est, et quid sæpius proponere soles homini hac quæstione: Cur præcepit vobis Deus? Hæc est illa sanctissimis quoque monachis et eremitis, quidni mihi in tam periculo statu exposito metuenda quæstio, quæ monachorum et sanctorum institutorum regulas dilatat, Ecclesiæ statuta et conciliorum canones relaxat, et ipsas artas et asperas cœli vias applanat et edicto Salvatoris nostri contrarias reddit. Quoties difficultatem in credendo aliquo articulo fidei reperiens interrogavi: Cur præcepit hoc Deus? Quoties peccatum, et sæpe habituale, patrare volens salutarem remorsum prævie sentiens effrenis hanc quæstionem repetii, ut respondeatur ad meam quæstionem: Nequaquam morte moriemini?

O Domine, quam insipienter dixi veritates in hoc capite contentas figuræ non esse, cum ecce, demonstras mihi in exemplo Evæ memet ipsum et ferme omnes

<sup>a</sup> Nota structuram (recte: *te dante vel sim.*)

<sup>b</sup> Rectius: *considerando*

<sup>c</sup> Delevi *fors* (*delendum est?*)

<sup>1</sup> Cf. Matth. 10,16.

homines. Sed nec quid obest, quin hæc temptatio Evæ sit figura Ecclesiæ, quæ profecto numquam plus temptatur, quam per hanc quæstionem Serpentis a filiis cupiditatis. Quotquot hæresiarchæ fuere, semper hæc fuit eorum quæstio. Quotquot scioli Scripturarum interpres, falsi doctores aut casuistæ vias artas relaxant, primum omnium hoc quærunt: Cur præcepit vobis Deus? Et postmodum universalitate doctrinæ suæ et ab ipsa Ecclesia idem interrogant.

(2) Ecce, typus Ecclesiæ et in responso Evæ: De fructu lignorum, quæ sunt in paradiſo, vescimur, (3) de fructu vero ligni, quod est in medio paradiſi, præcepit nobis Deus, ne comederemus et ne tangeremus illud, ne forte moriamur. Non respondet Ecclesia, nec respondebit umquam ad hoc Cur, quia, sed sicut Eva præceptum edicit Dei, veritatem declarat, omne nequaquam Serpentis rejicit, non prout Eva corporea, quæ in silentio suo quidem Ecclesiam repræsentavit, sed non in peccaminosa sua actione. Fuerunt [15:] Adam et Eva duo in carne una, et ideo uno peccante facile ambo seducti sunt, sed quia Christus et Ecclesia sunt duo in Spiritu uno, impeccabiles et infallibiles sunt.

Dixi arborem hanc scientiæ boni et mali figuram fuisse Evangelii, nec nunc retrahabo. Prout enim Evæ, ita et Ecclesiæ vetitum est hanc arborem tangere aut de fructu ejus comedere. Comedere enim est rem comestibilem primo masticando conterere, deglutire et demum in aliam substantiam transmittere. Primum faciunt hæretici, qui arreptam Evangelii doctrinam masticant, deglutiunt et in aliam substantiam convertunt, in hæresi perseverantes nutrunt illa, quia hæc nova substantia convertitur illis in substantiam seu in dogmata hæresem suarum. Secundum patrant pseudochristiani et peccatores, qui masticant, deglutiunt, sed in secessum transmittunt, quia non perseverant in malo, nec masticata convertuntur in ipsis in falsa dogmata, ut perseverent, sed ut liberius peccent. Et sic comedendo fructum seu præcepta Evangelii morte moriuntur hi et illi.

(5) Continuatur figura temptationum Ecclesiæ ab hæreticis et dyscolis, filiis suis tamquam serpentibus. Hi sunt enim, qui dicunt: Scit enim Deus, quod in quocumque die comederitis ex eo, aperientur oculi vestri, et eritis sicut dii, scientes bonum et malum. Numquam tamen Ecclesia in hoc sensu comeditionis fructum Evangelii comedit, quamvis in suo sensu omnibus, quæ ex ore Dei procedunt,<sup>1</sup> alitur et nutritur.

(6) Vedit igitur mulier, quod bonum esset lignum ad vescendum et pulchrum oculis aspectuque delectabile, et tulit de fructu ejus et comedit deditque viro suo, qui coedit. Ecce, infelix consummatio peccati, ecce, fructus commorationis in temptatione. Legem prævaricantes Adam et Eva morte mortui sunt, nec igitur amplius repræsentant, quam mortem hominis et miseriam ejus per peccatum a Deo recedentis. Possidebatis ante peccatum summum bonum vestrum in Deo, et propterea divites fuistis; amisistis illud, et ecce, aperiuntur oculi vestri, et quid videtis, nisi nuditatem, vacuum et egestatem vestram? Domini antea creaturarum omnium nunc folia arborum consutis, et tanta est egestas vestra, ut vestes ad tegendum pudenda ab arbore mutuetis.

Prima proprietas ergo peccatoris est egestas et vacuum cordis ejus, unde numquam satia cupiditas ejus semper anhelat, quod non habet, semper quærit, quod non possidet, et possessa fastidit. Sic Adam et Eva [16:] Deum, sumnum bonum

<sup>1</sup> Cf. Matth. 4,4.

suum pro fructu arboris commutantes ad necessitatem inania folia quærendi reducuntur. Secundus character peccatoris est timor ille male sanæ conscientiæ, quo agitatus nemine persequente fugit, Dei præsentiam metuit, et dum vocem illius audit, se abscondit. (8) Vocavitque Dominus Deus Adam (9), nec amplius dicit: Assum, sed: Vocem tuam audivi in paradiſo et timui eo, quod nudus essem et abscondime. (10)

Cur dubitem igitur de pænitentia vestra, o primi homines, cum vos peccatum agnoscentes, nuditatem vestram confitentes, humiles et timentes repræsentet Scriptura? Sed doluisse vos non memorat, et timorem quoque servilem in timore vestro exprimit. Non dubito tamen timorem quoque et tremorem charitatis huic in vobis successisse, et vos adjuvante misericordia rite pænituisse.

Amisit Adam vestem suam innocentiae, in qua plasmatus fuerat, (11) et ecce, peccatum indicat ipsi nuditatem. O quam horrenda est confusio peccatoris coram judice suo! Ad hanc nuditatem cooperiendam et confusionem celandam dicentis in die illa tremenda: Cadite, montes et operite nos!<sup>1</sup> Tunc apparebit enormitas peccati creaturæ, dum stabit ante faciem Creatoris. Quam justus es, Domine, et justa sunt judicia tua!<sup>2</sup> Confitetur Adam peccatum, (12) accusat sociam, hæc causam in serpentem rejicit. (13) Sic exauditis reis profert justitia tua unicuique sententiam. Interrogas, Domine, mulierem, quare hoc fecerit? Sed absque simili interrogatione (14) primo serpenti maledicis, et postmodum pronuntias celebrem illam propheticam sententiam (15), ad cuius adimpletionem tendebant omnes figuræ, omnes prophetæ. Hæc, inquam, prophetica sententia erat lux, quam in tenebris peccati facere dignatus es.

O misericors Deus, et in ipsis tenebris primæ illius confusionis et contributionis Adami videtur<sup>3</sup> mihi scintillam consolationis et spei immisisse in cor Adami, posteaquam enim et mulier et ipse suam audiuisserent condemnationem, dicit Scriptura: (20) Et vocavit Adam nomen uxoris suæ Hevam eo, quod mater esset cunctorum viventium. Ampla est hæc et ferax reflexionis materia. Ecce, ante lapsum Adam, dominus omnium creatorum mulierem suam dum primum vidit, viraginem appellavit.<sup>3</sup> Scivit sententiam, quam Deus pronuntiaverat morte se moriturum, si de fructu arboris comedenterit.<sup>4</sup> Ecce tamen, tantummodo post esum fructus mortiferi appellat Ewam uxorem eo, quod esset mater viventium. [17:] Sed ubi fuere tunc viventes, quorum mater fuerat? Necdum enim tunc proles pepererat, nec animantium mater dici poterat.

O Domine, adoro bonitatem tuam, quæ percutere et sanare solet.<sup>5</sup> Procul dubio dignatus es dare intelligentiam Adamo sententiæ serpenti prolatae, et propterea spe permansionis seminis ejus super terram concepta appellat Ewam matrem viventium accepto præsenti tempore pro futuro. Poterat quidem Adam etiam ex sensu litterali sententiæ illius propheticæ: Inimicitias ponam etc. inter semen tuum et semen mulieris, et ipsa conteret caput tuum, intelligere semen suum conservatum iri, sed profundiorum penetrationem habuisse Adamum hujus prophetiæ ex v. (22) colligo.

<sup>3</sup> Nota structuram obscuram (pro *videris* vel *videtur...* *immissam esse?*)

<sup>1</sup> Cf. Apoc. 6,16.

<sup>2</sup> Cf. Tob. 3,2.

<sup>3</sup> Cf. Gen. 2,23.

<sup>4</sup> Cf. Gen. 2,17.

<sup>5</sup> Cf. Deut. 32,39.

Non audeo, Domine, proferre plus quam confusas cogitationes meas de hoc et sequentibus versibus, nisi tu dignatus fueris dare clarissimum lumen ad eloquenda mirabilia tua, quae mihi tantummodo nebulose fulgent in tenebris litterae involuta. Balbutiam igitur, non eloquar rem, quae mihi representatur, est enim mihi met ipsi nova, et quia numquam audita nec lecta et alioquin nimis sublimis, tu vides, o Domine, quod cum timore et tremore aggrediar eam. Intende igitur in adjutorium meum, et festina ad adjuvandum me!<sup>1</sup> Mysterium hoc cogitatu suave nec praeterire nec sine auxilio tuo invocato ulterius contemplari audeo, quamvis non sit mihi animus decisive seu loqui seu opinionem particularem formare, et hac sincera, quam tu vides, Domine, protestatione cordis mei coram te facta balbutiendo eloquar cogitationes meas.

Arborem scientiae boni et mali toties appellat Scriptura, quod videatur re vera illam inditam quandam proprietatem habuisse, quam ex comedione fructus ejus Adam habere potuit, non tantum per cognitionem boni, quod per prævaricationem præcepti amisit, et mali, in quod incidit. O Domine, audearne dicere, quod præter hanc quoque scientiam scientia bonorum et malorum, quae in mundo contingere debuerunt, esui fructus hujus arboris annexa fuerit, et per consequens notio omnium veritatum, quas per diem creationis figuratas fuisse jam rettuli, et illarum quoque, quas Evangelium (cujus figuram arborem hanc fuisse absque profundiori contemplatione horum dixisse contigit) nobis manifestavit, quarum eventus condicione decretus fuit, nonnisi per prævaricationem præcepti determinandus, ut sit vere libera voluntas Adæ peccandi vel non peccandi.

Fors igitur et ligno vitae, quod crucem Christi præfiguras [18:] credo, illam proprietatem annexuit sapientia tua, ut si Adam ex illo gustasset, per infinitum et antecedenter operans meritum ejusdem crucis Adam in statum glorificationis, quae nobis per eam demerita est (post diem judicii acquirendum) transivisset et per consequens Adam nec ex paradyso ejectus fuisse, sed nec filios procreare potuisset, cum glorificationem corporum per resurrectionem acquirendam maiorem futuram supponam, quae fuit illa corporis Adæ, quod ante peccatum in statu quoque innocentiae generare potuisset.

Quia autem Adam per peccatum liberam voluntatem non amisit, nec tu, Deus, eam tollere voluisti, ideo ex paradyso emissus fuit, et via arboris vitae a Cherubim custodita, ne remedio mali, quod per esum fructus prohibiti agnovit, uteretur et in statum prædictæ glorificationis transiens omnis generationis incapax evaderet. Et ex his in timore et tremore coram te prolatis clare appetit sensus dicti tui: Ecce, Adam (22) quasi unus ex nobis factus est sciens bonum et malum (scilicet omne, quod eventurum erat, quod nonnisi personis divinis notum eatenus fuerat, per prævaricationem Adam determinandum). Num ergo, Ne forte mittat manum suam et sumat etiam de ligno vitae et comedat et vivat in æternum. (23) Et emisit eum Dominus Deus de paradyso voluptatis, (24) ut operaretur terram, de qua assumptus est: confirmant haec, nec tollunt communem opinionem de ligno vitae, quod ad prolongandam vitam Adami positum fuisse asseritur, quodsi non peccasset, per eandem virtutem, per quam respicientes serpentem æneum,<sup>2</sup> figuram crucis Christi sanabantur. Quam si serpenti æneo et jam respectu reparandæ sanitatis arbori vitae adjungere potuit omnipotens bonitas tua, cur non et arbori scientiae boni et mali scientiam futurorum

<sup>1</sup> Cf. Ps. 69,2.

<sup>2</sup> Cf. Num. 21,9.

decretorum tuorum, quorum exsecutio a comedione fructus dependebat et vere bona et mala in se continebant respectu hominis?

O Domine, vere quo plus hæc considero, eo clariora patent mihi. Sed siquidem hæc ad salutem credere non sunt necessaria, malo illis non absolute adhædere, quam fors particularem opinionem formare. Quia tamen quæ profero, gloriæ, misericordiæ et justitiæ tuæ convenire et propterea bona esse video, a te venire non diffido. His ita suppositis non miror Adamum post peccatum commissum appellasse matrem viventium uxorem suam, sensum condemnationis Serpentis intellexisse, et procul omni dubio pænitentiam egisse, ac per fidem venturi Messiæ, quam in cordibus successorum suorum patriarcharum plantavit, salvatum [19:] fuisse.

Revertor, Domine, ante finem hujus capituli pro hactenus datis gratias referre tibi ac laudare te et ad lumen petendum, ut sequentia contemplari valeam. Confirma me in illis, quæ a te sunt, tolle a mente mea, quæ abortus esse possunt tenebrosi intellectus mei, et quia ex operibus tuis et mysteriis non scientiam mundanam quæro, da<sup>a</sup> scientiam spiritualem, quæ consistit et fundatur in charitate!

#### SUPER CAPUT 4.

Redeo, o dulcedo cordis mei, in omni humili simplicitate ad contemplanda magnalia tua cum hilaritate et jucunditate, quam infundere dignaris in mentem meam. Sentio quippe nutriri fidem meam et provocari ad desiderium amoris. Deest enim mihi multum, ut possim te amare multum, cum te satis diligere nequeam. Instrue me illa, queso, quæ vis, ut sciam! Quidquid enim volueris mecum et in me, hoc est verum bonum meum, quod scire desidero, ut sequar.

Ejecisti, Domine, Adam de paradiso et omnium primo memorat Scriptura (1) Adam cognovisse uxorem suam, Evam, quæ concepit et peperit Cain dicens: Posse di hominem per Deum. Recessit Adam ab innocentia status sui, in quo spiritus dominabatur carni, et ecce, primum opus ejus carnalitas est, quamvis licita, bona statuique suo conveniens actio, est tamen judicium prædominii carnis, sed in vero fine matrimonii patrata, cum Eva Deo laudes tribuat dicens: Posse di hominem per Deum. Et hæc fuit consolatio ejus in doloribus, quibus pœna sententiæ illam subjecerat. (2) Rursumque peperit fratrem suum, Abel, qui pastor ovium, alter agricola fuit. Ecce, dolor, ecce, labor, ad quem homo condemnatus fuit, (3) et sic in sudore vultus sui vescebatur pane suo.<sup>1</sup>

Factum est post multos dies, ut offerret Cain munera Domino, (4) Abel quoque obtulit, quæ respicere dignata est bonitas tua. Primus reflexionis locus hic mihi occurseret et inquirendi occasio, unde hi fratres scire potuerunt munera agrestia, sanguinem et adipem ovium posse placere tibi, Deus, cum Adam, patrem illorum illis ad hæc facienda nec exemplum nec præceptum dedisse reperiam, nec te, Deum adhuc sacrificia mandasse, prout mandasti longa<sup>b</sup> post

<sup>a</sup> da sc. mihi (cf. Ms. fr.: donnez moy)

<sup>b</sup> Delevit -u-

<sup>1</sup> Cf. Gen. 3,19.

tempora. Sed in sequela antecedentium hæc considerans facile mihi hanc quæstionem resolvo: Adamum futurorum, ut dixi, plenam notitiam [20:] habentem vero illo sacrificio cordis contriti et humiliati<sup>1</sup> sacrificasse tibi et ex eadem scientia instruxisse filios suos legis futuræ præfigurantia sacrificia. Sed tu, Domine, ecce, primum exemplum præbes justitiae et misericordiæ tuæ in massa corrupta generis humani. Quamvis enim et in exemplo Adam et Evæ hæc tua justitia et misericordia apparuerit, in hoc exemplo fratrum longe alio modo eluiscit, (5) cum unius sacrificium respicis, alterius despicias.

Et in hoc primo exemplo seu figura justorum et reproborum oportet me tremendo adorare, non examinare judicia tua. Tu quippe Dominus es et ab exordio apparere voluisti, ex eadem massa generis humani genitis quibusvis misericordiam, ceteris faciens justitiam. Ignoravit hanc veritatem Cain, et innata superbia incitat illum ad iram conciditque vultus ejus.

Sed, o Domine, numquam es ita justus, ut desinas esse misericors. Ut igitur adhuc clarius appareat profunditas decretorum tuorum, interrogas illum, (6) cur irascatur? Instruis illum, (7) revelas illi libertatem voluntatis suæ, ut justificeris in sermonibus tuis,<sup>2</sup> cum judicaris<sup>3</sup> ab impiis. (8) Hæc tamen nihil profuere reprobo, quamvis prodesse potuissent, sed occidit fratrem suum, Abel. Tu tamen non retrahis gratias tuas statim ab eo, (9) interrogas enim, ut respondeat: Ubi est frater tuus? Nec resipiscit, sed fratricidium mendacio, mensuram iniquitatis cumulat iniquitate per responsum: Nescio. Et hinc subjungit arrogantem interrogationem furoris sui et perseverantiæ in malo seu impænitentiæ indicium: Num custos fratris mei sum ego? Quid respondes, o Deus infinite misericors et longanimes multum? Revelas illi te scire, quid fecerit, nec ex ignorantia, sed ex misericordia interrogare, ubi sit. (10) Sed silet Cain, et tunc fulminas super illum maledictionem illam horrendam (11) homini carnali, prout Cain fuerat, longe sensibiliorem ac horribiliorem, quam si illi de pœnæ inferni (cujus pœnæ illi afflictæ figuræ fuerant et umbræ) locutus fuisses. Sed quid ait ad hæc reprobis? Major est iniquitas mea, quam ut veniam merear; justitiam nempe Dei agnoscit, sed quia misericordiam non meretur, ignorat eam, et desperat.

O Cain, viva imago reproborum, quam horrendus appares mihi! Et tu, Deus, quam bonus, quam misericors, quam longanimes, quam justus et ex his Divinitatis tuæ figuris quam amabilis videris!

Sed ecce, figuræ reprobi succedit figura pœnæ inferni et æternæ. (14) [21:] Desperationem finalem excipit horror exsilia a facie terræ et a facie Dei. Horrori succedit timor et huic tam contrarium vitæ desiderium, quo agitatus vagum et a facie Dei ejectum se esse horret, mori timet, nec malorum ullum repperit remedium. Quæ descriptio potest melius describere veritatem et realitatem pœnarum inferni, quarum ut æternitas quoque adumbretur, (15) conservas illum, Domine, et signum ponis, salem nempe illum, quo conditæ conservantur damnatorum animæ in æternum, ut torqueantur. Ecce, character reproborum in Cain respectu peccati, finalis impænitentiæ et pœnæ æternæ.

<sup>1</sup> Cf. Ps. 50,19.

<sup>2</sup> Ut...: Ps. 50,6.

<sup>3</sup> Cf. ibid.

Sed superest adhuc manifestare justa judicia tua respectu illorum reproborum quoque, quos vivere sinis in terra. (16) Ecce, profugum dicit Scriptura Cain, (17) habitat tamen in terra ad orientalem plagam, generat proles, ædificat civitates et videt amplas generationes. Hæc est vita, hæc est proprietas reproborum super terram, quamvis profugi sint a facie Dei.

Fac proinde, Domine, ut nolim ego umquam æmulari de malignantibus, neque zelare facientes iniquitatem!<sup>1</sup> Hi sunt filii mundi peregrini et simul habitatores super terram, patres canentium in cithara et organo, malleatores et fabri in cunctis operibus ferri et æris et per consequens tempus in choræis et saltibus transigentes et ex avaritia animo congregandi thesauros viscera terræ perscrutantes.

(23. 24) Historiam concernere videtur mihi textus et publica confessio criminis Lamech, ex cuius sensu intelligi potest Lamech Cain occidisse. Historiarum proinde sensum me sapientioribus relinquens opera tua, Deus, non sceleratorum crimina scrutari desidero.

Reducit me Scriptura ad semen Adam, cui uxor genuit Seth dicens: (25) Posuit mihi Deus semen aliud pro Abel, quem occidit Cain. Et ex eo confirmor Evam habuisse cognitionem mysteriorum, quæ divina bonitas tua operatura erat in semine ejus, cum semen Cain pro semine suo quodammodo non reputaverit, nec dixerit: Posuit mihi Deus semen pro semine Cain et Abel, sed tantummodo hunc nominat, quem Christus in Evangelio justum appellans pro justorum figura statuit,<sup>2</sup> quæ in charactere religiosæ pietatis et mansuetudinis ejus manifeste appetit.

Sentio, Domine, non carere mysterio, quod Scriptura enarrat: (26) Enos cœpisse invocare nomen Domini. Posteaquam enim Cain et Abel tibi munera obtulisse legi, quomodo dubitandum est jam illos nomen tuum, cui munera obtulerunt et ex ipsius Adæ [22:] instructione magnalia tua noverunt, non invocasse. Opinor proinde hunc de venturi Messiæ adventu instructum mysteriosum aliquem cultum sub invocatione nominis per excellentiam Domini instituisse. Sed quoquo modo sit Eva fecunda mater viventium et justorum te miserante, lucem quodammodo separat a tenebris.

Agnovi, Domine, ex consideratione hujus capititis justa, sed tremenda, numquam tamen non misericordia tua judicia. Consideravi horrendam illam reproborum figuram in Cain, justorum in Abel, cuius innocentis sanguine terra primum irrigata est. Hic fuerat primus effectus corruptionis massæ generis humani, qui in primogenito Adam statim manifestatus est. Et sic primi hominis primus filius primi reprobæ, secundus primi justi repræsentavit characterem.

O iterum iterumque adorandæ justitiæ et misericordiæ opera, quam investigabilia estis tenebris intellectus mei! Adjuva me proinde, Deus, ne deficiam, rege me, ne deviem, ut sit tibi laus et gloria ex me, cum in hunc finem creaveris me!

## SUPER CAPUT 5.

Separasti, Deus, lucem a tenebris,<sup>3</sup> et hinc Scriptura in toto hoc capite directam generationem Messiæ contexens ceteros filios et filias Adam non memorat, et ex hac

<sup>1</sup> Cf. Ps. 36,1.

<sup>2</sup> Cf. Matth. 23,35.

<sup>3</sup> Cf. Gen. 1,4.

ratione postquam creationem Adam recensuisset, non a Cain et Abel orditur, sed a Seth, quem ad imaginem et similitudinem suam genuisse Adamum connotat (3), ne Adamum ad similitudinem tuam, Deus, factum filios ad tuam similitudinem generasse credamus. Remansit enim imago Dei in homine in potentissimis animæ rationalis consistens, sed quam primum a Deo recessit, cessavit similitudo, quæ innocentia status Adami creationis et puritas fuit. Generavit proinde ad imaginem et similitudinem suam.

Septimus pronepos generationis suæ, Henoch, (22) qui cum Deo ambulasse referatur, (24) postquam ambulasset, non apparuit, quia tu, Deus, tulisti eum. Non examinabo, Domine, nec a te scire peto, cur et quomodo massam illam corporis Henoch conservatam esse volueris, et in quod repositorium infinitæ omnipotentiae tuæ reposuisti hunc septimum patriarcharum et in quem finem reservas. Non ignoro communem doctrinam illum conservatum esse, ut Antichristo opponatur.

Sed cum tibi tam facile fuisset resus<c>itare,<sup>a</sup> quam conservare, non interrogo, cur sic volueris. Referam tamen mirabilia,<sup>b</sup> ut appareant [23:] mirabilia intellectui meo, et ego ignorans mirabilia tua, quominus cepero, eo plus amem et amando adorem te. Dicitur igitur mihi, Domine, et ego credo tamquam rem tibi possibilem, sed utrum tamen sic et non aliter futurum sit, nescio Henoch oportere in corpore advenire, ut de illis, quæ ante diluvium fuere, præbeat testimonium, Eliam porro eorum, quæ post diluvium advenerunt.

Sed, o Domine, si auderem oblitus, quod dixi, nolle querere: cur, si auderet, inquam, infirmitas mea magna scire cupida, interrogarem profecto te, Domine, cur oportuerit tibi, Creatori omnipotenti in tantum condescendere ac indulgere incredulitati creature, ut oporteat viis tam extraordinariis procedere. Quis enim Judæorum, quibus hi prædicabunt, noscet illos aut credet illos ipsos esse, nisi gratia tua persuaserit illis? Multo clarius patuit enim character Messiae seu prophetæ illius per excellentiam ab initio mundi præfigurati et prædicti in Christo, quam ipse Henoch et Elias poterunt sibimet ipsis apparere similes, illi tamen non crediderunt, qui ex justo iudicio tuo sibimet ipsi traditi gratiam ad credendum non habuerunt. Quomodo ergo credent prophetis absque gratia? Quodsi vero gratiam datus es eis, ad quid oportuit per tot annorum millennarios prædictos prophetas in corpore conservare et visione illa beatifica (qua anima in hoc corpore mortali tam clare gaudere nequit) privare?

Hoc esset eloquium inquiete divagantis intellectus mei, Domine, si me non reflecterem, aut potius tu, o bonitas infinita, in memoriam meam revocando non responderes mihi omnia, quæ fecisti, te fecisse pro te et pro gloria tua. Hinc quo plus misereris, eo plus apparent misericordia tua, quo severius punis, eo magis manifestatur justitia, quo plus te humanæ debilitati accommodas, eo sensibilius apparent bonitas tua. Profecto etiamsi Henoch viderint, non credent Judæi sine gratia, sed si per gratiam Henoch cognoverint, eo plus credent, et increduli objecta illa longanimis, sed tandem inexorabilis justitiae tuæ erunt eo inexcusabiliores.

Sufficerent hæc, o Domine, mihi, sed infinita est misericordia tua, et ideo, ecce, manifestas mihi Henoch figuram fuisse humanæ naturæ ad consortium divinæ naturæ exaltandæ. Et ut hæc figura clarius sit in præcitatis versibus, primo dicitur: Ambulavit Henoch cum Deo, et hoc commune habuit cum justis, qui semper ambulant

<sup>a</sup> Delevit c

<sup>b</sup> Mirabilia sc. tua (cf. Ms. fr.: vos merveilles)

cum Deo; sed postmodum idem repetendo annexitur: Et tulit illum Deus. Ambulavit humanitas Christi [24:] cum Deo in substantia corporis Matris suæ gratia plenæ,<sup>1</sup> ambulavit, sed tandem ex utero virginali vere tulit illam Deus intacta virginitate matris. Hinc quid mirabilius, quid gloriæ tuæ convenientius, quam ut figura Henoch præbeat veritati testimonium? Et ecce, in Henoch prima figura mediorum, per quæ Deus ad statutam veritatem conterendi capit serpantis<sup>2</sup> perducere decreverat naturam humanam, ut in Christo, per Christum et cum Christo glorificet eam propter se. Nulla enim major gloria tibi, Deus, præstari potuit, nec ulla te dignior fuit, quam ut te Deum Homo Deus glorificet.

O altitudo divitiarum sapientiæ et scientiæ Dei,<sup>3</sup> quam inenarrabiles et incomprehensibiles sunt viæ tuæ,<sup>4</sup> per quas natura divina se humiliando ambulavit cum humana natura, et tulit eam, ut exaltet! O mysterium, quod in hac historia Henoch tam paucis verbis expressum et inter historiam generationis patriarcharum quasi perfunctorie memoratum sub obscurō velo litteræ latet, non secus ac divinitas sub humanitatis velo latuit. Adoro te, sed fac, ut non sterili adoratione, sed amando adorem te! Quis sum ego, Deus, quod me tantorum thesaurorum revelatione ditare dignaris, et in his plus delectare facis, quam si mundanos visibiles reperirem thesauros. Exsultat, gaudet anima mea, sed ecce, gaudium meum non consistit in cachinnis et chorraiis et tripudio filiorum sæculi, gaudeo tamen, quia cor meum dilatari sentio. Reple, quæso, illud, Domine, si ita placitum est tibi, nihil enim mihi periculosius est vacuitate illius. Timeo enim, ne repleatur aliquo alio amore, quam tuo. Noli proinde dilatare illud, quam in mensura et pro mensura gratiarum, quas destinasti mihi, egeno et pauperi tuo!

#### SUPER CAPUT 6. ET 7.

Quid jubes, o Domine, ut scribam? Ecce, manus, ecce, calamus! Deficit enim intellectus meus hoc caput legenti, et quodammodo dividitur adhuc in adinventionibus suis, tantorum enim eventuum succedentem rebus et temporibus applicationem non reperit. In sequela eorum, quæ hactenus scripsi, secundum seriem manifestatæ nobis veritatis oporteret mihi quærere figuram illorum mediorum, quibus veritatem per opus diei secundæ creationis velatam quodammodo operata est bonitas tua, veritatem, [25:] inquam, illam figuratam per separationem aquarum ab aquis et constitutionem firmamenti in semine Sem inter gentes tamquam aquas. Et ecce, totum hoc caput hanc veritatem et media, quibus usus es, describit. Sed quis fuerit Noe testamenti novi, quod vetus figuravit, designa, quæso, mihi, si placitum est bonitati tuæ!

Te illuminante repperi hactenus statim in filiis Adam, Cain et Abel, manifestasse te humano generi totum genus humanum in classem, ut ita dicam, justorum et reproborum repartitum iri, ut manifestetur justitiam et misericordiam tuam æqualem esse in te respectu ejusdem massæ generis humani, quam condemnasti per justitiam, salvas, in quantum vis, per misericordiam. In charactere horum fratrum vidi inæqua-

<sup>1</sup> Cf. Luc. 1,28.

<sup>2</sup> Cf. Gen. 3,15.

<sup>3</sup> O...: Rom. 11,33.

<sup>4</sup> Cf. Rom. 11,33.

lem imaginem reproborum et justorum et tremendam pœnam primorum. Repperi secundo pro salute hominum operanda tollendam fore naturam humanam, ut glorificetur, in persona Henoch præfiguratam et in incarnatione completam veritatem.

Sequitur proinde in hoc ordine reperiri figuras veritatum, quæ ad hoc opus tuum nobis revelatum pertinent. Non dubitabo proinde his præmissis Noe præfigurasse Filium Dei, qui ex voluntate Patris descensurus erat et incarnandus. Ex historia diluvii proinde eruendus est status generis humani tempore incarnationis.

(1) Cum cœpissent filii populi electi multiplicari super terram et filias procreassent, (2) videntes filii Israel filias gentium, quod essent pulchræ, acceperunt sibi uxores ex omnibus, quas elegerant dixitque Deus per prophetas: (3) Non permanebit Spiritus meus in populo meo electo semper, quia caro est, et legis meæ prævaricator; et profecto annos durationis Synagogæ toties prædici fecisti, Domine, per prophetas. (4) Gigantes autem erant super terram, et hic fuerunt monstra illa pharisæorum, qui legem Dei cum adinventionibus suis miscentes tot traditiones humanas parturivere, et hi potentes fuerunt a sæculo viri famosi.

(5) Videns autem Deus, quod multa malitia populi sui esset in terra et cuncta cogitatio cordis (6) intenta esset ad malum omni tempore... Quoties similes vivas expressiones captui hominum proportionatas reperiā in prophetis, quibus tu, Deus, omnis passionis humanæ expers arguere fecisti populum tuum (7) et tandem delere decrevisti Synagogam! (8) Et quis fuit, qui invenit aut juste invenire potuit gratiam coram te, Domine, nisi ille, qui se pro salvando homine justitiæ tuæ obtulit? Justus ac perfectus fuit hic Noe in [26:] <in><sup>a</sup> generationibus suis (9) et vere semper cum Deo ambulavit. (10) Ipsemet enim Deus fuit, generationes ejus tres fuere: sanguis, aqua et Spiritus.

(11) Corrupta erat vere terra tua, Deus, quam secundum figuram diei tertiae separavas ab aquis, seu semen Abrahæ, ex quibus constabat Synagoga (12) et repleta erat iniquitate. Cumque vidisses terram hanc esse corruptam et omnis caro (electi enim tui jam tunc fuerant ex Spiritu) corruperat viam suam legalem, (13) dixisti ad Filium tuum finem universæ Synagogæ advenisse et te universam gentem dispersurum.

Hic erat status Synagogæ tempore, quo Noe cælestis arcam suam ingressurus erat. (14) Et ecce, mandato Patris accepto fecit sibi arcam ex lignis levigatis magnorum et parvulorum, ignobilium in Synagoga latentium justorum, redemptionem Israel expectantium. Mansiones fuere in ea pro omnibus gentibus, nationibus et populis, prout animantibus et jumentis terræ omnis sexus et ætatis, mundis et immundis. Omnis enim multitudo, quæ in arca Ecclesiæ recipienda erat, ex vocatis et electis consistebat, quibus omnibus proportionatam escam præparavit bonitas hujus Noe.

Jam aquas reprobationis apertis magnis cataractis justitiæ suæ<sup>b</sup> induxerat Pater æternus super omnes habitantes terram, quæ tunc Synagogam quoque inundaverant, nec nisi prædicta paucitas justorum cum Noe cælesti et familia sua ex semine Abrahæ constituta, ad quam imprimis missus erat,<sup>1</sup> intraverunt eam. Jactabatur inter aquas et hæ aquæ obtinuerunt terram annis, quibus Christus ante prædicationem latebat in mundo, nec mundus eum agnovit.<sup>2</sup>

<sup>a</sup> Delevit in

<sup>b</sup> Corrixi suæ ex tua

<sup>1</sup> Cf. Matth. 15,24.

<sup>2</sup> Cf. Ioan. 1,10.

Hanc historiam diluvii universalis œconomiæ tuæ de instituenda Ecclesia figuram seu deficiente lumine tuo seu in se ipso, non in omnibus applicabilem nequeo ego, Domine, per singulos versus Scripturæ deducere, quamvis typum ejus te adjuvante clare agnoscam. Adjuva me igitur, Domine, ne deficiam in his, quæ te adjuvante suscepi, nec enim sine te progreedi valeo!

#### SUPER CAPUT 8.

Recordatus porro<sup>a</sup> Noe cunctorumque, qui in arca fuerant, adduxisti Spiritum tuum super terram, et quodammodo clausi sunt fontes abyssi justitiæ tuæ super universum genus humanum (2...4) et his aquis reprobationis tuæ diminutis requievit arca primo anno conversationis Christi. Video [27:] enim in historia Evangelii fuisse quosdam pharisæos doctrinam ejus amplectentes, sed hi tamquam corvi ex arca emissi non rediere. Typum porro columbæ ex hac arca emissæ Joannem Baptistam esse video, qui fructibus pœnitentiæ velut ramo olivæ, pacis symbolo allato decrescentes justitiæ aquas monstravit, donec tandem divinus Noe arefacta terra ipse primo sacrificium hostiæ mundæ obtulisset et demum ex omnibus animantibus terræ tot martyrum millibus immolasset. Odoratusque es, Domine, hoc sacrificium tamquam odorem suavitatis, et dixisti: (21) Nequaquam maledicam ultra terram propter homines; sensus enim et cogitatio humani cordis in malum prona sunt ab adolescentia sua.

Agnosco ego, Domine, præter hæc quoque, quæ te adjuvante protuli, typum purgationis mundi per aquas diluvii et regenerationis ejus (ipsa divino Spiritu tuo inspirata Ecclesia agnoscente) typum fuisse regenerationis per aquam baptismatis, nec hæc communis opinio hic connotatis oberit, quin aquæ diluvii mundum purgantes justitiæ divinæ assimilari nequeant, cuius pœnitis nos aquæ baptismatis lavant et vere regenerant. Descendit hic divinus Noe ex arca in passione sua, in qua ab omnibus discipulis suis derelictus sacrificium in altari crucis obtulit se primum immolans et dein sanctorum animas ex lymbo (qui etiam in arca comprehendebantur) liberatas offerens.

O Domine, admirandum erat consilium tuum de salvando humano genere et semine omnium animalium ex aquis diluvii in tam exili unius arcæ ergastulo ex levigatis quidem lignis exstructo, sed bitumine intus et foris illinito, et quam exiguum fuit electorum numerus, cuius figura fuit arca, cum hanc secundum differentem statum ejus compluribus figuris repræsentatam me reperturum confido in gratia tua, cum sub arcæ figura statum solummodo illum Ecclesiæ repræsentari videam hactenus, qui fuit adusque passionem. Prout enim conservationem suam genus humanum debet arcæ, ita et salutem passioni Christi. Fuit arca, ut diluvii aquis resisteret, bitumine illinita, ut compaginem tabulatorum contineat, et arca cælestis Noe bitumine spei in Messiam illinita aquis reprobationis justitiæ divinæ restitut. In hujus arcæ fabrica primi fuere, prout rettuli, pastores Christum nascentem adorantes, magi et innocentes cum reliquis justis ante conversationem Christi viventibus.

<sup>a</sup> Recordatus porro in rasura

Sed, o Domine, loquere mihi, tu vides enim, quod balbutiam, nec figuram veritati applicare sciām, nisi tu locutus fueris mihi! Numquid et [28:] apostoli et discipuli in hac arca fuerunt? Ita profecto in hac conservati sunt, sed in subsequenti propagatio-ne clarius et particularius figurantur. Hic enim agitur solummodo de figura arcæ, et de illis, qui salvati sunt in ea in concreto. Aliæ, prout dixi, subsequentur Ecclesiæ figuræ, quæ distinctos eventus designabunt. Propterea concluso hoc capite imploro auxilium tuum, o dulcedo cordis mei. Perfice in me, quod vis, ut agam, ne deficiam in contemplatione tam profundorum mysteriorum tuorum!

#### SUPER CAPUT 9.

Repræsentat mihi Scriptura sequelam sacrificii Noe et stabilimentum seminis ejus super terram et firmamentum seminis Sem tamquam veritatem die secunda creatio-nis præfiguratam, sed hanc quoque veritatem prout figuram considerando quam clare repræsentatur mihi incrementum, quod semini sanguinis Christi, cælestis Noe dedisti, o Deus. (1. 2. 3) Dedisti ei omnem potestatem in cælo et terra sub figura avium cæli et animantium terræ. Statuisti pactum æternum cum hac divina genera-tione Dei Hominis: Nequaquam interficietur enim omnis caro aquis reprobationis justitiæ tuæ, cum signum posueris fœderis tui inter te et spiritualem generationem ejus. Signum hoc est crucis et vulnerum ejus, quod continuo respicis, et numquam oblidisceris pacti tui: (17) Et hoc erit signum inter te et omnem animam viventem per ipsum universæ carnis super terram.

(19) In generatione communi, per quam omnes homines regenerati sunt, huic Noe in tribus speciebus tres filii: electi, reprobi et vocati. (20) Cœpitque hic vir agricola exercere terram, et plantavit vineam charitatis bibensque de genimine vitis hujus inebriatus est, (21) et nudatus in tabernaculo suo crucis. (22) Quem cum vidissent reprobi, scandalisati sunt in eo, electi vero ac vocati pallio charitatis, fidei et spei<sup>1</sup> operuerunt scandalum crucis, et idcirco evigilans electis benedixit, reprobis maledi-xit, vocati porro manent in tabernaculis justorum et electorum.

Repeto pro clariori dilucidatione hujus figuræ in præcedentibus et hac quoque figura generales et universales veritates repræsentari. Postquam enim figuratum fuit totum genus humanum in justos et reprobos divisum iri, his vocati superaddendi fuere, et modus salvandi justos figurari.

Est et alia figuræ hujus veritas tremenda et terribilis valde, quam sint nimirum [29:] pauci salvandi respectu illorum, qui in aquis diluvii pereunt! Quamvis enim fecundata fuerit terra per benedictionem semini Noe impertitam, ex sequentibus hæc veritas eruenda est. Hic proinde imploro misericordiam tuam, Domine, ut me tantis peccatis provocantem justiam tuam et tantis gratiis hactenus conservatum non so-lum habitare facias et sinas in tabernaculis justorum, sed fac me esse de numero illorum!

<sup>1</sup> Cf. 1 Cor. 13,13.

## SUPER CAPUT 10.

Adoro, Domine, veritatem in Scripturis tuis latentem, cum hæc tumet ipse sis. Sed timens ac tremens repperi primogenitum Adam fuisse reprobum et semen ejus civitatem exstruens, et ecce, hic generationem Cham (a patre maledicti) primum poni (1) et majora, quam cetera, incrementa sumere super terram reperio. (9) Nembrod ille scelerorum princeps ex semine ejus exsurgens robustus venator appellatur coram te. Unde patet veritas eorum, quæ generationem cælestis Noe respiciunt, et ex his concludo non esse mihi appetendos terrestres principatus et possessiones, delicias et illecebras mundi, quæ semper fuerunt et sunt pars filiorum Cain et filiorum Cham. Ex his postremis exsurgit Babylon, quæ consentientibus omnibus sanctis tuis et prophetiis quoque Novi Testamenti est figura concilii malignantium et cœtus et congregacionis reproborum.

Dignaris, Domine, me instruere de illa quoque excellenti veritate, quod quamvis Ecclesia consistat ex tribus <his illius<sup>a</sup>> speciei hominibus, qui reprobati, vocati et electi sunt, vocati tamen repartiuntur in reprobos et electos et per se differentem classem non faciunt, sed tantummodo denominationem, et hoc quoque ex figura agnosco. Filii Japhet enim habitant in tabernaculis filiorum Sem, sed ecce, hic in descriptione propagationis filiorum Noe nulla de illis fit mentio. Sic in Ecclesia quoque pro notorie reprobis nonnisi hæretici et excommunicati habentur, et hinc a tabernaculis justorum seu ab Ecclesia separantur. Peccatores vero quamvis per decreta æterna (Ecclesiæ ignota) reprobati sint sub nomine vocationis, manent in tabernaculis Ecclesiæ seu Sem. Maledictio filiorum Cham fuit, ut serviant semini Sem, et hæc fuit figura veritatis, quæ nos instruit oīnnino reprobos filios mundi servire ad salutem justorum nolentes. Sæpe enim, quin immo semper illos persequi volentes quamvis temporaliter [30:] dominari videantur, serviunt tamen spiritualiter.

O Domine, quantæ et quam patheticæ veritates comprehenduntur sub cortice litteræ hujus capitis, quas ego sæpe Scripturam legens præterii tamquam historiam propagationis filiorum Noe concernentes. Cetera porro, quæ legi quoque, non intellexi; credidi, admirabar judicia tua, sed non degustavi saporem differentium ferculorum animæ, quæ absconduntur in iis, et adhuc millies legissem et hæc illibata reliquissem, nisi bonitas tua faceret, ut petam et quæram, degustum et delibata ruminem. Tu quoque evidenter me cognoscere facis non posse has figuræ versiculatim ita applicare veritatibus, prout prima capita, cum temporis contineant historiam, per quam connectuntur figuræ, quæ hactenus vere in filo succedunt. Propterea in hac mysteriosa figura arcæ, poste aquam demonstratum est, quomodo salvandi salvabuntur a communi perditione aut reprobatione generis humani, aut potius dixerim, quomodo purgabitur et eruetur ex captivitate Diaboli, succedit inquirere, quomodo ergo conteretur caput Serpentis per semen mulieris.<sup>1</sup>

<sup>a</sup> Delevit *his illius*

<sup>1</sup> Cf. Gen. 3,15.

Justum est, o fortitudo et lumen meum, ut confitear tibi debilitatem et tenebras meas. Ecce enim, jamjam deficio. Demonstrat mihi Scriptura genus humanum in arca conservatum et ex semine Noe multiplicatum descendere ab Oriente et intrare in campum Sennaar, civitatem et turrim ædificare statuisse, ut celebrent nomen suum. Omnia profecto, quæ in hoc capite considero, persuadent mihi huic historiæ inesse mysterium, sed illud reperire non valet ignorantia mea. Adjuva me, Domine, et auxiliare mihi!

Hæc unius labii multitudo consentit in tam insanum opus ædificandæ turris, cuius culmen cælum attingat. Inchoat opus et tu descendis, ut videas illud, et dicas: Ecce, unus est populus et unum labium omnibus, cœperuntque hoc facere nec desistent a cogitationibus suis, donec eas opere compleant. Quæ est hæc loquela tua, Plasmator hominis, qui noscis varietatem et inconstantiam cordis ejus? Vidisti insipientiam operis naturalibus viribus illorum impossibilis, et tamen quodammodo sollicitus videris et credere illos non destituros. Vidi mirabiliora tua hactenus opera et non mirabar, tu enim omnipotens es, sed quomodo non mirer legere [31:] te descendisse de cælo, ut hominum insano instinctu cœptum opus videas?

Sentio, Domine, hæc profundas veritates figurasse, sed quia tu mihi necdum loqueris, ecce, mutus subsisto in conspectu tuo. Si seriem revelatarum veritatum inquiero, prout dixi, figuræ incarnationem designantes inquirerem, sed hic occurrit mihi considerandum opus hominum arrogantiæ et insipientiæ, non tuæ sapientiæ. Nihil mihi mirum apparet respectu hominum sub poena peccati in cogitationibus suis delirantium, sed profecto nihil est, quod mirum non videatur respectu tui. Respice in me, quæso, non cessabo enim petere, ut instruas me, si placitum est tibi, ut continuem enarrare magnalia tua!

Sed ecce, dignaris loqui mihi et videor mihi intelligere hoc mysterium, considerans enim, quod ubi populus. universæ terræ memoratur, hoc intelligi debeat de populo tuo electo, quem omnia respiciebant, non ad ipsos referenda, sed ad filios adoptionis tuæ. Absque hæsitatione dicam hanc historiam turris Babel designasse (1) excidium Jerusalem et dispersionem gentis Judæorum. (3) Erat ille labii unius et sermonum eorundem in malo, et omnes unanimiter fecerunt lateres ex litterali et carnali intelligentia legis coixeruntque eos igni cupiditatis et bitumen adinventionum traditionumque suarum habuerunt pro cämento. (4) In his voluerunt sibi facere mansionem tamquam civitatem et turrim, per quam voluerunt attingere cælum. (5) Et tunc descendit Filius per incarnationem, ut videret hanc civitatem et turrim, quam ædificarunt, et quam sæpe dixit illis: (6) Ecce, unus est populus, et unum labium ipsorum, cœperuntque hoc facere nec desistent a cogitationibus suis, (7) donec eas opere compleant. Cum autem dicatur: Venite igitur, descendamus!, his verbis designatur illum, qui descendit, ascendere oportuisse, ut secundo dicere possit: Venite, descendamus! Et profecto postquam ascendisset, descendit non visibiliter, sed invisibiliter per horrenda illa flagella, per quæ spiritum dissensionis et discordiæ immisit in eos et confudit linguam eorum, ut non audiat unusquisque vocem proximi sui. Atque ita divisit eos Dominus ex illo loco in universas terras.

O lumen cordis mei, quid clarius hac figura cum veritate collata, quæ tenebris intellectus mei, ecce, paulo ante tam obscura et impenetrabilis fuerat? Sed et hoc est gratiæ tuæ opus, Domine, quod me quandoque tenebris meis tradis, ut agnoscam

me, quid sim, et te, quid possis per instrumentum tam inutile, prout ego sum ex meipso.

Hac excellenti figura eventus [32:] in contextu universalium veritatum oeconomiae Dei hoc loco memoratae Scriptura reddit ad recensendam generationem Sem, quam clarius, quam in praecedenti capite deducit usque ad Abraham, in quo subsistit et quem e tabernaculis Sem, id est, e terra nativitatis suae eductum cum patre in terram Canaan vixisse breviter memorat, et hi pauci versus ad calcem figuræ videntur mihi, quæ explicandæ occurrent in hac Abrahami historia, quæ a principio usque ad finem plurimis figuris est referta. Revertor igitur ad te, o Deus salutis meæ, trado me tibi, rege me, ut eloquar mirabilia tua!

#### SUPER CAPUT 12.

Ecce, Domine, tu vides, quanto tempore sim coram te, ut tam differentibus even-tibus historiæ Abrahami consideratis reperiam veritatem, cui historia ejus conveniat in suis principalioribus circumstantiis, nec reperio, sed nec absque calamo vel unum solum caput combinare possum, non ut<sup>a</sup> se debilitas mea ad totam hanc historiam extendere posset.

Hinc confidens in misericordia tua te me adjuturum audacter dicam Abrahamum humanæ naturæ et hominis ut hominis exaltandi ac glorificandi figuram fuisse. Erat homo ut homo pulvis in pulverem convertendus<sup>1</sup> in patria super terram, propterea, ut glorificetur, exire eum oportuit e patria, et hujus figura est designata in postremo versu capitinis praecedentis, ut proinde et futura patria et exsilio e patria glorificationis et exsilio in patria terrena et peregrinatio exprimeretur. Ecce, Abraham eductus ex tabernaculis Sem (1) ad terram Cananæorum evocatur, aut satius dicam, jubetur egredi de terra sua, de cognitione sua et de domo patris sui et ire in terram, quam Deus monstrabit illi.

Hic incipit figura exaltationis naturæ humanæ primo in filios Dei adoptivos, dein ad glorificationem beatitudinis, quæ quia pure gratuita fuit, nec illam homo promeruit, demonstratur mihi per verbum egredere. Fortis est hæc vox tua, Domine, mandati et tractionis, ideo quamvis liberæ voluntatis fuerit Abraham, non resistit ei. Porro quid oporteat homini exaltando relinquere, eodem versu citato (1) non figuratur, sed veritas est, quam Christus repetit et exigit tamquam necessariam a discipulis suis, qui fuerunt objecta hujus exaltationis et glorificationis. Quid opus est multum contemplari, quomodo in hoc sensu adimpta sit promissio, (3. 4) cum nos ex illa gente magna [33:] ex universis cognitionibus terræ in Homine Deo benedictos agnoscamus? Figura fuit in hoc Abraham et hominis hujus futuri, in quantum hæc promissio ipsi propter hunc facta est. Non enim per Abraham hominem, sed per Deum Hominem et in Deo Homine exaltandus et glorificandus erat homo, sed pri-mum in abstracto erat figura hominis seu naturæ humanæ.

(4. 5) Egressus est itaque Abraham, sicut preceperat ei Deus. O Domine, confite-or ego tibi, quod ex simplici consideratione horum versuum et praecedentium credi-

<sup>a</sup> Fortasse ut Hungarismus (*non ut pro nedum*)

<sup>1</sup> Cf. Gen. 3,19.

dissem ego, quod promissionem fuerit subsecuta fides in illo, non fidem promissio. Sed quia per Apostolum tuum<sup>1</sup> contrarium revelasti mihi tu, qui verborum tuorum solus interpres esse potes, credo, Domine, prout revelasti. Fides et promissio dona tua fuere et tu imputasti illam in justitiam.<sup>2</sup>

Egit Abraham secundum mandatum, sed uxorem filiumque fratris et multam fert secum substantiam, et hinc agnosco bonitatem tuam cuique proportionata et appropriata statui suo dare dona et mandata. Permittitur figuræ hominis exaltandi horum ablatio, sed homini exaltato mandatur, ut relinquat omnia. (6) Pertransiit Abraham terram Canaan, (7) sed nonnisi te, Domine, illi apparente et promittente te illi et semini suo facta est terra Canaan in patriam, sic et homini per adoptionem in filium adoptato nonnisi per promissionem factum est cælum patria. (8. 9) Transgreditur Abraham ad orientem et pergit ad meridiem. Possem hæc extendere ad sensus mysticos orientis et meridiei vitæ spiritualis, sed progrediar in simplici applicatione figuræ ad veritatem, et secundum hanc demonstrat mihi peregrinatio Abraham in patria, quod homo se super terram pro peregrino reputare debeat. Terra enim Canaan tunc sub duplice consideratione erat patria Abraham, in quantum possidenda erat figura patriæ cælestis, in quantum promissa et actualiter usuata erat patria ejus <cælestis><sup>a</sup> terrestris, cum illum Deus ad eam vocaverit. Christiano enim etiam, quocumque Deus vocat et ubi Deus illum collocat, (10) illa patria est; sed ecce, peregrinatur Abraham in Ægypto, et quia hæc terra erat destinata pro captivitate et multiplicatione seminis ejus, figuravit mundum, in quo Christianus peregrinatur tamquam in terra captitatis suæ et multiplicationis secundum statum suum.

(11. 12) Demum totum hoc caput denotat mihi pericula vitæ mundanæ et præcautionem prudentiæ, quibus homo uti potest et debet, et signa protectionis divinæ, quibus [34:] Deus hominem in peregrinationibus suis in hac vita custodit et conservat. His breviter figuratis reducitur Abraham cum omni sua substantia. Video ego Abrahamum figuram fuisse etiam peregrinationis filiorum suorum et miraculosæ eliberationis eorum ex Ægypto. Sed omnium operum tuorum finem scrutans tamquam veritatem figuram figurarum non sumo pro alimonia animæ meæ, quæ nonnisi veritate seu temet ipso satiari potest. Duc me, quæso, ad ipsam per ipsam in viis tam tenebrosis, in quibus scrutor illam; restat enim mihi multum!

#### SUPER CAPUT 13.

Redit Abraham in patriam suam terrestrem, ut peregrinetur in illa. Et hinc edoceor et naturalem patriam et omnia possessa tamquam non possidentem reputare debere hominem Christianum seu per adoptionem exaltatum. Quocumque venit Abraham, (3) tibi debitæ pietatis, Deus, non obliviscitur, (4) sed altaria a se exstructa repetit, et quæ tua sunt, Domine, semper et ubique præstat tibi.

(5. 6) Hactenus Loth videbatur mihi easdem, quas Abraham, veritates repræsentare, (7) sed quia a te, Deo non directe, sed indirecte vocatus fuit, dicam Abrahamum electorum, hunc vocatorum Christianorum vitam repræsentare et figurare, qui mun-

<sup>a</sup> Delevit cælestis

<sup>1</sup> Cf. Rom. 4,1 sqq., Gal. 3,6 sqq.

<sup>2</sup> Cf. Gen. 15,6 et Rom. 4,3.9.22–23, Gal. 3,6.

do et bonis suis plus debito adhærentes ex occasione eorum jurgia nasci permittunt. (8) Dixit ergo Abraham ad Loth: (9) Ne, quæso, sit jurgium inter me et te. Ecce, universa terra coram te est; si ad sinistram ieris, ego dextram tenebo, si tu dextram elegeris, ego ad sinistram pergam. (10) Sed elevatis Loth oculis captus deliciis mundi recessit ab oriente divisique sunt unus ab altero.

O Abraham, pater credentium, quamvis et tu ipse verus Christianus fueris, in quanta veritate figuratas vitam filiorum Dei! Quam digne veritates repræsentant veritates illas profundas et absconditas, quæ hic velo tam tenui veritatis velantur, nec tamen transparent, nisi per te veritatem revelatæ!

(11) Elegitque sibi Loth regionem circa Jordanem et recessit ab oriente (vel potius dicam, defecit in peregrinatione) divisique sunt alterutrum a fratre suo. (12) Abraham (scilicet peregrinans) habitavit in terra Canaan, Loth vero moratus est in oppidis. Et haec expressiones denotant mihi Loth neccum defecisse a justitia, sed moratum in oppidis. Sed tandem habitavit in [35:] Sodomis. (13) Homines autem Sodomitæ pessimí erant et peccatores coram Domino, propterea prout ante in peregrinatione Abraham in Ægypto, vitam justorum et portenta a te, Deus, pro conservatione eorum facta figurata fuisse vidi. Ecce, quid sit habitare in mundo in societate peccatorum, per figuram Loth edoceor. (14) Ut ergo Abraham habitet quasi non habitans, quamvis Deus promissionem terræ illi repete dignetur et semen ejus in tantum numerum, in quem exsurrexisse video, multiplicatum iri dicit, jubet tamen: (17) Surge et perambula terram! (18) Et ecce, movet tabernaculum suum Abraham, prout dixi, semper peregrinus, habitavit in convalle Mambre ædificavitque ibi altare Domino.

O Deus misericors, cum et in hac vere figura et in omnibus veritatibus elucescat vitam justorum peregrinationem debere esse in terris, quam felix essem, si prout omnis justus peregrinatur, ita et omnis peregrinans justus esset! Sed haec convertibilia esse nec figura, nec veritas demonstrat. Demonstret proinde, quæso, mihi misericordia tua, cum me peregrinum fecit justitia tua!

#### SUPER CAPUT 14.

Profert Scriptura temporum historiam, ut illius velo tegat figuratas, quarum primam in persona Loth reperio (11...14) aut potius in Abraham, qui pro eliberando fratre suo tam heroico actu posuit animam suam, prout veritas, cuius figuram Abraham fuisse hactenus asserui. In quantum enim homo aut humana natura exaltanda et glorificanda fuerat, semper hujus veritatis figuram reperio in Abraham. Sed ante hujus exaltationis figuratas humanæ naturæ, prout fuerat, repræsentavit typum, et iis de novo in memoriam revocatis, dum Abrahamum animam suam pro fratre, prout dixi, tam generose ponere video in hac sacra historia, et illum in illo respicio, qui est primogenitus inter complures fratres, qui novo mandato jussit fratribus animam pro se invicem ponere,<sup>1</sup> prout ille primus posuit.

(18) At vero Melchisedech, rex Salem proferens panem et vinum... Ex his verbis credidissem ego hæc prolata dona pro refocillando solummodo Abrahamo et militibus ejus afferri curasse Melchisedech non ut regem, sed ut sacerdotem obtulisse panem et vinum. Benedixitque ei, et ait: Benedictus Abraham Deo excelso!

<sup>1</sup> Cf. I Ioan. 3,16.

O mysteriosam benedictionem et oblationem! Cui offeruntur hæc? Respondebo absque hæsitatione in sensu illorum, quæ [36:] hactenus bonitas tua demonstravit mihi, Domine, obtulisse Abrahamo tamquam figuræ naturæ humanæ glorificatæ in primo homine, per quem glorificata est. Hinc ut mysterium hæc figura exprimat, dicit: Benedictus Abraham Deo excelso!, ac si diceret: Benedicta humanitas Deo. Nec melius veritas hæc adoranda exprimi potuit per figuram; sed permitte, Domine, ut interrogem, quis obtulit? Melchisedech, sacerdos ille, cuius sacerdotium manet in æternum per humanitatem, Deo panem et vinum obtulit.<sup>a</sup> Quid hic aliud actum mystice, quam quod per sacerdotem legis novæ per humanitatem Christi hostiam Deo Patri in sacrosancto et adorando altaris sacrificio offerentem agi realiter videmus?

Vere judicia tua abyssus multa, Domine, et mysteria tua profunda nimis. Quis in illis, quæ hic de Melchisedech, rege Salem scripta sunt, figuram alicujus veritatis quæsivisset, si eam, ne in tenebris litteræ sepulta maneret, ipse imprimis David<sup>1</sup> et in sensu ejus Apostolus<sup>2</sup> quoque non manifestasset? Et vere in meditatione Scripturarum consistit infinitus ille thesaurus et dulcedo animæ te quærantis. Ne desiste,<sup>b</sup> quæso, igitur, Deus, in misericordi opere tuo in me (quamvis indigno) inchoato, sed dignare reducere me, si erro, illuminare, dum hæsito, confortare, dum deficio, et revelare, quæ sunt proficia ad gloriam tuam et utilia ad salutem meam, ut quo plus me illuminaveris, eo plus amem te!

#### SUPER CAPUT 15.

Continuo, Domine, te miserente applicare figuram veritati. Et ecce, in exordio hujus capituli (1) inter victorias de tot inimicis partas fratrem, substantiam familiamque ejus liberatam et promissiones tuas reiteratas timentem Abraham et a te miserente confortatum video. Divitiis omniisque substantia affluit et tamen sollicitus est. Cur dubitem et ex his consideratis Abraham typum fuisse naturæ humanæ, cuius proprietas est semper desiderare, semper sollicitari et futurorum eventus timere. Hic est, qui angebat eum, et merito; considerando enim statum generis humani conveniebat hæc sollicitudo Abrahomo qua figuræ ejus. Habuit genus humanum virtutem generandi naturalem ad multiplicandum semen suum, sed quia sub peccato fuit, non erat capax recipiendarum salvificarum gratiarum Dei, et sic quodammodo incapax [37:] erat generandi seu promerendi. Et hæc exprimuntur in matrimonio Abraham cum Sara. Cum enim per illud duo fuerint in carne una,<sup>3</sup> nihil obest, quin repræsentent hanc duplicem: activam et quodammodo passivam fecunditatem. Abraham enim generationis naturalis activæ capax fuit, sed Saræ uterus clausus fuerat. Eo modo ergo, quo sancti patres gementes in lymbo Messiam desideraverunt, gemitus naturæ humanæ repræsentatur in hac Abrahomi figura.

Propterea tibi, Deus, dicenti: Ego sum merces tua magna nimis, respondet in sancta illa simplicitate fidei suæ: (2) Domine Deus, quid dabis mihi? Ego vadam

<sup>a</sup> Correxit ex *obtulisse*

<sup>b</sup> Sic!

<sup>1</sup> Cf. Ps. 109,4.

<sup>2</sup> Cf. Hebr. 7,17 sim.

<sup>3</sup> Cf. Gen. 2,24.

absque liberis; ac si subjunxisset: et præter hanc consolationem nihil me satiare potest. (4) Statimque sermo Domini factus est ad eum dicens: Non erit hic heres tuus, sed qui egredietur de utero tuo, ipsum habebis heredem. Et per hunc versum confirmare dignaris, Domine, veritatem, quam in præcedentibus rettuli, Abrahamum nempe et Saram eandem hic veritatem repræsentare, et ecce, promittitur Abrahamo heres ex utero suo, id est, Saræ.

(5) Deus aeterne, quanta est bonitas tua! Et in Abraham quam misericorditer agis cum prævaricatore homine! Tu fuisti dignatus vocare Abraham, promittere illi possessionem terræ amplæ et fertilis, tot miraculis protexisti illum in Ægypto, toties dignatus es loqui ei, et in primo versu hujus capitinis animas eum. Ecce, promittis ei hoc quoque, quod desideraverat, et monstrans illi cælum seminis ejus multitudinem stellarum numero comparas. (6) Credidit ille tibi, et reputatum est illi ad justitiam. Vere non est judicium tuum, sicut judicium hominis, qui judicat ex ore, tu vero ex corde. (7. 8) Os enim Abrahami dicit: Domine Deus, unde scire possum, quod possessurus sim eam?, scilicet terram, quam in præcedenti versu iterato dignatus es promittere illi. Sed cor Abrahami longe aliter loquebatur tibi, et hujus loquela reputata est illi in justitiam.

Dignaris, Domine, per hæc repræsentare mihi œconomiam sapientiæ et misericordiæ tuæ in conductu justorum et omnium hominum, quos secundum doctrinam novi Hominis Dei non illa coinquinant, quæ per os fiunt, sed quæ ex corde exeunt.<sup>1</sup> Fides in Abraham exoperata est fertilitatem seminis sui, sed respectu seminis promissionis repræsentavit fidem Mariæ, in quantum figura fuit generis humani Abraham, quæ beata fuit, quia credidit, et quod in corde sensit, ore quoque elocuta est per illud verbum, quod illi Verbum suggestit: Ecce, ancilla Domini, [38:] fiat mihi secundum verbum tuum!<sup>2</sup>

Hinc ex hac differenti fidei expressione in figura et in figurata Virgine patet differentia. Abrahami enim fidei tantum promissum fuit, quod Sacrae Virginis datum est, et secunditas illa, quam dixi, passiva generis humani, ut efficiatur capax gratiarum salvificarum Dei, in Sara præfigurata in Sacra Virgine salutarem suum effectum obtinuit. Uterus denique Saræ se nolente clausus uterum Maria<e><sup>a</sup> volente<sup>b</sup> virginali sigillo clausum præfiguravit. Illum fides fecundavit, sed hunc illæso sigillo aperuit.

Sed quamvis hæc cogitatu suavia et jucunda appareant, revertor per gratiam tuam ad considerandam sequelam responsi Abraham, qui signum a te petiit, quod possesus esset terram, quam promisisti illi, et quia Abraham (prout sæpius dixi) humanae naturæ figura fuit, in hac apparenti dubitatione dubitationem Zachariæ de nativitate Ioannis,<sup>3</sup> et signum, quod petiit, expressit. Et profecto reperio quodammodo convenisse, ut promissione terræ, in qua Abraham dubitare visus est, figuraretur ille (Joannes nempe), qui primus hominibus terram illam veram promissionis, Regnum Dei annuntiavit et promisit.

Quamvis enim non dubitem unam et alteram harum veritatum me sæpius per gratiam tuam et clarius reperturum, in quantum differentiam fidei respiciunt, vere conveniens fuit, ut per patrem credentium repræsentarentur. Nec mirum ergo videbi-

<sup>a</sup> Correxit ex *Mariæ*

<sup>b</sup> Correxit ex *volentis*

<sup>1</sup> Cf. Matth. 15,11.

<sup>2</sup> Ecce....: Luc. 1,38.

<sup>3</sup> Cf. Luc. 1,18. sqq.

tur mihi Abrahamum Deo, illi primo de herede loquenti simpliciter et absque hæsi-  
tatione credere et ab eodem Deo terram promittente signum expetere, cum, prout  
dixi, ibi fidem Mariæ figuravit, hic Zachariæ dubitationem expressit. Zachariæ fides  
enim, quoniam exaltationem naturæ præcessit etconomiam operationis salutis  
ingrediebatur, in figura mysteriorum tam fecunda digne expressa est. Denique ubé-  
riore deductione facta futuræ patriæ realitatem realis terræ possessionis promissio  
designat.

Fateor, Domine, me dubitare, num pactum tuum, (7) quod cum Abraham hoc loco  
iniiisti et sacrificia, quæ exegisti, figuræ sint, cum nonnisi temporalem terræ promis-  
sionem respiciant, quæ tantummodo semini Abraham promittitur hic, et ideo limi-  
tantur fines ejus a flumine Ægypti usque ad Euphratem, prout v. 18. clare designat.  
Quamvis autem sacrificium hoc et pactum Abrahami tecum, Domine, initum figuras  
veritatesque novi testamenti non respicere dixerim, imploro tamen, Deus, gratiam  
tuam, ut intelligere possim verum sensum sacrificii et visionis Abraham, in quantum  
populum Israeliticum [39:] respiciunt.

Ab orbe condito hactenus nonnisi de tribus sacrificiis agi recordor: de sacrificio  
Cain et Abel, de sacrificio Noe; et hoc tertium,<sup>a</sup> ad quod considerandum petii gra-  
tiam tuam. Primum ab Adamo filios edoctum in agnitionem supremi dominii tui,  
Deus, factum, secundum gratiarum actorum ac propitiatorium fuisse non dubito, et  
hinc quid et quomodo in hoc et illo oblatum est, non inquisivi. (9) Sed hic differens  
est ratio, concernit enim pactum inter Deum et creaturam Deo instituente, et quod  
adhuc plus et incomprehensibilius est, securitatem creaturæ datam de veritate verbi  
Creatoris concernit.

O perversa natura humana, quid facta fuisti per peccatum et quid facta es per  
gratiā, nihil clarius hoc exemplo demonstrat! Antequam enim gratiarum salvifica-  
rum recipiendarum capax reddita non<sup>b</sup> fuisse, per gratiam tibi demeritam nec lo-  
quenti Deo credidisti, sed ab ipso pactum exegisti, sed postquam gratiarum fecundi-  
tatem recepisti, Deo intrinsecè loquenti firmius credis, quam antea visibilibus et  
horrendis ac manifestissimis signis præsentiae Dei. Et hinc debilitati ac infirmitati  
tuæ indulxit bonitas Dei, novit enim figmentum suum, novit tenebras suas non sem-  
per generari et procedere a voluntate, sed derivari plerumque a tenebris peccati  
primi hominis.

Quidquid, Deus, tibi homo dedit, jure supremi dominii a te exigere potuit, sed  
nihil se dignum in satisfactionem repperit, ideo nullo sacrificio peccatum expiasset,  
nisi animam et sanguinem, denique totum hominem sacerdos et victima Deus Deo  
obtulisset. Hinc quia Deus quod ad imaginem suam creavit, inaniter destrui noluit,  
ideo sacrificium sibi per oblationem corporis humani præstari non tantum non jussit,  
sed sanguinem hominis effundi severissima lege Noe post diluvium data vetuit.<sup>1</sup>  
Præcedente tamen in parcendo misericordia justitia Dei exigit jus Creatoris a crea-  
tura in agnitionem supremi dominii; et hinc factum, ut se justitia signis realis futuri  
sacrificii ad interim quodammodo contentaret. Et hoc est, quod Adam inter filios  
instituit, Noe continuavit, hic ipse Deus Abrahamo monstravit, postmodum lege  
instituit. In signo porro aut figura veri sacrificii nihil animam et corpus hominis

<sup>a</sup> Nota cambium structuræ

<sup>b</sup> reddita non transposita per numeros 2. 1.

<sup>1</sup> Cf. Gen. 9,5–6.

melius repræsentare potuit, quam sanguis animæ viventis, sedes animæ et principium constitutivum corporis.

Sumuntur ergo animalia duarum specierum, unius, quam aquæ produxerunt<sup>a</sup> in volatilibus, alterius, quæ terra produxit in pecoribus, ut universam animam viventem repræsentent. (10) Dividuntur terrestria, ut [40:] repræsentent et illud corpus, quod ex terra sumpsit figuratum, et veri sacrificii materia fuerat, et hoc agnovit in spiritu Abraham. Ideo non jubente, sed inspirante Deo a se fecisse patet ex Scriptura. (11) Volucres porro ad cadavera descendentes, quas Abraham abigebat, dicam designasse gentes, quæ huic pacto se opposituræ erant, et fors futuras contradictiones inimicorum ejus repræsentabant.

(12) Ut porro declarandæ prophetiæ fides in Abraham eo melius solidetur, irruit horror in Abraham, qui particularem præsentiam Creatoris ipsum modo, quo a creatura sensibilius fieri posset, sentire fecit, et hunc subsecuta est futurorum manifestatio. (13. 14. 15) Impresserat horrorem Deus parti spirituali, prout dixi, ut Abraham sentiret præsentiam Dei; caligo et ignis per medium animalium transiens gloriam suam<sup>b</sup> obscuram et luminosam sensibus quoque corporis visibilem repræsentavit. Clibanus autem captivitatem et afflictiones populi velut in clibanum ponendi confirmavit. Et sic fœdus hoc inter Abrahānum et Deum pactum sanguine fuso signatum est, quem Deus tamquam signum veri sacrificii non acceptasse, sed tantum odorasse dicitur ubique in Scriptura, ubi de sacrificiis agitur.

Sed cum de his uberioris contemplandis ampla mihi dabitur materia, adoro te, Domine, et laudo te pro omnibus, quæ his quoque manifestare dignatus es mihi.

#### SUPER CAPUT 16.

Semper et ubique in omnibus operibus tuis admirabilis et exaltandus es, Domine, sed quam profundus es in mysteriis sacrarum Scripturarum tuarum, in quibus tot arcana, tot abscondita reservas sub tam simplici narratione historiæ! Revelavit<sup>1</sup> Paulus, beatus ille apostolus, cui tam ineffabilia revelasti, mysterium, quod mihi in hoc capite contemplandum occurrit, et hoc his, quæ hactenus ex tua bonitate rettuli, ita correspondet, ut me vere exsultare faciat in te, Deo, salutari meo.<sup>2</sup> Cum igitur sciam ex jam dictis apostoli Agar fuisse veteris testamenti figuram, non inquiram, cur Sara usque ad octogesimum quintum annum Abrahāmi exspectaverit, ut hanc ancillam aut aliam servam traderet marito suo in finem, quem (1. 2) versibus commemorat Scriptura. Ex filo enim applicationis figuræ apparebat prius oportuisse vocari Abrahām, peregrinari et in promissionibus confirmari, ut hæc generatio ejus a serva mysterium sit et non simplex [41:] eventus. Serva Ægyptia itaque fuit figura legis, qua ex Ægypti servitute exeuntibus filiis Abrahæ publicanda erat. Ex senectute Abrahām apparuit tamquam ex figura sterilitas humanæ naturæ, quæ post evolutos a mundo condito secundum quorundam calculos 2106 annos non nisi a serva in servitatem generare potuit, quia tamen servi, ut ita dicam, legales seu populus Hebræus

<sup>a</sup>Correxit ex produc-

<sup>b</sup>Correxit suam in tuam (incorrecte!), correxi ex tuam (cf. Ms. fr.: sa gloire)

<sup>1</sup>Cf. Gal. 4,22 sqq.

<sup>2</sup>Cf. Luc. 1,47.

filios liberos et adoptivos præfiguravit, illum ex utero servæ exire non decuit, sed per servam populum sub communi lege naturæ viventem generari oportuit ex ratione figurarum.

(4) Concepit proinde serva et vix concepit, despexit dominam suam. Quam bene correspondet figura originali suo! Vix enim populus, quem hæc serva figuravit, testamenti legem recepit, Deum despexit et vitulum aureum adoravit.<sup>1</sup> Fugit Agar in solitudinem, et populus in ea circumductus est, et hic quidquid inter Agar et Saram evenit, Moysi applicari posset. Postquam enim populus ad montem peccasset, tu, Domine, Moysi loquens non amplius populum tuum, sed suum, id est, Moysis, appellas, prout Abraham dixit Saræ: Ecce, ancilla tua in manu tua est etc.

Sed totum, quidquid cum Agar actum, vetus testamentum respicere credens transgredior cetera, ut ad contextum historiæ Abraham te adjuvante perveniam.

#### SUPER CAPUT 17.

Dulce est mihi, Domine, commorari in conspectu tuo, dum tu dignaris loqui mihi, sed dum avertis paulo faciem tuam a me, heu, quam cito contribulor! Quam aridus, quam hebes efficior! Tu scis, Domine, non me delectari per gratiam tuam in illis, quæ tua non sunt, tangunt tamen me nolentem, et quamvis ad cor non penetrent, mentem tamen offuscant. Sed, o Domine, ecce, de figura naturæ humanæ contemplor, et veritatem miseriarum ejus ipsem experior. Quid petam proinde a te, Domine, ne talis sim? Anne petam, ut me ad statum tranquillæ solitudinis reducas? Nescirem pariter, quid peterem, cum ignorem consilia tua de me, num per me pro te, num me per proximum pro te velis conservare in mundo, seu an velis me solum, an et alios per me te semper et in omnibus adjuvante? His proinde et omnibus tibi, o summum bonum meum, relictis et adorandæ providentiæ tuæ commissis da<sup>a</sup> lumen, ut coram te constitutus ne sim elongatus a te. Promptus est enim intellectus [42: ] meus ad divagandum et ad ambulandum per inania. Et his a te humiliter exoratis, ecce, ego egenus et pauper accedo ad arcum thesaurorum tuorum. Fac me de illis participem, quantum vis et prodest mihi!

Dixeram, Domine, et nunc mihi denuo in mentem revocare opus est Abrahenum figuram fuisse naturæ humanæ, sed quia figuram cum veritate (prout jam memini) sola memoria juvante combinare hequivi, ex hoc capite adverto non me sat clare distinxisse triplicem statum naturæ humanæ: vocatæ, exaltatæ et glorificatæ. Ceteris enim gentibus in adinventionibus et spississimis tenebris suis relictis Abraham solum vocasti, ut ex hac figura agnoscam naturam humanam non coactam, sed liberam, non tamen ita liberam, quin vocatam seu non sua sponte se te miserente pervenisse ad exaltationem et demum ad glorificationem.

Et hinc observo ter reiterari promissiones Abrahamo, primo<sup>b</sup> statim ad initium suæ historiæ: Egredere de terra tua, faciam te in gentem magnam, et benedicam tibi, et magnificabo nomen tuum erisque benedictus. Benedicam benedicentibus tibi, et maledicam maledicentibus tibi atque in te benedicentur omnes cognationes terræ. Et

<sup>a</sup> da sc. mihi cf. Ms. fr.: donnez moy

<sup>b</sup> Ante primo in margine: Cap. 12. v. 2.

<sup>1</sup> Cf. Exod. 32,5 sqq.

hæc erat promissio ad vocationem spectans, generalis et respectu subsequentium obscura, sed disponens ad credendum, ut fides ejus reputetur ad justitiam.<sup>1</sup>

Hinc secundo: Noli<sup>a</sup> timere, Abraham! Ego protector tuus et merces tua magna nimis. Statimque sermo Dei factus est ad eum dicens: Non erit hic heres tuus, sed qui egredietur de utero tuo, ipsum habebis heredem. Eduxitque eum foras et ait illi: Suspicere cælum et numera stellas, si potes; et dixit ei: Sic erit semen tuum. (6) Dum hoc credidisse reputatum est ei in justitiam, et Deus subnectit: Ego Dominus, qui eduxi te de Ur Chaldæorum, ut darem tibi terram istam et possideres eam. (7) Et denuo in illo die peperisti fœdus cum Abraham dicens: Semini tuo dabo terram hanc a fluvio Ægypti usque ad fluvium magnum Euphratem. (18) Et demum in sequentiibus versibus denominas, Domine, gentes, quas subjecturus eras ei. Et hæc erat promissio ad exaltationem inter gentes, quibus voluisti, Deus, notam reddere majestatem et magnitudinem tuam figura exaltationis futuræ naturæ humanæ per unionem naturæ divinæ.

Et demum,<sup>b</sup> ecce, sequitur tertia promissio et incipit per præambulum: (1) Ambula coram me, et esto perfectus, (2) ponamque fœdus meum inter te et me, et multiplicabo te vehementer nimis. Sed numquid, Domine, jam fœdus tuum posuisti cum Abraham, capite præcedenti? Ita profecto, [43:] sed fœdus illud, prout aut dixi, aut dicere volui, tantum terram Canaan respiciebat ut terram, sed in hoc capite terra Canaan ubique figuraliter intelligetur. (3) Sensit hic majestatem Dei modo differenti, quam ante Abraham, (1) apparuit enim ei Dominus. In prima promissione locutus est ei Dominus, et in secunda factus est sermo ad eum in visione Dei. Et ex his differentibus quoque promittendi modis observo ego efficaciam loquelæ tuæ ad eos, quos trahis.

Dixitque Deus: (4)<sup>c</sup> Ego sum, et pactum meum tecum erisque pater multarum gentium. (5) Mutas nomen quoque ejus, ut hæc promissio omnibus ceteris major et mysteriosior appareat. (6) Non opus est, Domine, mihi hic transcribere clara verba Scripturæ ad sensum meum spectantia, sed ut non tantum in tantis divinorum verborum emphasis consistat promissio, sed distinguatur a præcedentibus, dicis, Domine: (8) Et statuam pactum meum (fœdere sempiterno) daboque tibi et semini tuo (omnem terram Canaan) in possessionem æternam.

O Domine, non est<sup>d</sup> explicare, sed nec intelligere verbum tuum, hæc verba tua velle attrahere ad Hebraismos, ad metaphoras et quid scio quot<sup>e</sup> rhetoricae figuræ et elocutionum modos. Tu enim, Deus, qui simplicitatem amas, non sic soles loqui. Habet tamen tuum verbum suas obscuritates, sed illæ non consistunt in verbo tuo puro et simplici, sed in corde et mente loquentis. Frustra enim homo audit et legit illud, nisi tu sis cum illo et in illo, profecto audiens non audiet et legens non intelliget. Hinc longe a sensu eorum, qui prædicta pro Hebraismis sumunt, concludo ego has omnes promissiones statum glorificationis naturæ humanæ respexisse et sub figura terræ Canaan regnum æternum et beatitudinem filiorum Dei designasse. (9)

<sup>a</sup> Ante noli in margine: Cap. 15. v. 4.

<sup>b</sup> Ante demum in margine: Cap. 17.

<sup>c</sup> Corrixi ex 3.

<sup>d</sup> est i.e. potest?

<sup>e</sup> quid scio quot pro nescio quot (cf. Ms. fr.: je ne sais quelles) fortasse ut Hungarismus ('mit tudom, mennyi')

<sup>f</sup> Cf. Gen. 15,6.

Ideo dicis, Domine, ad Abraham: Et tu ergo custodi pactum meum, ut agnoscamus non sufficere ingredi pactum, sed debere et custodiri seu, ut clarius explicem: qui servat mandata tua, ille est, qui diligit te.<sup>1</sup> Et præterea doces illud quoque me, quod me sine me non salvabis, nec proinde sufficere, prout dixi, pepigisse, sed et observari debere fœdus.

His præmissis edicis pactum tuum. Credidi, Domine, ex lectione præcedentis capitis sufficere aliquot animalia et volucres ad pactum tecum ineundum et ecce, stupeo hic te de pacto loquentem aliud quid exigere, quod Deo indignum prorsus videretur mihi, nisi tu velles et juberes. Et ex his confirmor novam promissionem, novum pactum et omnia nova designare hoc caput Scripturæ tue.

(11) [44:] Sed, o Domine, audeamne te interrogare, quid hoc stupendum, quod mandas? An ipsum præputium vis in fœdus vel sanguinem effundendum ex ratione, propter quam dixi sanguinem animalium suave olere in conspectu tuo? Quodsi sanguinem, cur non contentaris sectione venæ? Si carnem, cur non aliam, quam indecentem hanc portionem carnis aut pellis? Benedictus sis, Domine, qui hoc mystérium mihi explicare dignaris, glorificationem naturæ humanæ nempe non constitisse solummodo in eo, quod Filius Dei incarnatus erat, nec se hæc glorificatio extendisset præter individuum humanitatis Christi, nisi adopti fuisse in filios Dei. Hæc porro adoptio impressionem characteris requisivit in anima, cuius anima hominis ante passionem incapax fuit. Idcirco figuram veritatis subsecuturæ in anima repræsentari voluisti, Domine, in carne, sed quia hæc impressio characteris in anima est invisibilis, ideo etiam circumcisio facta in parte corporis ex ratione pudoris invisibili præsupposita. Sed et aliunde non reperitur in corpore humano quidpiam aliud, quod absque sensibili deformitate aut incommodo abesse posset.

Hæc porro characteris capacitas per passionem Christi et effusionem sanguinis est demerita toti naturæ humanæ, et ideo dicitur Christum passum fuisse pro omnibus hominibus, sed fors non oportet, ut fiat nova impressio, sed lotio, ut character obscuretur<sup>a</sup> et fœdatus per peccatum appareat, in quo consistit nova illa regeneratio in nomine Sanctissimæ Trinitatis. Et quia hujus regenerationis figura fuit creatio hominis, prout dixi, ita et hic ab extra et ab intra inseparata actione agit Trinitas nobis distincte (antea vero sub denominatione pluralitatis faciamus et similibus) manifestata.

Sed, o Domine, nequid intelligo memet ipsum. Loquor enim de charactere filiorum Dei, sed quid et in quo consistit hic character, qui debet quodammodo imprimi in anima? Nescio, Domine, an correcte et theologicæ loquar, sed quia tu me intelliges, sufficit mihi, et dicam hunc characterem consistere in imagine et similitudine Dei,<sup>2</sup> in qua creatus fuit Adam, imaginem Dei consistentem in potentiis animæ conservavit, similitudinem, quæ puritas et innocentia fuit, fœdavit per peccatum et hanc nobis restituit sanguis Christi, qui nobis per lotionem externam et per verba institutionis in se virtutem divinam comprehendentia et secunda applicatur, et omnibus maculis ac sordibus animæ lotis appetit in illa imago et similitudo Dei. Nisi enim homo hanc haberet, in heredem adoptari [45:] et in filium nequivisset. Et hæc

<sup>a</sup> Corrixi ex *obscurator*

<sup>1</sup> Cf. Ioan. 14,21.

<sup>2</sup> Cf. Gen. 1,26.

est nova gloria naturæ humanæ per unionem naturæ divinæ superaddita, quam ante peccatum Adami non habuit, et ideo Ecclesia culpam Adami felicem<sup>1</sup> fuisse canit.

Videor, o Domine, recessisse a textu, sed non a sensu; credo enim oportuisse meum sensum intelligibilem reddere mihi met ipsi et ideas meas distinctim eloqui. Ideas meas dico, Domine, non quod eas mihi attribuam absolute, sed condionate, si non sunt conformes doctrinæ aut spiritui Ecclesiæ tamquam fetum mali, quod est in me; doctrinæ et spiritui, inquam, quia possunt esse quædam, quæ fors specialius mihi, quam aliis dignaris revelare et illa non ad doctrinam (cum vel nova non essent vel de illis doctrina non haberetur), sed ad spiritum ejus revocanda et secundum illum dijudicanda, donec tu, Domine, decidere digneris per Ecclesiam et demonstrare, num tua fueri[n]t<sup>a</sup>, num mea.

(14) Homo sum, Domine, peccator et ideo ignorantia est pars hereditatis meæ. Erravi et ecce, errorem meum confiteor tibi; a me locutus sum et ecce, fors falsa protuli, dum dixi in præcedentibus ideo te jussisse circumcisio, ut sit vere figura veritatis characterem imprimentis; et ecce, citatus versiculus demonstrat mihi insipientiam meam, cum circumcisio non potuerit extendi ad feminas. Hinc fors satius est statuere, quod subjunxi ex ratione deformitatis mutilationis.

Denique in præcedentibus me duas propositiones protulisse sentio. Unam, per baptismum characterem indelebilem imprimi, alteram, cum hunc characterem in imagine et similitudine Dei consistere statui, tantum lotione indigere dixi, ut appareat, quod fuit. Hactenus hæc possent apparere contraria, et viderentur mihi met ipsi talia, sed dum me reflecto rettulisse, quod per unionem naturæ divinæ cum natura humana huic nova gloria sit superaddita, non verebor dicere hanc characteris impressionem (talem, qualem ego corporalis non capio) secum ferre, cum vero circumcisio solummodo figura fuit, in masculis satis repræsentavit, cum coram Deo non sit distinctio sexuum in illis, quæ salutem et spiritum concernunt.

Confirmor, Domine, in his per verba tua: (14)<sup>b</sup> Eritque pactum meum in carne vestra in æternum. Si enim hæc ad litteram deberent intelligi, numquam circumcisio aboli debuisset, sed nec feminæ salvatae fuissent. Quod ergo de carne dicitur in figura, debet intelligi de anima in veritate, in qua pactum Dei, prout in circumcisione, in carne, ita hac ablata in anima apparere debet. (14) Et ideo hunc textum subsequentem clarius aut in suo sensu explicuit [46:] Veritas æterna dicens: Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu Sancto, non intrabit in regnum cælorum.<sup>2</sup>

(15) Hoc pacto tuo declaras, Domine, reiterare promissionem de semine modo et expressionibus longe particularioribus, quam hactenus fecisse legi in Scriptura. Hactenus enim, prout in præcedentibus connotaveram, Abrahamo heredem ex utero suo promisisti. Nunc porro uterum Saræ, quem hactenus clausum tenuisti, reserare dignaris, id est, humanam naturam per nativitatem Christi te fecundaturum nunc indicas. Quidni dignum mutare nomen Abrahæ et Sarai, cum ejusdem veritatis sint figuræ, qua designatur naturam humanam ex servitute in libertatem reductum iri, cum Sara principissa interpretetur? Numquid ante jam Saræ et Abrahamo hæc promisisti? Cur, Domine, hic reiteras? Nihil hic superfluum, nulla Deo et Spiritui ejus indigna repetitio. Textum ad veritatem applicabo et apparebit finis tuus, Domine.

<sup>a</sup> Corrixi ex fuerit

<sup>b</sup> Recte: 13?

<sup>1</sup> Cf. Exsultet (Laus cerei)

<sup>2</sup> Nisi...: Ioan. 3,5.

(16) Et ait Deus ad Abrahamum (naturam scilicet humanam active generantem): Ecce, Sara (natura humana scilicet in feminis passive generans) pariet tibi filium. Sed non hic dicitur amplius, prout ante, quod Abraham generabit hunc filium vocabitque nomen ejus Isaac, id est, risus aut potius gaudium, sed adhuc clarissimum hoc expressit praecedens textus: Dabo tibi ex illa filium, prout filius ille (in quem promissio in hoc capite facta cadebat) datus fuit ex Maria Josepho. (17) Ad tam stupendam æternarum promissionum mysteriorumque promissionem risit Abraham et cecidit in faciem suam. Et vere risum fecit ei Dominus, non dubitationis, sed intrinsecæ illius lætitiae charitatis, quæ ex corde <ejus<sup>a</sup>> pleno prodit saepe in vultum justorum, et cordis amœnam serenitatem denuntiat. Et interrogatio hæc non est dubitationis, sed est interrogatio admirationis? (18)<sup>b</sup> Putasne? pro, quis putasset? accipiendo.

Sed et hic se manifestat figura naturæ humanæ, quæ præsentem tunc et jam natum Ismael nascituro Isaac futurorum ignara prætulit. (20) Extenditur itaque benedictio ad Ismael quoque generationis naturalis seu carnalis, (21) sed pactum repetis, Domine, te statuere ad Isaac, quem pariet Abrahamo Sara. Promisisti, Deus, benedictionem multiplicationis Ismaeli, sed pactum nonnisi Isaac respicit.

O Deus misericors, quam stupenda et quam inexpectata mihi vidi hactenus in his! Nec hæsito illa proferre, quia quodammodo sentio veritatem, quamvis ex metu spiritus humani nolle cum indocilitate adhærere illis. Nova tamen (aut potius dicam, vetera) [47:] hactenus vel numquam vel non communiter prolata non vereor dicere, sed aliorum judicio submitto. Cum enim inexhaustibilis sit Scripturarum thesaurus, potes, o Deus, dare cuilibet, quod tibi placet. Tu scis, o Domine, nihil, nisi panem petere<sup>c</sup> a te. Quodsi porro condita et tam suavia fercula largiris, num laus mea erit? Absit, tua enim sunt dona hæc fercula, ego nonnisi manduco, et anima mea nutritur illis.

Ecce, o Summum Bonum, horum necdum saturem<sup>d</sup> et alio excellenti alimento nutrire dignatus es: sacramento altaris nempe, corpore et sanguine veri illius Isaac, filii promissionis. Quantæ sunt hæc gratiae! Quanta dona! Quantum convivium, quod ego tam obiter degusto, quia quamvis esuriens non esurio. Num his contraria dico? Non, profecto, esuriens sum etenim, in quantum vacuus charitate, sed non esurio plenus terrenis et concupiscentia illa, quæ me velut pondus et onus grave trahit et retrahit nimis a te. Quanto sum felicior Abraham, qui diem hunc tantum vidit in spiritu et gavisus est? Ego porro realiter vidi et tam indifferens sum! De die loquor, in quo homo pascetur carne Dei Hominis. Sed o Domine, cum hæc mihi revocare dignaris in memoriam, instrue me, quæso, quando vidit diem Christi Abraham, cum hactenus necdum revelasti mihi eum instructum fuisse de mysteriis promissionis. Quodsi enim fuisse, sola vita Ismaelis quodammodo non<sup>e</sup> fuisse contentus? Sed parce mihi, Domine, necdum venit enim tempus hoc inquirendi. Multa restant, cum necdum natus sit Isaac, sed tantum promissus est.

Duc me igitur, Domine, per has vias tenebrosas, prout placitum est tibi! Ego enim ideo sumpsi te, ut sis dux meus et lumen meum, amor cordis mei, Jesu mi!

<sup>a</sup> Delevit *ejus*

<sup>b</sup> Rectius 17?

<sup>c</sup> petere sc. me (cf. Ms. fr. *je ne vous demande que*)

<sup>d</sup> saturem sc. me (cf. Ms. fr.: *vous daignez me nourrir*)

<sup>e</sup> Superscriptum super vocabulum 3 vel 4 litterarum

Circumcidit se Abraham, (1) prout ex præcedentis capitinis fine didici, et apparuit illi Dominus in convalle Mambre: (2) Cumque elevasset oculos, apparuerunt illi tres viri stantes prope eum et adoravit in terram. Quid his manifestius repræsentatur, quam quod in baptismate (cujus figura Abraham dum signatus fuisse), vidit<sup>a</sup> revealandum fore Sanctissimæ Trinitatis augustissimum mysterium? Et ne in hac figura credamus personas divinas sub angelorum specie fuisse, (1) distinguitur apparitio Dei a tribus apparentibus angelis. (2) Unde colligo apparitionem Dei [48:] fuisse intellectualem et apparitionem angelorum visibilem.

Nescio, Domine, num figuram, num historiam debeam dicere manductionem angelorum et hospitalitatem Abrahami erga eos (3. 4. 5. 6. v.) contentam. Ego enim suppono esse historiam pro connexione figurarum relatam, veram tamen et realem una cum versibus (7. 8), figura autem et mysterium incipit in (v. 9). Sed ecce, tu vides, Domine, quod non valeo enuntiare, quod intelligere videor mihi te adjuvante. Attentione enim et magna subtilitate nimis indiget vers. (10), sapit figuram Annunciationis, quod refertur. Dicamne Saram figuram fuisse Sacræ Virginis, (9) dum ipsi conceptionem angelus jam in singulare, ante in plurali loquens denuntiat? Absit, Maria enim creditit, Sara dubitavit. Sara clausi uteri senex, Maria virgo fuit. Hoc tamen non obstante multa video ad hanc rem tendentia, in figura enim (sed nec in applicatione) nihil video, quod Saram respiciat. Abrahæ enim et in ipso generi humano facta est promissio, id est, consequenti semini ejus, non antecedenti, ex quo Sara fuit. Hinc Abrahami fides, non Saræ requirebatur, ut reputetur ad justitiam,<sup>1</sup> et ideo semper Saram dubitanter, Abrahatum porro firmum reperio in fide.

Quod porro Sacram Virginem respicit, figurative ad Abrahatum (tamquam patrem seminis Virginis) refertur. Nam mysterium incarnationis non soli Sacræ Virginis, sed toti generi humano profuturum ad illud et ad Abrahatum tamquam figuram naturæ seu generis humani referebatur. Nihil obest ergo, quin in hoc sensu ab angelo hic facta annuntiatio annunciationem Virgini factam figurare potuerit. Prout dixi tamen (et pro elucidatione nec sufficienter repeterem possum), non Saræ risus, sed Abrahami fides Mariæ fidem et submissam voluntatem designavit, cum et in Virgine, non Saræ, sed Abrahæ semen considerandum est. In his autem cunctis Saram se passive habuisse, nec aliquid operatam fuisse et figura ita exprimente clarum est, nec igitur risum nec dubitationem ipsius respexisti, Domine, nisi oculis misericordiæ tuæ, cum in operatione hujus profundi mysterii sapientiæ tuæ, in figura fides patris non obstante dubitatione matris, in mysterio porro figurato fides mariæ non obstante dubitatione Josephi reputati patris requisita fuerit ex iam prolatis te adjuvante consequentiis.

Pari fere loqua et Sara et Maria respondent angelo: (12) Quomodo fiet istud?<sup>2</sup> Sed in longe dispari dispositione hæc et illa interrogant. (14) Sed et angelus nihil impossibile Deo futurum asserit,<sup>3</sup> et suo tempore [49:] adorandum decretum Dei in utraque suum effectum sortitum est. Quia tamen angelus Saram de risu redarguens dominus appellatur (15), possum etiam dicere non hic annunciationis figuram repræ-

<sup>a</sup> Signum ) transposui

<sup>1</sup> Cf. Gen. 15,6.

<sup>2</sup> Cf. Luc. 1,34.

<sup>3</sup> Cf. Luc. 1,37.

sentatam fuisse, sed in consequenti figura<sup>a</sup> manifestationis futuræ Sanctissimæ Trinitatis mysterii posset dici hic repræsentatas<sup>b</sup> fuisse singulas divinitatis personas incarnationis opus operaturas: Pater in paternitate, Filius in filiatione, Spiritus Sanctus in conceptione.

His proinde pro debilitate capacitatis meæ ex bonitate tua, Deus, taliter enucleatis, (16) ecce, video in spiritu consurgere viros oculos suos contra Sodomam dirigen tes et Abraham simul gradientem cum illis, (17) sed rei gerendæ turnet ipse videris edicere mysterium dicens: Non celare potero Abraham, quæ gesturus sum. Quare? (18) Cum futurus sit in gentem magnam etc. (19) Scio enim, quod præcepturus sit filiis suis et domi suæ..., ut custodiant vias Domini, et faciant judicium et justitiam, ut adducat Dominus propter Abraham omnia, quæ locutus est ad eum; ac si dices, Domine: non celare possum Abraham judicia mea super ceteros homines, quos ex consequenti aut antecedenti promissio mea et ordo decretorum meorum respectu salutis non respicit.

Et vere conveniens erat figuræ generis humani revelare et demonstrare figuram omnium ex justo judicio Dei damnandorum. Quomodo procedant proinde circa eos judicia tua, Deus, ex hoc horrendo Sodomorum exemplo eliciendum est. (20) Duo hic manifestantur, quæ exaudiuntur a te, Domine. Primo<sup>c</sup> clamor multiplicatus, [et] secundo<sup>d</sup> peccatum aggravatum nimis. (21) Et tunc quoque, cum descendis, scilicet cum visitare vis, utrum clamorem opere compleverint, inquiris. In instanti hæc audiuntur, videntur et decernuntur coram te, Domine, sed tu Abrahamum instruens his patientiam, longanimitatem, judicium et justitiam tuam demonstras ei. (22) Concipio proinde angelos discessisse, Abrahamum porro in apparitione intellectuali coram Deo mansisse.

(23) Vis proinde, Deus, ut interrogeris, ut pateat, quid mereatur intercessio Abrahami propter justitiam ejus, ut adducat Dominus propter Abraham omnia, quæ locutus est ad eum, prout jam dictum fuit. (19) Et quid ex hac tota subsequenti loquela edoceor, nisi quod major sit misericordia Dei, quam iniquitas hominum, et quod sit pronior ad miserendum, quam ad puniendum? Nec reprobas, Domine, quempiam, nisi cum peccatum ejus est aggravatum nimis et clamorem opere compleverit.

Magna hinc [50:] eluescit justorum consideratio coram te, sed si quis litteræ inhæret, (32) fors diceret decem justos requiri, ut parcas, minor numerus non exauditur, sed in numerum puniendorum comprehenditur. Sed quis est, o Deus juste et misericors, qui tam impie opinaretur de te? Temporalis enim mors et peccatoribus apprens pœna præmium est justi respectu vitæ æternæ. Quodsi proinde etiam in Sodomis novem justi in incendio conflagrassent, pœnæ peccatoribus debitæ subjecti non fuissent.

O quam multæ et magnæ misericordiae tuæ, Domine! Novit illas Abraham, cum intam tenera simplicitate charitatis loquatur ad te. Sed et illud quoque considerandum et manifestandum erat quodammodo necessarium Abrahamo, quanta sit paucitas justorum numero civitatum subvertendarum comparando genus humanum! Et hæc

<sup>a</sup> Correxit ex figuræ (?) (cf. Ms. fr.: *dans la figure suivante de la manifestation...*)

<sup>b</sup> Corrixi ex repræsentatum?

<sup>c</sup> In margine: *1<sup>mo</sup>*

<sup>d</sup> Delevit et, postea scripsit supra lineam: *2<sup>do</sup>*

erant, quæ filii ejus et domus ejus post eum scire debuit.<sup>1</sup> Et effectum justitiæ tuæ, Domine, spectasse patet Abramum, prout in sequenti capite videbo.

Præclarum exemplum est justi servus tuus Abraham, Domine, et vere ambulat semper coram te et repræsentat mihi characterem sanctæ simplicitatis. Audit judicia tua supra Sodomam, audit fuisse clamores, qui pervenerunt ad te, ad quos videndos, num opere compleverint, mittis ministros justitiæ tuæ, nec tamen inquirit a te, qui sint illi clamores et quod peccatum Sodomorum. Frater ejus, Loth civitatis ejus incola fuerat, nec tamen de illo sollicitatur, nec te, Deum pro illo orat, nec nuntios ad illum mittit, ut illi decretum tuum nuntiet, ut se e civitate salvet, sed ecce, postquam opus hoc charitatis erga justos in concreto rogando pro illis præstitisset, aut potius dicam, postquam ex pronitate tua ad parcendum didicisset misericordiam tuam, reversus est in locum suum.

Proprietas est simplicitatis et fundamentum ejus magna illa confidentia, quod tu, Deus, omnia, quæ facis, pro bono hominum facis. Hinc omnis ommino sollicitudinis ignara nihil in temporalibus sperat, quia nihil appetit. Nihil metuit, quia a Deo omnia juste et misericorditer fieri persuasa est. Audit rerum eventus absque turbatione, sciens providentiam tuam, Deus, omnium curam habituram, et quia homo hujus characteris se peccatorem esse persuasus est, quidquid sibi evenit, respectu illorum, quæ meritus est, leve reputans patitur in humili silentio cordis. Semper sibi similis omnibus benefacit, nemini nocet, nec se rebus ullis præter illa, quæ sibi convenient, ingerit. Hæc simplicitatis virtus mansuetudo est, soror humilitatis, filia charitatis tuæ, Deus, qui charitas es.<sup>2</sup>

Ecce, Domine, [51:] non petit a te Abraham multis verbis et orationibus pro justis, sed pauca verba ejus sunt continuati actus confidentiæ et humilitatis non ex dubietate, sed ex firma confidentia interrogantis, et hoc ipso fonte promanaverat interrogatio ejus ridentis: Putasne, centenario nascetur filius? Et hic quoque posteaquam judicia Dei edoctus fuisse, abiit in locum suum, non ad montes et excelsa, ut videat, quid futurum sit cum Sodomis, non mittit ad fratrem, ut nuntiet ei, quæ fiunt, quæ facta aut quæ futura sunt, quæ dum quis nunc facit, laudatur, charitativus, prudens, sollers, industrius dicitur et potest esse. Tu enim solus es scrutator cordium et renum,<sup>3</sup> Deus, sed similia sapissime producuntur a larvam charitatis induita curiositate, quæ filia est amoris proprii. Vult quis scire, quid futurum aut quæ facta sunt, ut discat evitare hunc vel illum eventum, cuius ex antecedentibus dijudicat causam et ex consequentibus futura præfigurans metuit vel sperat. Et hæc est laudata illa hominum prudentia, filia cupiditatis. Sed non hæc disco ex exemplo Abrahami, qui docet me ire ad locum meum, id est, non curare, quæ mea non sunt, agere porro in simplicitate, quæ mihi incumbunt.

Ecce, Domine, tu vides, quod ego quoque in simplicitate cordis mei loquar tibi. Quodsi enim hæc homines audiverint, quot et quot modis obloquentur mihi? Alius me interrogabit, cur reprobat amicum, fratrem de periculo sibi imminenti admonere, cur legem naturæ impugnem alteri facere, quod mihi fieri vellem,<sup>4</sup> cur denique charitati contrarier, quæ mihi proximum, prout memet ipsum amare<sup>4</sup> præcipit. Alius me repre-

<sup>1</sup> Sic!

<sup>2</sup> Cf. I Ioan. 4,8.

<sup>3</sup> Cf. Ps. 7,10.

<sup>4</sup> Cf. Matth. 7,12.

<sup>4</sup> Cf. Matth. 19,19.

hendet, quod regulis prudentiæ contraeam, quod cæca præsumptione omnia eventibus committere suadeam, quod denique approbato usui et plurimorum sanctorum exemplo contrarier. Quid ad hæc reponam? Nescirem profecto, si tua bonitas non me instrueret. Sed frustra de his loqui illis, qui tuam loquelas ignorant et qui fidem et confidentiam in te habendam non sentiunt, nec de illa corde, sed ore loquuntur.

Non tamen minus verum erit Abrahamum sic egisse, prout rettuli, et tamen omnium justorum prototypum fuisse et semper coram te, Domine, ambulasse. Unde apparet veritas illa hominis naturæ tam repugnans et usui mundi tam contraria: nihil hominem pro malo reputare debere, quod vitæ, quod corpori evenire potest, sed quod animæ nocet; et propterea omnes eventus tamquam utiles, tamquam justos et misericordes volenter et jucunde acceptare e manu tua et hoc fundamento in fide viva in corde stabilito de hoc [52:] principio persuasus exemplum Abrahami sentiet, nec mea prolatæ oppugnabit.

Quis enim erit in hac dispositione, et non sibi persuadebit te illi, quem afflictionibus, crucibus, contradictionibus visitare decreveris, non provisurum de illis, quæ ad hæc toleranda requiruntur aut patientiam denegaturum aut de evitandis periculis seu temporalibus seu spiritualibus non provisurum? Quodsi porro de his persuasus est, nihil de propriis, nihil de alienis sollicitabitur, sed in te confidens in sancta illa simplicitate persistens et sua et aliena tibi committit, Domine, et sic vere tuam, non suam sequitur voluntatem et revertitur in locum suum. Ille est enim locus hominis, in quo semper manere debet et sic semper in tua præsentia ambulat cum Abrahamo. Hujus simplicitatis anima est charitas, et sic homo proximo id optat, quod sibimet fieri desiderat.

Deduc me, Domine, in hanc dispositionem, ut mala mundi pro bonis, bona pro malis reputans te solum quæram, te desiderem, et ad te pervenire indesinenter optem!

#### SUPER CAPUT 19.

Magnæ perversitatis humanæ exemplum et horrendam prorsus historiam re-præsentat mihi Scriptura in habitatoribus Sodomæ. Hujus civitatis porro tremendum punitionem figuram fuisse inferni et punitionis damnandorum jam ante rettuli. Non mirabor, Domine, te peccatum illorum tam exemplariter punivisse. Genus enim humanum tunc adhuc sub lege naturæ constitutum erat, et vix homo contra naturam gravius peccare potuit. Sed in his quoque puniendis quantam longanimitatem, patientiam demonstraveris, jam ex præcedenti discursu tuo cum Abrahamo habito te adjuvante dilucidavi. Occurrit proinde mihi miranda historia Loth, de quo hactenus obscure dignatus es mihi demonstrare quædam. Sed ecce, dignaris clarius edocere me et propterea<sup>a</sup> recapitulabo te adjuvante, quæ ad figuram ejus pertinere credo.

Confusa sunt, Domine, quæ de Loth rettuli:<sup>b</sup> fuisse illum vocatorum, Abraham electorum figuram. Quamvis enim stricte sumendo res se sic habeat, crederem in consequenti, prout Abraham generis humani in generali, ita Loth in particulari designasse illam generis humani partem, quæ in cæcitate sua sub lege et pœna peccati

<sup>a</sup> -pterea fortasse in rasura

<sup>b</sup> Ante rettuli in margine: Cap. 13.

permansura erat. Erant et hi vocandi per gratiam tuam, sed ex consequenti sanguis Christi non omnibus profuit, quod figuratum [53:] fuit, dum Loth in prima vocatione Abrahamum secutus est. Transit cum ipso in Ægyptum, figuram peregrinationis omnium hominum et captivitatis seu sub lege peccati seu in carne, sed quia veram illam peregrinationem fidelium etiam in patria sua, prout Abraham, exprimere non debebat, separatus est Loth ab eo et habitavit in Sodoma. Et hinc secundum promissionem terræ Canaan (patriæ nempe terrestris Abrahami) expresse denotat Scriptura te<sup>a</sup> fecisse, Domine, postquam Loth divisus est ab eo.

Jam his taliter recapitulatis quamvis Loth justitiam suam conservasse supponam, figurat tamen homines extra legem gratiæ viventes, quos gratia tua, Domine, propter intercessionem justorum, non ex meritis illorum sæpe conservat in temporalibus periculis, sæpe ad viam salutis reducit. (1. 2. 3. 4. 5. 6. 7) Habuit Loth lumen, ut recognoscat angelos, quos hospitio recepit. Exercuit omnem hospitalitatem, et se pro salvandis illis e manu sceleratorum exposuit. Sed fides ejus et spes in te, Domine, nimium tepida apparet ex indigna oblatione filiarum suarum prostitutioni publicæ (8), nec firmitatem habuit, ut in te confidens sceleratos repellere conatus fuisset.

Figura hic fuit et illorum, qui in communi vita sæpiissime prudentiæ ducunt malum facere, ut eveniat bonum, et hi vere in viribus suis, non in te confidunt, Domine. Prius enim te per malum offendere nihil ducunt, et sic bonum a te exspectare non possunt, nisi insane judicent te mala retributurum. Unde ergo exspectant? Profecto a sollertia, ab industria, a prudentia, denique a semet ipsis, sed quia major fuit coram te Abrahami justitia, quam ignavia Loth, (10) conservarunt eum angeli (11) cæcitate percutientes insanientem et nefaria libidine æstuantem populum. Hi, inquam, cæcitate percussi fuerunt, sed Loth naturalem hominis cæcitatem repræsentat mihi. Nullus illorum est, qui in gratiis communibus providentiæ ac omnipotentiæ signa videre nequeat, quot tamen milliones fuerunt, sunt et erunt, qui te, Deum non agnoverunt, de exsistentia tua dubitarunt aut tibi mundum et illecebras ejus præferentes te contempserunt! Non credo in tantum cæctuisse Loth, sed ex caligine obducti fuerunt oculi ejus.

(12) Ecce enim, videt malitiam nefariam furentis populi, invitatur ab angelis, ut exeat e concilio malignantium cum familia sua, (13) declaratur illi judicium tuum, Domine, super civitatem, (14) concipit aliquam debilem voluntatem exeundi, egressus loquitur ad generos suos in communi cæcitate degentes, (15) et dum illis quasi ludens [54:] loqui visus esset, et ipsem non nisi coactus ab angelis ductus est, non lubens exivit, (16) quia tantum dissimulante illo apprehenderunt manus ejus et manus uxoris ejus et duarum filiarum ejus eo, quod parceret<sup>b</sup> illi Dominus. (17) Eduxeruntque eum et posuerunt extra civitatem, et quæcumque docent eum, quæ ipsi oportet facere, ne nimirum respiciat, ne stet, sed in montibus salvet se, ac si dixissent, ut vitet societatem hominum.

Et hæc sunt hodie dum quoque præcepta tua pro illis, quos a pœnis peccatoribus et filiis mundi destinatis salvare cupis. Sed, o Domine, quam vive repræsentat figura veritatem! (18) Confidit quippe Loth in prudentia, non in providentia tua, dubitat posse salvari se in loco designato, (20) et ideo hominum societatem civitatemque non minus peccatricem illa, unde eductus fuerat, ingredi cupit, quamvis cognoverit

<sup>a</sup> Ante te in margine: Cap. 13. v. 14.

<sup>b</sup> Correxit ex parceret

te, Domine, magnificasse cum illo misericordiam tuam. (21) Vix hoc lumine gratiæ tuæ utitur, aliam majorem concedis ipsi, et conservas civitatem illam, quam ingressus est. (22) Sed nec in ceteras sœvire possunt ministri justitiæ tuæ, donec ingrediatur Loth locum securitatis suæ.

(24) Loth salvato igitur Dominus pluit super Sodomam et Gomorrham sulphur et ignem a Domino de cælis. Ecce, manifesta demonstratio figuræ inferni: Dominus pluit a Domino. Et quem indicat hæc expressio, quain illum psalmi: Dixit Dominus Dominus meo?<sup>1</sup> Quem alium, inquam, designat, quam judicem illum constitutum vivorum ac mortuorum, qui dicet in die illa tremenda: Ite, maledicti, in ignem æternum!<sup>2</sup> Ille Dominus pluit in figura, qui per omnem potestatem sibi traditam a Domino pluet ignem et sulphur super damnundos (25) tamquam objecta justitiae suæ. Prout ergo subvertit in figura, sic subvertit et subvertet in veritate societatem illam peccatorum et in cæcitate humanæ naturæ extra Ecclesiam per arcum figuratam in mundo tamquam in patria habitantium, non cum Abrahamo in patria peregrinantium et in promissione huic facta partem non habentium.

Et ecce, ut figura clarius exprimat cuncta terræ viventia subversa esse, annotat, ut hæc in dissolutione machinæ mundi visibiliter eventura repræsentet. (26) Interea porro quid viventibus in cæcitate communi hominum futurum sit, Loth cum familia sua demonstrat. Non deserit illos communis providentia tua, Deus, quos conservas, quia salvare velles. Sed alii tacti quandoque particulari agnitione misericordiæ tuæ respiciunt, prout uxor Loth, et convertuntur in statuam salis, qui de [55:] natura sua cum vegetationem in natura causet, subjecta a corruptione in suo statu naturali conservat. Et vere sic fit in veritate quoque; cum enim illi, quos dixi, respicientes in malo persistunt, exemplo suo alios in statu suo malo et in corruptione, in qua fuerant, retinent.

(27) Abraham autem consurgens mane, ubi steterat prius cum Domino, (28) intuitus est Sodomam videntque ascendentem favillam de terra quasi fornacis furnum. Quo consurgis et redis Abraham? Ubi stetisti cum Domino? Vere benedictus es Patris vocatque te Dominus, qui pluit a Domino, ut videas figuram veritatis, quam experientur illi, qui non peregrinabuntur tecum et participes non fient promissionum tibi factarum. Non te curiositas, non te sollicitudo ducit ex loco tuo ad locum, ubi stetisti cum Domino, et ecce, ex contextu (29) cum enim fors licet mihi credere tibi tunc revelatum, recordatum fuisse tui Dóminum, et conservasse aut potius liberasse Loth. Vere enim liberavit, sed non conservavit (ut stricte loquar) in viis, in quibus ambulabat, et ideo dicit fors Scriptura, quod liberavit eum de subversione urbium, in quibus habitaverat.

Et ecce, denuo hæc expressio confirmat, quæ dico. Loth enim tamquam figura in omnibus subversis civitatibus habitavit. Subversio urbium et regionis figura subsequendorum in fine temporum fuit, prout promissio terræ Canaan in æternum possidenda. Sed cum tu, Domine, subsequenda in tempore quoque repræsentare voluisti, Loth propter Abraham, non propter propriam justitiam conservasti; et quamvis tam vivam imaginem videam in illo jam sæpe dictæ veritatis, ex factis ejus nec reprobum, nec electum auderem dicere illum, sed tantummodo in humanæ cæcitatibus appellata justitia video illum ambulasse. (30) Dixerant antea illi angeli, ut iret in mon-

<sup>1</sup> Cf. Ps. 109.1.

<sup>2</sup> Cf. Matth. 25.41.

tem, et tunc suæ prudentiæ plus fidens civitatis mansionem prætulit, ut salvaretur anima ejus. Promissum fuit illi civitatulam Segor conservatum iri, prout petiit, sed cum vidisset judicia Dei, timuit et ascendit ad speluncam.

Sic procedit prudentia humana semper hæsitans, ubique inconstans. Primo se sequitur seu judicium suum, et illo non succedente redit ad bonos instinctus sibi suggestos per gratiam tuam, cuius radios propter orationes justorum quandoque recipit. Sed prout fulgur coruscationis transeunt,<sup>a</sup> quia vadit in speluncam, non in montis verticem et secundum sibi placita sequitur bonum instinctum secundum quid, non secundum totum.

(31) Manet itaque in spelunca [56:] cæcitatis suæ Loth cum filiabus suis, quæ figuram Saræ figuræ penitus oppositam mira sapientiæ tuæ obscuritate velatam repræsentant mihi. Dixeram, Domine, Saram repræsentasse naturam humanam passive sterilem fuisse, nec recipere potuisse gratiam tuam generationis spiritualis, nisi fecundatam per gratiam a te gratis dandam humano generi per fidem Abrahami, illi et semiñ ejus reputatam in justitiam, sed reliquum genus humanum, ecce, in filiis Loth repræsentatur. Habuit instinctum desiderii hujus generationis passivæ natura humana per vocationem generalem vocata. (31) Et instinctus hic repræsentatur in figura per prudentiam carnis se ex natura pœnæ peccati multiplicare cupientis carnaliter, et ideo suspicantur et metuunt filiæ Loth neminem amplius subsistere, qui possit ingredi ad eas iuxta morem universæ terræ. Sed quis fuit hic mos? Concipere a peccato, in peccato et parere peccatum in fetu.

Ut porro hæc figura peccati originalis in sua veritate sit absolute expressiva, ecce, a patre concipiunt filiæ, sed ut demonstretur hoc genus peccati esse involuntarium, peccatum nolentes facere filias et patrem ebrium et ignorantem peccatum, per somnum oppressum repræsentat figura. Et tam excellenti pictura et imagine hoc quoque demonstratur, quod hæc debebant repræsentari per plures personas, ut appareat multitudo et generalitas. Saræ autem figura in sterilitate per unam personam repræsentari quodammodo oportuit, ut videatur singularitas. Sic demonstras mihi, Domine, sterilitatem generis humani, quod nonnisi peccatum concipere et peccatum generare potuerat per se. Tarde concipit et parit Sara, lente multiplicatur semen promissionis in Abraham quoque, sed Ismael et filii Cethuræ et in hoc potissimum exemplo, de quo agitur, filiæ Loth statim concipiunt et sic in gentes multiplicatur semen peccati.

O Deus, quanta est sapientia et profunditas scientiæ tuæ! Quomodo peccatum per non peccatum figurasti, et prout dixi, nihil est in Loth, quod ipsum justum fuisse non demonstret. Nec tamen his bene enucleatis vivaciori imagine repræsentari potuit effectus et<sup>b</sup> pœna<sup>c</sup> peccati in homine. Diligam te, Domine, ex agnitione profunditatis mysteriorum tuorum, diligam te propter bonitatem, ex qua manifestasti illam mihi. Sed quomodo valeam enumerare incitamenta, ex quibus diligere volens diligens peto, ut possim semper magis ac magis diligere te, qui solus diligi dignus es, quia Deus es.

<sup>a</sup> Nota structuram (*fulgur... transeunt?*)

<sup>b</sup> Correxit ex *at?*

<sup>c</sup> Correxit ex *paenâ?*

O Deus cordis mei et lumen animæ meæ! Cum mihi dare dignaris, ut non desistam, ecce, me præsento tibi; nihil peto, nisi temet ipsum a te, cum veritatem quero, esurio et sitio.<sup>1</sup> Tu ordinasti historiam sacram operum tuorum, et procul dubio Moy-ses, fidelis ille servus domus tuæ ex amplissimis et mirabilibus operibus tuis illa solummodo rettulit, quæ nobis manifestarent ordinem œconomiae tuæ scitu et degustatione tam suavem et animabus nostris tam utilem. Illumina me igitur, quæso, et dic, quid eloquar de eventu, qui contemplandos mihi occurrit de peregrinatione Abraham in terram australē?

Hanc historiam enim mysterio non carere exinde potissimum credo, quod mihi naturale non fuisse videatur, quod Sara in tam provecta ætate, in qua illi jam muliebria cessasse in præcedenti capite (18) dictum est, regis Abimelech pulchritudine sua in se rapuerit oculos, et ad concupiscentiam provocaverit. Prædixerant illi angeli in citato capite intra annum paritaram, et hunc partum subsecutum fuisse sequens immediate caput indicat. Unde colligo jam Saram concipere potuisse, dum ab Abimelech rege Geraræ tamquam soror Abrahami nonaginta novem circiter annorum senis ablata fuit.

Simile quid contigisse cum ea observaveram, cum Abraham fame coactus transmigravit Ægyptum, et transmigrationem ejus figuram fuisse peregrinationis hominis in mundo protuli. Et portenta, quæ feceras pro eliberatione ejus, Domine, repræsentationem signorum protectionis tuæ, qua justos conservas in vita eorum mundana, dixi, quamvis ex observato te adjuvante contextu posterioris historiæ Abrahami nunc auderem dicere peregrinationem ejus in Ægyptum præsagivisse transmigrationem filiorum ejus ex eadem causa famis subsecutam<sup>2</sup> et eliberationem populi ex servitute Ægyptiaca, cum ingressus Abrahami in Ægyptum statim primam vocacionem et promissionem subsecutus est, et in reditu ejus ex Ægypto tumet ipse, Domine, prædixisti ei hanc captivitatem seminis ejus, dum pactum pepigisti cum eo. Vere enim Saram uxorem abstulerat Pharao, dum barbaro edicto suo obstetricibus Hebræis mandaverat filios Hebræorum in flumen projici<sup>2</sup> et modis tam crudelibus, prout jusserat, propagationem et [58:] incrementum populi præpedire. Sed historiæ, quæ mihi nunc contemplanda occurrit, longe dispar est ratio; Abraham enim peregrinatur in terra sibi promissa, uxor ejus erat vetula, et hic eventus post ultimam promissionem Abrahamo factam contigit, et propterea secundum jam prolata statum aut exaltationis aut glorificationis humanæ naturæ respicit.

Aperi, Domine, labia mea, et os meum annuntiabit laudem tuam!<sup>3</sup> Aridis sum etenim, nec scio, quid cogitare aut scribere debeam de hoc eventu. Imprimis ergo occurrit mihi considerandum temporibus Abraham fuisse gentem, quæ cognitionem et cultum tuum, Deus, conservavit, quod ex hac regis Abimelech historia clare elu-cescit, quam promissiones Abrahamo et semini ejus factæ, si stricte sumantur, non concernebant, comprehendebatur tamen in generali illa vocatione et promissione in semine Abrahami benedicendas fore omnes nationes et omnes populos terræ. Et hinc quamvis non carnales, sumus tamen omnes filii spirituales Abraham. Conside-

<sup>1</sup> Correxī ex *subsecutum*

<sup>2</sup> Cf. Matth. 5,6.

<sup>2</sup> Cf. Exod. 1,22 sqq.

<sup>3</sup> Cf. Ps. 50,17.

randum præterea est mihi Saram (quæ jam secundum præattactam combinationem aut concepit aut conceptui proxima fuit) tamquam arcum conservatrice promissio-num tuarum, Deus, et pacti concernentis fructum ventris ejus.

Et sic reflexione facta ad illud, quod supra dixi (figuram hic contentam post tertiam vocationem Abrahami repræsentatam respicere debere generis humani ex-al-tationis et glorificationis statum), reperire me facit gratia tua Abimelech et populum ejus per agnitionem divinitatis et cultus tui repræsentasse gentiles factos spiritu-ales Abrahami, qui tuo lumine dotati rapient promissiones Abrahamo factas, vel (ut clarius dicam) quod gentes in Ecclesiam intraturæ Saram, prout dixi, depositri-cem promissionum et pacti rapient a carnali semine Abrahami. Sed tu, Deus, per singularem providentiam et admonitionem facies Saram, id est, hoc pactum restitue-re Abrahamo in semine ejus. Sed, o Domine, hæc historia taliter considerata nequit applicari a me exacte, concernit enim futura tempora, in quibus ante finem sæculi gentem Hebræam in gremium Ecclesiæ intraturam ex sensu propheti<c>aruin<sup>a</sup> col-ligimus, et hæc communis est opinio.

O Domine, tu vides in corde meo, etiamsi non confiteretur tibi calamus meus, necdum requievisse intellectum meum in hoc sensu hujus historiæ. Assentio quidem me longe sapientioribus, qui sentiunt non oportere querere in scrutando sensu Scri-pturarum tam exactam aut potius, ut cum illis loquar, [59:] scrupulosam applicatio-nem circumstantiarum omnium. Hoc tamen non obstante hanc quoque regulam cum magna discretione credo debere intelligi. Quæcumque enim in Scripturis reales figu-ræ sunt et quæ circumstantiæ ad figuræ spectant, non capio, cur voluisses, ut appli-carri nequeant veritati. Quis credit sapientiam tuam sufficientem non fuisse ita vel-a-re arcana sua, ut velum, quod illis imposuit, non sit exactæ mensuræ, et non ita lacerum, ut jam appareat, jam non appareat, quod tegit? Non negabo tamen, o dulce-do cordis mei, illas et similes regulas bonas esse, principaliter pro illis, qui vi obli-gationis suæ aut doctores aut verbi tui dispensatores constituti in differenti spiritu legunt Scripturas. Alii, ut doceant, alii, ut sciant, alii, ut applausum habeant, alii, ut doctores<sup>b</sup> evadant, sed ego cum in nulla hac legentium specie comprehendor, parce, Domine, si rumino, si mastico; non sufficit enim mihi solus odor et vapor ferculo-rum ad nutriendum corpus, ita nec ingeniosæ applicationes, sed veritates alunt ani-mam meam.

Tolle proinde, quæso, Domine, obstaculum, nec sufficiat veritatem solummodo odorasse, sed quæso, ut possim etiam degustare. In connexione enim illorum, quæ hactenus de Abrahamo et Sara dixi, deficio, dum circumstantiæ penitus inapplicabi-les videntur mihi veritati, quam protuli. Si scirem placitum esse tibi, ut non degu-stem hoc ferculum, cum omni humilitate præterirem, sed cum bonitas tua confiden-tiam meam provocet, ecce, peto, pulso, clam: audi vocem meam! Verumtamen sit tua sanctissima voluntas in omnibus, pateat ignorantia et debilitas mea in omnibus, et tu lauderis, Domine, ex ignorantia quoque mea naturali! Video, quid debeam bonitati tuæ, cum mentem meam illuminare dignaris et elevare super se, et ecce, cado in tenebras, dum tu me non sustines. Confiteor tibi proinde, Deus, ignorantiam meam, et transgredior ad subsequentis capitum contemplationem. Illumina tenebras meas lumine charitatis, ut suppleam amando, quod defecerit mihi in sciendo!

<sup>a</sup> Delevit -c-

<sup>b</sup> Corrigit ex *ductores*? (cf. Ms. fr.: *docteurs*)

Præsento me coram te, Deus infinitæ bonitatis. Ecce, vides, quid opus sit mihi. Supple, quæso, quod deest, ut possim enarrare magnalia tua.<sup>1</sup> Tota historia Abrahami, quam hactenus te adjuvante ruminavi, totum desiderium hujus patris credentium tendebat ad hunc finem, quem tu, Deus, toties promiseras ei.

(1) Et ecce, fidelis in promissis tuis visitasti Saram, sicut [60:] promiseras ei, et implevisti, quod locutus es. (2) Concepit et peperit filium in senectute sua, tempore, quo prædixerat ei Deus.

Quam simplicibus, sed vere selectis verbis hæc refert Scriptura, ut exprimat totum Isaac Deo debuisse Abrahamum! Sed, o Domine, parce mihi, si interrogo te, cur Scriptura dicat te implevisse, quæ locutus es, cum non tantum Isaac, sed et possessio terræ Canaan erat promissio tua! Abraham tamen, ecce, adhuc peregrinans est. Verumtamen parce insipientiæ meæ, tumet ipse enim declarasti in primo pacto, quod cum Abrahamo pepigisti, semen ejus nonnisi in quarta generatione possessurum terram hanc. Hic heres fuit omne compendium desideriorum tuorum, o Abraham. Quid enim ardenter potuisti desiderare ut homo dives et multæ possessor substantiæ, herede? Quid ferventius petere ut humani generis figura, quam filium illum promissionis, quem respiciebat pactum Dei, et in quo benedicendæ erant omnes gentes et populi? Adeptus es, ecce, veritatem respectu heredis substantiæ tuæ, sed qua figura ipsem figuram et imaginem illius obtinuisti, in quo vere implebuntur omnia, quæ locutus est Dominus.

Verumenimvero convertor ego ad te, Deus, cum me non in tantum morari, quantum hæsitare sentiam, quomodo figuram Isaac veritati applicem. Fuit Isaac absque omni dubio figura Salvatoris nostri Jesu Christi, quem omnes promissiones concernebant, et omnes prophetiæ designabant, totum genus humanum exoptabat. Absit a me velle separare in Christo naturam humanam a divina in operibus ejus aut (ut correctius eloquar cogitationes meas) dicere instans fuisse, in quo Christus Homo non fuerit et Deus, cum præter hoc Christo et duas naturas et duas operationes realiter inter se distinctas convenire sciam.

Et hanc veritatem ut melius exprimeret Scriptura, repræsentat mihi per Isaac in Christo characterem Filii Hominis, prout ipse se Judæis fere semper revelavit, et procul dubio se sic appellavit, quia se in figuris sub hac præcipue qualitate repræsentavit, quamvis remoto humanitatis velo semper et divinitas appareat. Et in hac prima quoque figura Isaac non tantum ideo fuit Sara sterilis, ut figuram sterilitatis et incapacitatis generis humani ad recipiendas (ut me ita exprimam) quodammodo passive salvificas gratias Dei repræsentet, sed ut videatur Isaac non ex solo humano semine, sed ex promissione potissimum natum fuisse, quæ vive repræsentant cooperationem Spiritus Sancti in conceptione Christi.

Jam præterea in hanc rem in præcedentibus sæpe observavi exquisitis terminis [61:] uti Scripturam in promissionibus, quibus designat dari hunc filium Abrahamo. (1) Hic quoque verbum visitavit cooperationem designat. His tamen non obstantibus ita videtur mihi, quod Isaac fuerit Filii Hominis, id est, naturæ humanæ Christi tantummodo figura, ut operatio Dei in natura hac et gratia ejus eo clarius manife-

<sup>1</sup> Cf. Eccli. 36,2.

stentur et appareant. Hinc quid clarius, quam naturæ humanæ per Abrahamum figuratæ filium per gratiam natum figurasse Christum, et profecto quid gloriæ tuæ, Deus, convenientius, quam in vase hoc hominis fictili<sup>1</sup> et natura ejus corrupta manifestare sapientiam tuam? Quid dignius misericordia, quam ubi abundavit peccatum, abundare faciat gratiam? Quid denique justius, quam purgare, exaltare et magnificare imaginem et similitudinem tuam, Deus, in homine? Quamvis enim figura ita exigente hæc ita deducam, Domine, ex ipsamet figura clare semper apparet, quod prout Isaac semper et omnia in et cum promissione seu pacto fecit, ita Christus semper in et cum natura divina operatus est. His præmissis repeto Isaac non fuisse figuram Christi qua Filii Dei, sed qua Filii Hominis seu naturæ humanæ Christi. Miro enim ordine revealantur secreta œconomiæ tuæ, Domine, in Scripturis, et hæc aliter sub lege naturæ, aliter sub lege scripta figurata sunt, prout et per prophetas semper clarius prædicabantur, quo plus appropinquabat tempus nativitatis exspectationis gentium.

Omnia proinde, quæ hactenus te illuminante et adjuvante observavi, concernebant arcana, quæ naturam humanam respiciebant, nec nisi in figura Henoch radius quodammodo effulsit decreti, per quod magnificare et exaltare statuisti illam. Hanc subsecuta est in figura arcæ manifestatio decreti tui de salvando homine et delendo charactere reprobationis justitiæ divinæ, quem contraxerat per peccatum, et huic successit figura præsagiens reprobationem Synagogæ. Statim reliqua naturam humanam ut humanam concernere deprehendi, quæ adhuc continuantur in Isaac. Vocatione enim Abraham (prout sæpius me repetuisse memini) vocationem generalem hominum repræsentavit et figura Loth gentes hanc vocationem communem non acceptantes, sed sub jugo peccati permanentes designavit.

Jam proinde semen quoque Abraham, quod concernebat pactum tuum, Domine, in duas classes seminis seu filios carnales et spirituales subdistinguendos fore designabitur; et hinc video sapientiam tuam hic continuare figuras, prout dixi, Christum qua Filium Hominis repræsentantes, seu naturam solummodo humanam Christi qua [62:] seminis Abraham, naturam autem divinam illius in subsequendis figurandam esse quodammodo separando, breviter recenset Scriptura nativitatem Isaac et historiam vitæ ejus et hæc ipsa succincta narratio historiam sapit, non figuram usque ad 9. versum, in qua Agar figura veteris testamenti reassumitur. Unde colligo præcedentem historiam expulsionis ejus seu fugæ in desertum figurasse peregrinationem populi in deserto et redditum ejus in domum Abrahæ repræsentasse ejusdem populi introductionem in terram promissionis. Lusus autem Ismaelis cum Isaac clare mihi demonstrat contemptum et prævaricationes filiorum legis, (10) propter quas meruit et mater rejici et filius tamquam filius ancillæ incapax hereditatis cum Isaac filio Saræ.

(11) Dure accidit hoc Abrahæ pro filio suo et ecce, in confirmationem præcedentium Isaac Sara filium suum, Scriptura Ismael appellat filium Abrahæ, vult enim designare Isaac a matre Sara filium fuisse particularius promissionis, quam Abrahæ. (12) Confirmat Deus dispositionem Saræ dicens: Non tibi videatur aspernum super puero et super ancilla tua. Omnia, quæ tibi dixerit Sara, audi vocem ejus, quia in Isaac vocabitur tibi semen. Et hæc quoque expressio vocabitur non Hebraismus, sed mysterium est, nam filii spirituales Abrahæ verum semen ejus respectu

<sup>1</sup> Cf. 2 Cor. 4,7 sim.

promissionis vocatum est.<sup>a</sup> Hinc ecce, semen pure naturale, aut potius dicam, carnale Abrahami (13) cum ancilla ejicitur in gentem quidem magnam exsurrectorum, quia semen ejus est, sed partem in promissionibus vocato semini factis non habiturum. (14) Proinde mane surgens Abraham tollens panem et utrem aquæ imposuit scapulis ejus tamquam onus bajulandum tradiditque puerum et dimisit eam, quæ cum abiisset, errabat in solitudine.

O Domine, quam facile est applicare vel minutissimas circumstantias et ipsa quoque propemodum verba Scripturæ suis propriis veritatibus! Quid enim hic clarius designatur, quam datam fuisse semini carnali Abrahami sub figura panis Scripturam seu verbum tuum, sub figura aquæ spem venturi regni Messiae pro alimento in diebus relegationis ejus in desertum. (15) Consumpta est aqua in utre, sed panem defecisse non dicitur; consummabitur spes illorum delusoria et ipsamet lex figurata recedet ab eis. (16) Flebunt in postremis temporibus spe carentes et sitientes, (17) sed Deus non matris, sed pueri vocem exaudivit et ne a lege salvari putentur, (18) tantum manum jussit tenere pueri matrem, ut per legem ducatur puer. (19) Et tunc aperuit oculos ejus Deus, et videns puteum aquæ, puteum scilicet aquæ salientis in vitam æternam,<sup>l</sup> implevit [63:] spe cor<sup>b</sup> deditque puerο bibere (sed ipsa non bibit) et fuit cum eo seu lex permansit cum illis, sicut hodie, dum manet nobiscum, et sic subito crevit puer.

Hactenus figura, reliquum enim historia est, nec amplius Agar fit mentio. Nescio, Domine, num tamclare me enuntiem, sicut hæc me concipere facit gratia tua suave loquens et veridicus interpres verborum tuorum. Sed ecce, Domine, iterum hæsito, hæreo, et ne balbutiam, tacere malo de Abimelech. (22) Quamvis enim credam his quoque magnam aliquam veritatem figurare Scripturam, cum tu me de illa illuminare non dignaris, malo ignorantiam meam in humilitate agnoscens subsequentes hujus capitinis versus præterire, quam ingenii mei sensum in gyros torquentis partum his miscere, quæ a te esse sentio et credo. Et fœdus Abrahami cum Abimelech et puteus et septem agni oblati non frustra hic memorantur, nec ceteris eventibus illorum temporum omissis tamquam historiæ hæc scripta sunt absque particulari fine sapientiæ tuæ, quam meum silentium quoque adoret, dum cor<sup>c</sup> delectatur in iis, quæ mihi hactenus dignatus es revelare.

## SUPER CAPUT 22.

Magnum mysterium contemplandum assumo, o Deus, unicum lumen cæcitatibus meæ. Dignare, quæso, me adjuvare, ne dificiam! Statim in primo versu occurrit mihi expressio illa sane mirabilis: (1) Temptavit Deus Abraham, et dixit ad eum: (2) Tolle filium tuum unigenitum, quem diligis, Isaac, et vade in terram visionis, atque ibi offeres eum in holocaustum. Ecce, vix hunc filium promissionis natum fuisse tradit Scriptura in præcedenti capite, cursum viginti plus minus annorum subticens hinc orditur historiam Isaac, et te, Domine, temptasse dicit Abraham, aut potius secundum jam dicta in Abrahamo naturam humanam. Dicamne hunc terminum,

<sup>a</sup> Nota structuram (plurale-singulare)

<sup>b</sup> cor sc. ejus (cf. Ms. fr.: son cœur)

<sup>c</sup> cor sc. meum (cf. Ms. fr.: mon cœur)

<sup>l</sup> Cf. Ioan. 4,14.

temptavit non in sua significatione communi accipiendum esse secundum sensum interpretum? Non certe, satius enim crederem dicere, quod verba et sensum Scripturæ non intelligam, quam velle trahere in sensum meum verbum tuum, quod hic mysteriosum est, et liberam voluntatem hominis designat; ille enim solus temptari potest, qui faciendi vel non faciendi plenam facultatem habet. Hic autem essentialis fuit illam exprimere, cum sacrificium liberum et voluntarium, non coactum, non jussum potuit placere tibi. Quodsi porro absque præmissione vocis temptavit Scriptura retulisset Dixit Deus, hæc [64:] expressio vocis dixit in te, Creatore omnium mandatum comprehendisset in se, cum verbum tuum nequit non esse efficax; sed hunc sensum tollit verbum præmissum temptavit et, prout dixi, liberam voluntatem Abrahæ indicat.

Observavi hactenus et diligenter connotavi semper Scripturam de Isaac locutam fuisse tamquam de filio, quem Sara dedit Abrahæ, vel simpliciter puerum appellat illum, hic porro relictis his alibi mysteriosis significationibus ipsam veritatem pro velo mysterii assumit: Tolle filium tuum unigenitum! Sed quomodo unigenitum, cum Ismael. quem jam pariter filium Abrahæ appellaveras, hunc præcesserit? Sed jam hoc demonstrare dignatus es mihi, et in semine Isaac semen ipsi vocaturum promittens respectu illius unigenitum esse Isaac declarasti.

Omnia hæc ruminationem merentur, suavia sunt etenim et dulcia ori amantium te, jam enim et tunc pro me operabar, Domine, et antequam fuissem, cogitasti de me. Ego porro, postquam fuissem, non novi te amans, sed offendens. Jam tunc præparabas quodammodo materiam sacrificii, per quod lacerari debuit scheda illa æterna damnationis meæ, jam, inquam, tunc præparabas escam animæ meæ,<sup>a</sup> ut saginaretur illa in vitam æternam, non in sacrificio Isaac, sed in consensu Abrahæ voluntario. Nam prout voluntarium fuit Adæ peccatum, ita et satisfactio voluntaria esse debuit ex parte offerentis. Propterea promptitudo Abrahæ erat veritas respectu seminis sui, figura respectu totius generis humani.

Sed quid dico, Domine? Fuit et veritas respectu ejus, in virtute enim consensus seu voluntatis ejus ad sacrificandum unigenitum suum (in quo continebatur omne semen promissionis) consensit in sacrificium corporis Filii Hominis, cuius Isaac figura fuit, et hunc liberæ voluntatis consensum temptando exigebas ab Abrahæ tamquam a figura totius generis humani. Tu igitur vere temptasti, Domine, Abrahæ, ut bonum eveniat, postquam Serpens temptasset Evam, ut peccatum continet. In Adam proinde humana natura peccavit, in Abrahæ in sacrificium satisfactorium consensit, in Christo justitiae tuæ, Deus, satisfecit.

Nunc video, o Domine, cur reputaveris fidem Abrahæ in justitiam,<sup>1</sup> cur Isaac unigenitus promissionis fuerit, ut fides justitiam, justitia promissionem, promissio satisfactionem, satisfactio humani generis exoperaretur salutem. Hæc est satisfactio, quam Filius Hominis præstitit per sacrificium crucis in materia corporis sui, quod pure, ut sic consideratum, figuratum fuit per Isaac, sed prout figura sacrificii hujus eo, quod sacrificium in Isaac consummatum non est, defectuosa appetit, ita et figurata veritas invalida fuisset, nisi victima [65:] et minister seu sacerdos sacrificii Deus fuisset.

Hinc apparent mirabilia tua, Deus, et adoranda sapientia tua elucescit, quonammodo institueris, ut figura veritati correspondeat et illi quodammodo deserviat re-

<sup>a</sup>jam ... meæ: supplevit in margine

<sup>1</sup>Cf. Gen. 15,6.

spectu consensus Abrahami. Quod enim in satisfactione Christus qua Deus fecit, in figura exprimi nec debuit, nec potuit. Nam sacrificium Christi et satisfactorium et propitiatorium et oblatio fuit. Primum peragi oportuit in corpore peccati, secundum in dilectione Filii cum oblatione puritatis Dei per sacerdotem purum et irreprehensibilem. Expressit duo prima requisita figura et mandatum tuum, Deus, seu, ut cum Scriptura loquar, vox temptationis tuæ salutaris: Tolle filium tuum unigenitum, quem diligis! In his Isaac figura esse potuit, in ceteris nequivit, sed nec ut esset, oportuit.

(3) Ut ergo tibi, Deus, constet voluntas non tantum interior cordis, sed et exterior, ecce, manifestatur per promptitudinem. Consurgit Abraham de nocte, sternit asinum, conscidit ligna et abiit in locum, quem præceperas illi. Omnem hanc dispositionem requisivisti, Domine, a natura humana, sed ut mensuram omnem appareat debere dilectionem excedere, temptas patrem, ut filium offerat in sacrificium. O Domine, instrue me, quæso, num voluntas exoperata fuerit hanc dilectionem in Abrahamo aut dilectio perfecerit voluntatem, verum parce mihi, Domine, quia hæc quæstio non exemplum Abrahami concernit. Tu tantummodo illius dilectionis sacrificium voluisti ab illo, qua filium suum amavit, consensus in sacrificium filii fuit vera victima, quam intendisti, et profecto quali dilectionis exemplo melius figurari potuit amor Dei erga hominem, quam exemplo patris centum annis desideratum et ad tanta promissum filium sacrificare volentis, non ad mandatum, non ad minas, sed ad temptationem, vel ut magis ad captum meum dicam, ad simplicem propositionem Dei?

O Abraham, consideraveram ante sanctam simplicitatem tuam ex occasione historiae Sodomæ, sed exemplum illud nec umbra fuit aut esse potuit admirandæ dispositionis, in qua te triduo procedentem repræsentat Scriptura. (4) Non fles, non tristaris, non futura inquiris, non sollicitaris, non murmuras, non conquereris, sed temet ipso firmior non totius humanæ naturæ es in hoc agendi modo figura, sed characteris veri justi, qui in fide vivit et semper coram Deo ambulat. Hæc est illa fides, quam Christus fidem Dei appellavit in Evangelio.<sup>1</sup> Cum enim ipse Deus sanguinem humanum tam severe vetuit effundere in præcepto Noe dato post diluvium, et se animam hominis e manu ejus, qui sanguinem ejus fuderit, requisitorum [66:] pronuntiavit,<sup>2</sup> nisi hanc firmam fidem habuisses, temptationem Dei illusionem esse credidisses, reiteratum mandatum aut apparitionem Dei exspectasses.

Sed ignoravit has considerationes et reflexiones sancta simplicitas tua et vere patrem credentium tam digne repræsentas et ipse filius tuus unigenitus se fidei tuæ heredem demonstrat, et te non solum alacris sequitur, (6) sed lignis holocausti onerari non conqueritur. (7) Interrogatio autem ejus non sollicitudinis est quæstio, sed ordinatio curæ et prudentiæ reflexio. Potuit enim naturaliter credere senem patrem victimæ oblitum fuisse. (8) Contentatur enim responso patris et vere pariter pergebant corporis et fidei passibus. Et dum venissent ad locum futuri sacrificii, quod repræsentatur erant, ecce, in quanta obœdientia se ligari lignisque superimponi sentit et sinit adorandæ victimæ imago, Isaac! Videt impavidus extendi armatam manum patris unigenitus filius sicut agnus ad occisionem ductus.<sup>3</sup> Videt et excipendum ictum gladii immobilis exspectat.

<sup>1</sup> Cf. Marc. 11,22 sim.

<sup>2</sup> Cf. Gen. 9,5.

<sup>3</sup> Cf. Is. 53,7.

O vere voluntarium sacrificium! O sancta patris simplicitas! O metus ignora obœdientia filii, quam viva imagine repræsentatis adorandam veritatem, quæ in eodem loco apparuit et humanæ naturæ salutem operata est! Et figura fidem, veritas dilectionem repræsentavit. Potuit quippe homo Abraham et Isaac fidem et obœdientiam hominis repræsentare, sed dilectionis nonnisi homo Deus potuit repræsentare mensuram, cum eam infinitam, illimitatam, indesinente esse oporteat in corde vere amantis.

O Deus, quam stupendum spectaculum repræsentatur mihi in Abrahamo et Isaac figura! Quam adorandum, quam amandum in veritate sacrificii Filii tui. Doce me, quæso, fidem prioris, da dilectionem hujus, ut possim sequi eum! Siquidem fides infructuosa fuisset, si illam dilectio subsecuta non fuisset. Quod enim Abraham inchoavit per fidem, Christus perfecit per dilectionem infinitæ charitatis suæ. Hic consummavit Abraham omne opus fidei, Christus perfecit omne opus charitatis. Ex fide illius redemptio, ex dilectione hujus salus. Prout enim fides sine operibus mortua est,<sup>1</sup> ita salutis promissio absque redemptione dilectionis inanis fuisset. Fides Abrahami gladium ejus ferire prohibuit, dilectio justitiæ Dei gladium suspendit.

In sacrificio Isaac Deus timorem Abrahami, (12) in sacrificio Christi Deus amorem Dei Hominis agnovit. (13) Dixerat Abraham in sancta confidentia sua Deum victimam provisurum, et vere nec spes fecellit eum, et ex omnibus his circumstantiis credam ego, Domine, in hoc loco vidisse Abrahham diem Christi et gavismus fuisse, in hujus memoriam holocaustum arietis obtulisse pro Isaac. [67:] Hinc aries figura, voluntas vero Abrahami in sacrificando filio absque hæsitatione vera victima fuit. Et hanc tu, Deus, timorem appellas, in hoc enim timorem ejus agnovisti, Domine, quod unigenito filio suo propter te non pepercerit, sed hic timor, ut ita dicam, non fuit timor timoris, sed timor offensionis, vel ut ita dicam, timor obœdientiæ, cum timorem filiale Dei tunc adhuc Abraham ignotum habere non potuerit. Hinc te, Domine, in qualitate Dei timuit, nec adhuc in qualitate Patris te amare scivit. Vidisti, Domine, sacrificium fidei et bonæ voluntatis Abrahami, propterea merito locum illum, nomine montis Deus videt nominavit, sed postmodum Dominus videbit appellatus. In illo et sacrificium adorandum Filii quoque tui vidistis, Domine.

Admirandus es, Deus, in omnibus operibus tuis, et incomprehensibilis nimis! Legi te pactum pepigisse cum Abraham, pactum tuum posuisse in eo per circumcisioñem, et ecce, hic hactenus factas promissiones de propagatione et multiplicatione ac benedictione seminis ejus te jurasse refert Scriptura. (16) Et confirmationi promissorum superaddit (17) semen Abrahæ possessorum portas inimicorum suorum. Omnes ceteræ promissiones gratuitæ videbantur, (18) hanc solam ex merito fecisse videris: Eo, quod obœdivisti voci meæ. Hæc exprimunt nihil meruisse Abrahham ante sacrificium filii, nec humanum genus mereri potuisse ante passionem et sacrificium Christi, quo peracto hoc deificatum semen Abrahæ possedit portas inimicorum suorum, mortis, carnis et Serpentis, cuius caput contrivit.<sup>2</sup> Hoc adorandum sacrificium ex virtute antecedenti operabatur ab ipsa sententia Serpenti pronuntiata, et exoperatum est omnia, quæ hactenus facta et quæ adusque finem mundi futura sunt, operabitur ex virtute sacrificii consequenti.

<sup>1</sup> *Fides...: Iac. 2,17.*

<sup>2</sup> Cf. Gen. 3,15.

Hinc concludo hanc ultimam promissionem tuam, Deus, tamquam ex merito obedientiæ factam, glorificationem naturæ humanæ in corpore Christi concernere et figuras hujus glorificationis concludere. Adoro proinde in omni possibili humilitate cordis mei veritates et mysteria, quæ mihi bonitas tua, o Deus, patefacere dignata est. Da, quæso, ut semen hoc verbi tui fructificet in corde meo sterili et arido, nisi enim gratiis tuis continuaveris irrigare terram ejus, sterilis erit et similis myrrhicæ solitudinis. Tu, Domine, dignatus es me vocare et erigere in semen Abrahæ spirituale. Da mihi, quam petii, fidem, da fiduciam hujus patris credentium, duc me in peregrinationibus meis semper ambulantem in conspectu tuo! Et quia veri quoque sacrificii per ipsum figurati participem reddidisti,<sup>a</sup> auge in me charitatem, quam manifestavit hoc sacrificium, et per [68:] quam me redemit. Incende me hac divina flamma, ut uniar igni, qui producit eam!

#### SUPER CAPUT 23.

Exsurge, Domine, veni in adjutorium mihi! Nolo enim recedere a contemplatione arcanorum tuorum. Da mihi intelligentiam, ut eloquar ea! Sub fine praecedentis capituli connotatum est Abrahānum ex loco sacrificii revertentem audivisse Melcham quoque genuisse filios fratri suo, et hæc connexio generationis Nachor cum historia sacrificii peregrina videretur mihi, nisi considerarem hunc nuntium Abrahamo allatum quemadmodum sequelam benedictionum, quas juravit illi Deus, merces ejus et mea magna nimis.<sup>1</sup>

Obvii quandoque rumores nostram rem concernentes, quos audimus, sunt suggestiones voluntatis tuæ aut dispositiones ad intelligendam eam, sed nos illos raro consideramus ut tales, nec examinamus, sed prima impressione recepta vel gaudemus vel tristamur, et his corticibus contenti medullam rejicimus. Sic in hoc exemplo quoque video te, Domine, benedictionibus tuis cumulatum Abraham dimisisse, præcipue jurans<sup>b</sup> ei multiplicationem seminis ejus. Et ecce, revocatur illi in mentem Nachor, frater ejus et generatio illius.

Mirabilis es, Deus, in omnibus operibus tuis, vel in minimis quoque! Sed homini miraculis assueto mirabilis non semper appares. His proinde tamquam residuis praecedentis capituli breviter delibatis mortem quoque Saræ quasi figuram, sequelam hujus sacrificii considero, cum enim omnis fecundationis naturæ humanæ consummatio in figura repræsentata fuisse, ecce, Sara figura sterilitatis et fecundationis dictæ vivere desinit. Prima inimicitia posita est inter semen hujus mulieris et Serpentem, mulier tamen, quæ in semine suo caput ejus contrivit,<sup>2</sup> Maria fuit.

Vellem, Domine, breviter recapitulare, quæ de hac figura Saræ observavi per gratiam tuam, sed non fido memoriaræ meæ, et in rebus tam sublimibus vereor, ne repetitione et diversis expressionibus confundam et offuscem illa, quæ jam memoravi. Breviter refert Scriptura circumstantias mortis ejus, in quibus (2) nonnisi planctus et fletus Abrahāmi occurrit mihi, quem dum superius in sancta simplicitate sua

<sup>a</sup> redditisti sc. me

<sup>b</sup> Nota structuram (*te ... jurans!*)

<sup>1</sup> Cf. Gen. 15,1.

<sup>2</sup> Cf. Gen. 3,15.

ad immolandum filium suum triduo procedere, demum illum rogo imponere, ligare ac siccis oculis, impavido vultu jamjam ferire miratus fuisse, mortem uxoris jam tam proiectæ ætatis plangere ac flere quomodo non considerem ac mirer? Posset hic referri communis illa [69:] hominum in afflictione constitutorum loqua: Quodsi scirem, aiunt illi, hanc esse voluntatem Dei, consolarer, sed ignorantia et indigno revelatione tristandum est mihi, quia homo sum.

Ex similibus posset detorte dici Abrahamum de immolatione filii Deum loquenter audivisse et ideo omnia tamquam actum Deo placentem peregisse hilari vultu, sed in morte uxoris se hominem fuisse demonstravit. Hæc esset loqua insipientiæ meæ, Domine, si ex hac ipsa communi, sed insana hominum opinione non sequeretur Abrahamum nihil minus flere debuisse morte uxoris. Quodsi enim prudentiæ et rationis suæ secutus fuisse principia, facilius et naturalius fuit credere illusionem ac imaginariam fuisse vocem Dei immolationem filii contra ipsam legem naturæ præcipientis, quam dubitare de voluntate tua, Deus, in morte Sara, sciens<sup>a</sup> ex decreto tuo et totius naturæ exemplo mortem neminem posse evitare.

Sed quid morabor in refutatione sermonis fragilitatis hominum, cum non ipsis, sed tibi loquor, Domine, qui mihi vanitates et pueriles nugas hominum demonstrare dignatus es. Malo proinde breviter dicere de hoc planctu et fletu Abrahæ illum fuisse convenientiæ et consuetudinis, quam per se naturalem et non malam absque scandalo omittere nequivisset, quam credere eum justorum et coram te ambulantium typum adusque planctum et fletum contrastatum fuisse.

Sic in veritate considerata hac Saræ figura reperiam sacrificium veri Isaac mortem fuisse sterilitatis passivæ naturæ humanæ, quæ posteaquam per peccatum incapax et inhabilis redditæ fuisse recipiendas salvificas gratias Dei, in Sara accedente fide Abrahæ et justitia ejus, ex gratuita tamen misericordia Dei primum semen gratiæ in promissione recepit et in Isaac concepit, sed per prædictum sacrificium rore cælesti irrigata in agrum fecundum conversa est. Confirmare videtur sensum meum de mærore Abrahæ Scriptura dicens: (3) Cumque surtexisset ab officio funeris, ex quo constitisse planctum et fletum Abrahæ eo firmius persuadeor. Repeto proinde Scripturam mortem Saræ historiæ sacrificii Isaac ideo subnectere, ut sit figura mortis veteris naturæ in Christo et sepultura ejus.

Adjuva me, Domine, particulari gratia intelligentiæ mysterii hujus, ut ego illud enarrare valeam ex tam apparenti obscuritate historiæ erutum, ut te in operibus tuis amet et laudet anima mea!

#### [70:] SUPER CAPUT 24.

Tu vides statum meum, Deus, et noscis interiora mea. Respice proinde tenebras meas et dissipa illas! Duxisti me hactenus in abditis et obscuris Scripturarum tuarum. Sed si non fallor, longe obscuriora subsequentur, nam hactenus de figuris status, vocationis et exaltationis naturæ humanæ actum est et de semine carnali Abrahæ. Jam porro subsequentur figuræ propagationem seminis spiritualis concernentes. Quapropter repræsentatur intellectui meo non posse subsequenter figuræ versiculatim in illo rigore applicari, prout hactenus, cum carnalia

<sup>a</sup> Rectius: *sciendo*

figurabunt spiritualia. Tu proinde solus me ducere potes, Domine, et propterea in te solo erit fiduca mea.

Quamvis proinde dixerim sacrificium Abraharni Isaac immolare volentis figuram fuisse veri sacrificii Filii tui, hanc representationem quodammodo in forma visionis autumo fuisse factam Abrahamo, non quod hæc realiter factæ non fuissent, sed in ipsa illa realitate sunt illi demonstrati futuri fructus veri sacrificii, quod figuravit, et ex hac consideratione non imaginor mihi in Isaac continuari figuram Christi, sed esse illum quodammodo figuram propheticam eventuum in semine ejus dupli: carnali et spirituali subsequendorum et primo quidem repræsentari generalia, postmodum particularia.

Prout nimirum in antecedentibus postquam per diluvium universale communis condemnatio humani generis designata fuisse, sub figura arcæ consilium tuum, Deus, de salvando homine manifestatum est. Ita autumo hic quoque procedere figuras respectu seminis Abrahæ, quod elegisti in hereditatem tibi, et quidem, si ausim dicere, in hereditatem temporalem in populo Hebræo et æternam in populo Christiano. Hinc considerabo ego Isaac, qui respectu promissionis ædificii tui fundamentum factus est, prout in precedentibus consideraveram Abramum respectu generis humani. Et his per gratiam tuam revelatis repræsentat mihi historia Isaac per unitatem uxoris suæ et gemellos filios, carnales et spirituales unam eandemque matrem habituros, primos futuros quodammodo ex generatione patris tamquam humana et hos ex generatione matris tamquam passive per promissionis quandam influentiam generantis. Hæc enim promissio typus est gratiæ et meriti sanguinis Christi; veluti enim per hoc meritum [71:] Christi perveniendum est ad salutem, ita per promissionem perveniendum erat ad gratiam. Et ecce, hæc est Alpha et Omega, principium et finis<sup>1</sup> omnium. Ex gratia vocasti Abramum, vocationem<sup>a</sup> subsecuta est fides, fidem justitiae reputatio, hanc promissio, promissionem repromissio per verbum: Juravi etc. propter obœdientiam<sup>b</sup> et timorem, repromissionem gratia.

Hinc ex operibus tuis ab origine mundi patratis appetet nihil potuisse hominem mereri sine te, sed nec te egisse sine ipso cum ipso. Ut autem homo possit suo modo, id est, secundum posse suum cooperari tibi, a peccato Adami adusque Abramum salvabatur per simplicem fidem in Deum in virtute antecedenti Christi, ab Abrahamo usque ad Christi adventum in fide per spem promissionum, ab adventu et passione ejus usque ad secundum adventum in fide cum spe per charitatem;<sup>2</sup> sed quia fides ac spes sine charitate est velut cymbalum sonans et æs tinniens,<sup>3</sup> salvari non poterant perfecte, sed tantummodo separari ad salutem usque ad tempus, in quo Sapientia tua et Verbum Deus, per quod creasti, redemit, quod pro se fecit, et per charitatem suam viam salutis aperuit.

His tamquam clavibus stenographicis Scripturarum tuarum sic per gratiam tuam bene consideratis imploro auxilium tuum, ut applicare valeam figuræ suis veritatis. Sentio enim, Domine, et vere sentio profunditatem harum veritatum et nutrimentum earum solidum longe differens ab illis, quæ heri scripsi et excerpti non

<sup>a</sup> vocationem sc. ejus (cf. Ms. fr.: *sa vocation*)

<sup>b</sup> obœdientiam, timorem sc. ejus (cf. Ms. fr.: *de son obeissance et de sa crainte*)

<sup>1</sup> Alpha...: Apoc. 1,8.

<sup>2</sup> Cf. 1 Cor. 13,13.

<sup>3</sup> Cf. 1 Cor. 13,1.

tamquam mala, sed tamquam plus mea, quam tua, seu, ut clarior dicam, ingenii mei in veritate luxuriantis partus. (2) Fructus oboedientiae, timoris ac repromotionis tuae, o Deus, agit in Abraham, nec amplius generis humani est figura, sed agit ut propheta, qui diem glorificationis seminis sui vidit et gavisus est.

Quot sunt dies, Domine, a quibus meditans de persona servi senioris dominus Abraham (quem jam alibi Scriptura Eliezerum fuisse dixit), quia tu, Domine, non loqueraris mihi, jam huic, jam illi veritati assimilavi illum. Sentiebam tamen aliquid dubietatis et repugnantiae interioris, quod ecce, nunc non sentio. Taceam ergo ego, Domine, loquatur in me ille, quem ecce, sumpsi in me, et adhuc mecum esse firmissime credo. Hujus loquelam credo esse, quae mihi repetit Abramum spiritu prophetico representare, quae futura sunt, Eliezerum figurare legem, cuius velum ad occultandam veritatem Messiam concernentem est femur [72:] Abraham seu historia seminis ejus, et ideo ponit Eliezer manum suam super illud, ut juret per Dominum cœli et terræ, a quo data est lex.

(3) Noluit Abraham, ut acciperet uxorem de filiabus Canaan, sed ut iret ad cognationem Abrahami et in domum patris sui. Cognatio Abrahami, in qua conservabatur cultus veri Dei (uti patet ex textibus compluribus hujus capituli) representat fidem illam in Deum, ad quam ibat lex, ut ab illa fide procedentem et natam spem quereret in uxorem Isaac, qui figurabat promissiones Dei, quae habuerunt Abramum pro patre, qui illas per fidem et obedienciam meruit, et figuraliter genuit. Per camelos (10), quos Eliezer seu lex secum assumpsit, figurantur onera legis. Venit Eliezer ad civitatem Nachor, dum publicata est lex. Recubuerunt camelii ad puteum aquæ, ex qua bibere non poterant, nisi adaquati. Quid hoc aliud, nisi quod onera legis ducebant ad fontem aquæ viventis, sed refocillare non poterant, nisi per Rebeccam seu spem in venturum Messiam?

Venit Rebecca prima (15) vix loquelam finiente Eliezero, id est vix publicata lege spes data est. Sed Rebecca portavit hydriam seu onus in scapulis seu spei legis onus grave fuit impositum. (16) Hæc puella fuit pulchra nimis virgoque pulcherrima et adhuc viro incognita, id est nemini revelata. (18. 19) Primo dedit refocillationem sicuti legi, dein adaquavit animalia onera portantia seu Hebreos, sed non nisi ex profundo puto hausta aqua seu labore passis bonis terrestribus et spe sub multis figuris latente. (22) Ornavit quodammodo lex spem Hebreorum inauribus et armillis aureis per promissiones abundantiae vini et olei et fructuum terræ. (29) Rebeccæ frater fuit Laban seu spei Judaicæ frater fuit patientia. (37) Et hæc occurrit legi et induxit illam in domum fidei.

Ecce, applicatio omnium, quae hic gesta sunt, est facilis et propemodum litteralis, (61) et sic rediit Eliezer reducens Rebeccam. (62) Spes tamen hæc portabatur a camelis tamquam onus. Antequam autem lex spem reduxit ad promissionem seu Isaac, semen Abraham ambulabat in agro meditabunde ad puteum viventis et videntis, id est sub obscura cognitione profunditatis Dei, prout Isaac describitur ambulasse. Et cum descendisset ad illos, texit se pallio seu multis obscuritatibus, (65) sed tandem recepta in tabernaculum conjuncta est quodammodo matrimonio promissionibus Abraham factis, figuratis per Isaac. Hæc figurabant [73:] prophetice dandam fore spem per legem promissionibus, sed totum tempus, ut dictum est, captivitatis per sterilitatem Rebeccæ figuratum fuerat. Concepit igitur Rebecca seu spes in institutione agni paschalis ante exodus, et peperit in publicatione legis.

Ecce, sensus hujus capituli, quod connexionem suam cum praecedenti capite reperiens, et vere mihi tam simplex et genuinus videtur, ut a te provenire, Domine, non

dubitem. Consolatus es itaque laborem meum et ariditates prope modum triduanas, in quibus ambulabam coram te, nec nisi abortus ingenii mei reperiebam, et veritatis vaporibus tantummodo alebar, sed non nutriebar. Confiteor tibi, Domine, infirmitates meas, quas tu vides, et agnosco illas in humilitate cordis mei, sed ecce, recidam in illas, nisi tu adjuveris me. Sentio enim legem hanc condicionis meæ multum contrariam mihi. Adjuva me igitur, cum ab illa in hac vita liberari non possum!

#### SUPER CAPUT 25.

Multum cæcutire crederem me, si novum matrimonium Abrahæ cum Cethura, cuius nec ortum nec patriam describit Scriptura, simplicem historiam supponens esse inconsiderate seponerem. Non dubitavit Abraham in promissionibus tuis, Domine, in quibus tam saepe declarasti semen te illi ex Isaac vocaturum. Jam illum senem et multorum dierum appellavit Scriptura in præcedenti capite, et quodammodo insinuat ideo misisse Eliezerum ad quærendam mulierem ei, ut acceleret generationem ejus, et tamen nec propagatione numerosa seminis Ismael contentus nec promissionibus tuis satur adhuc generare quærerit, et Cethuram in uxorem dicit, et in hoc ipso capite multorum annorum historiam complectens Scriptura omnes generationes Abrahæ ex Ismael et ex Cethura recenset, et postremo cum generatione Isaac concludit.

Quantæ et quam involutæ sunt hæ considerationum materiae in sequela illorum, quæ hactenus protuli! Quot et quam diversæ considerationes seminis Abraham! Primo in Ismaele ante nativitatem seminis ex promissione nati, postmodum seminis ex promissione ex Isaac, et demum posthumi seminis respectu promissionis ex Cethura. Inter hoc repartitur substantiam suam Abraham, (5) [74:] deditque cuncta, quæ possederat Isaac, filiis autem concubinarum largitus est munera, (6) et separavit eos ab Isaac, filio suo.

Quam stupenda est hæc œconomia tua, Deus, in genere humano. Quod postquam in figura Abrahæ repræsentasses, (8) deficiens ille mortuus est in bona senectute proiectæque ætatis et plenus dierum compositusque est ad populum suum. Quod proinde figuram Ismaelis et generationem ejus concernit, jam de illo a te data, Domine, rettulisse sufficiat. Cethuræ matrimonium post sacrificium et immolationem Isaac contractum et omnes generationes ejus particulariter figurasse autumo semen Abrahæ pure humanum, quod hodie dum in dispersione Judæorum subsistit, et hanc confusionem repræsentat ignota origo Cethuræ. Hos porro (semen ex Cethura) quia promissiones tuæ, Domine, non concernebant, crederem permansuros in cæcitate sua tamquam sequaces Antichristi.

Incipio proinde te adjuvante, o bonitas infinita, considerare historiam seminis Abrahæ ex Isaac a v. 21. Rettuli, Domine, in præcedenti capite sensum, an tuum, an meum, adhuc ignoro; ex effectu enim et contextu apparebit, num verus, num falsus fuerit. Quodsi enim verus, tuus, sin minus, meus erit. Itaque pro fragilitate mea et tenebris meis exactius combinanti historiæ eventus occurrunt mihi multa consideranda, et in ipsa historia Abrahæ<sup>a</sup> reflecto me prædixisse te illi captivitatem seminis ejus et exitum illius cum magna substantia, reperio dupliciter me debere considerare figuræ in historia Isaac profundissime latentes, et ma-

<sup>a</sup> Ante Abrahæ in margine: Cap. 15. v. 13.14.

gnam reflexionem habere oportet ad distinctionem promissionum et re-promissionum factarum Abrahamo, promissionum, inquam, quas tu, Deus, adusque sacrificium Isaac facere dignatus es; et has ad spiritualia, possessionem aeternam terrae Canaan tamquam figuram extendi jam me dixisse memini, re-promissionem autem post sacrificium ex merito obedientiae et timoris Dei factam, per quam praecedentibus reiteratis superaddidisti semen Abrahæ portas inimicorum suorum possessorum, crederem referri ad tempus, in quo Christus de morte, de mundo et de Diabolo complete triumphabit, ubi inimici ejus erunt scabellum pedum ejus,<sup>1</sup> et regnum suum aeternum accipiet.

Et his exacte ruminatis adverto me non posse præterire statum naturæ humanæ sub lege constitutæ, [75:] cum illæ fuerint propriæ figuræ temporum, ad quas ego hebes et ignorans nimis transii. Quapropter his combinatis et hic de novo consideratis, quod Abrahamo captivitatem seminis ejus in apparitione revelaveris, non autem modum exitus ejus ex captivitate, conveniens video et exinde mihi imaginor primo præfigurari ea, quæ exitum et possessionem temporalem respiciunt, et quod in possessione temporali subsequentur, figurare illa, quæ spiritualia concernunt.

Non statuo ego, miser peccator hæc, quæ scribo, pro revelationibus, sed pro radiis misericordiæ tuæ, quos mihi quandoque velut fulgura coruscare facis, et tunc loquor, dum porro illi non me illuminant, balbutio, quæro, labore; non desperabo tamen in bonitate tua, nec ideo cessabo, si non statim reperio, quod quæro. Consolor enim in eo, quod me a veritate et a te recedere non reperiam. Suave est mihi sentire intrinsece, dum tu loqueris mihi, et tunc fluit calamus; taces quandoque, et tunc hinc-inde cursito quærens locum, unde denuo possim audire vocem tuam. Respice proinde me et vide laborem meum, si tamen labor est, quod et in labore dulce et suave est, et hæc vera requies cordis est.

Currunt pueri, sudant, fatigantur, et hæc lusum appellant, quia in illis, quæ agunt, delectantur, et me illis similem in his fecit esse misericordia tua. Puer sum tuus vix vocis gnarus et loquelæ capax, vellem tamen eloqui magnalia tua, et balbutio. Hinc scio, quod me non inteligerent, qui hæc legerent, et plurimi arguerent<sup>2</sup> absque licentia, absque consilio, absque methodo et ordine tam alta tractare. Nec possem aliquid respondere illis, tu autem, Domine, qui vides cor et scrutaris renes<sup>2</sup> meos, quia bonus es, non ita me judicares, prout filii hominum. Hinc tibi loquar, dum tu locutus fueris mihi. Sine te autem mutus efficiar.

Sed, o Domine, si sic considero hanc historiam, occurrit difficultas, quam ego solvere nescio, et propemodum contraria appetat sententiæ Apostoli, qui dixit omnia pro instructione nostra,<sup>3</sup> non illorum scripta fuisse; et profecto quid profuisset figuræ figuræ figuris? Spiritualis populus fuit et erit hereditas Filii tui. Ad quid oportuisset carnali figuræ proponere, siquidem et ipse pro hac hereditate tua formanda institutus fuit? Fors meæ adinventiones essent ergo figuræ, quas reperirem, non institutiones tuæ.

<sup>2</sup> arguerent sc. me (cf. Ms. fr.: *me blameront*)

<sup>1</sup> Cf. Ps. 109,1.

<sup>2</sup> Cf. Ps. 7,10.

<sup>3</sup> Cf. Rom. 15,4.

Noli tardare ergo, o lumen mentis meæ, illumina [76:] me! Sepositis proinde illis, quæ in præcedenti capite de spectantibus ad subsequentia dixi, dicam Isaac promissionis, Rebeccam spei, quam promissio dabat, figuram fuisse respectu filiorum seminis spiritualis, ad quos tendebat æterna illa possessio veræ patriæ per terram figurata. Sed quia hi filii spirituales dividebantur denuo in duas gentes, hi collidebantur in utero Rebeccæ, cuius sterilitas designavit tempus adusque exodus et publicatam legem, per quam spe clarius, quam illatenus, revelata et instituta peperit Rebecca gemellos, qui ab exodo adusque publicationem legis vere collidebantur in utero, dum pars populi Hebræi murmurabat, pars sequebatur Moysen. Et in hoc sensu, quam sæpe consuluit Rebecca seu spes in Moyse, te, Domine! Et profecto verbum tuum adæquate completum est, cum vere minori parti populi servivit major.

(25) Tempus partus generationis hujus ex promissione et spe filiorum Isaac jam tunc advenerat, et in ipsa publicatione legis nata est Synagoga, cuius figura Esau et Jacob, qui figura Ecclesiæ Christi fuit et permansit virtualiter adusque adventum ejus visibiliter, porro conservata est in Josue et Caleb, qui irreprehensibiles reperti sunt, et in spe firma permanerunt terramque promissam ingressi sunt.

(24) Prior egressa fuerat Synagoga ab effusione sanguinis victimarum rufa, et per tot observantias legales pilosa, siquidem pili pro superfluitate corporis habentur. Alter Jacob seu Ecclesia propter paucitatem vix visibilis, tibi, Domine, soli nota vestigia sequebatur multitudinis, et sic quodammodo plantam tenuit. (27) Venatio in Esau peregrinationem, agriculturæ exercitatio adhæsionem ad bona terrestria denotavit. Et hi fuere characteres Synagogæ, Jacob autem vir simplex habitabat in tabernaculo. Tales fuere viri illi Israelitæ, qui in ipsa quoque peregrinatione in simplicitate ambulabant. (28) Isaac figura promissionis dicitur amasse Esau eo, quod de venationibus ejus vesceretur, id est, promissio se ad possessionem bonorum quoque terrestrium extendens diligentiam circa illa magis amabat, spes porro seu Rebecca amabat simplicitatem et continentiam Jacob in tabernaculis.

Dixeram ante veram Ecclesiam, (cujus figura fuit Jacob) herendum terræ promissæ conservatam fuisse in Josue et Caleb. Sed in exodo<sup>1</sup> clarius explicatur hæc figura. Ecce, hi coxerunt pulmentum rufum, dum botrum apportarunt in peregrinatione fesso Esau seu Synagogæ, propter quod vendidit Synagoga illa primogenita possessionem, [77:] nempe terræ, in quam ingressa non est pars populi incredula. Excepto proinde panis et lentis edulio comedit et bibit, et parvipendit, quod de promissionibus Dei dubitaverit duræ cervicis Synagoga.

#### SUPER CAPUT 26.

Lucet adhuc mihi coruscatio luminis tui, Domine, et hinc agnosco totum hoc caput non figuræ esse, sed in peregrinatione Isaac in Geraris, in Abimelech, in puteis, in diversis contentionibus, in vita denique Isaac repræsentare statum, non particulares eventus seminis carnalis in Synagoga et spiritualis in veris Israelitis in solitudine errantis. Sed quia mihi deest memoria ad combinationes exacte faciendas, hæc, quæ refero, tantum in tenebris tamquam longe dissita objecta repræ-

<sup>1</sup> Cf. Num. 13 sqq.

sentantur mihi. Hoc solummodo appareat, quod Isaac tamquam promissionem, Rebeccam tamquam spei seu temporalium seu æternorum bonorum figuram considerando multæ latentes veritates apparerent<sup>a</sup> statum populi Hebræi repræsentantes, in quibus ad instructionem nostram deserviret enucleare, quomodo processerint judicia tua, Domine, et quomodo temporales status populi ad spiritualem promissionem referebantur.

Per hoc enim, quod hic sepono, præterire nullo modo intendo veritates, sed tantummodo a repetitionibus cavere. Quodsi enim meditando Scripturas ad Exodum pervenero, petam lumen tuum ad discernenda illa, quibus nutrire possum et debo animam meam, cuius famem et sitim non extingui, sed augeri peto a te, Domine. Prout enim in diebus creationis statum totius mundi repræsentatum reperire dedisti mihi, ita credo, quod in hac historia Isaac et Jacob status Synagogæ et Ecclesiæ, eventus autem particulares posterioris in historia Synagogæ reperiri possunt (sub hac enim denominatione populum Hebræum seu statum legis intelligo). Quærendæ sunt mihi hæ figuræ; an vero reperiendæ erunt, a tua dependet misericordia, quam peto et imploro.

## SUPER CAPUT 27

(1) Senuit autem Isaac et caligaverunt oculi ejus et videre non poterat. Sed hic status non ad tuas promissiones in spirituali sensu intellectas [78:] (quæ numquam senuerunt), sed ad promissiones a Synagoga ad temporalia bona restrictas referendus est, et posteriora tempora respicit, in quibus Rebecca seu spes semper alebat, fovebat et consilio astabat dilecto filio suo, Jacob. Et in hoc statu ad bona simpliciter temporalia et possessionem eorum restrictæ promissionis oculi caligaverunt tot mutationibus, captivitatibus subjecti populi. (3) Et hæc senescens promissio dixit ad Esau: Sume arma et pharetram, in quibus confidebat Synagoga per illum figurata, et petiit pulmentum ex adinventionibus suis compositum, quod exprimitur verbis generalibus: sicut velle me nosti. In hoc statu, inquam, dedit salutare consilium spes illa salutaris Jacobo<sup>b</sup> (electis nempe tuis), ut assumptis vestibus Esau seu sectando legales cæremonias et se observationibus exterioribus ejus tamquam pilosis pellibus cooperiendo prepararent escas desideratas patri, ut illis destinatam benedictionem obtinerent, et caligantes terrenæ promissionis oculos non fallerent, sed ad veritatem reducerent. Et sic considerata hac historia appetat veritas consiliorum tuorum sub cortice litteræ et veritas quodammodo sub apparentia fraudis Rebeccae et Jacob latens: prout verus Jacob latebat sub vestibus et pilositate Esau, per hoc tamen verus Jacob fuit.

O Domine, dum ego hæc considero, vere visibilis est veritas et sensus dicti Apostoli tui: præterit figura hujus mundi,<sup>1</sup> et ad hæc capienda et veritatem degustandum recurro denuo ad universalem œconomiam tuam. Homo te interrogat, cur dilexeris Jacob, cur odio habueris Esau, cur oportuerit tanta industria uti, ut Jacob præriperet benedictionem? Cur non cursu naturali secundum intentionem Isaac benedictio Jacob per apparentem speciem fraudis surrepta non fuerit impertita Esau? Esset hæc in

<sup>a</sup> Corrèxi ex apparerem

<sup>b</sup> Corrèxit ex Jacob

<sup>1</sup> Præterit....: 1 Cor. 7,31.

me temptatio et quæstio Serpentis in Paradiso sub hac voce cur Evam interrogantis,<sup>1</sup> si hæc dubitans inquirerem. Sed sit tibi laus et gloria, Deus, quod possim dicere me esse convictum de veritate, et velle proferre veritatem, quam sentio, ut adorem et amem te propter immensam profunditatem consiliorum tuorum.

Jam enim vidi in principio meditationum mearum, quam juste fuerit condemnata massa humana, et tamen quam misericorditer processeris cum illa, ut justus et misericors appareas homini, quem pro te creasti et propter gloriam tuam. Vidi itaque statim in Cain primogenito [79:] Adami, et hic continuatur in Esau voluisse te agere primo per justitiam in primogenitis et per misericordiam in secundogenitis, ut semper meminerit homo, quid mereatur ex justitia, quid sperare possit a misericordia tua. Opus gratuitæ misericordiæ tuæ fuit, quidquid fecisti cum Abraham, et quidquid promisisti semini ejus. Sed ut agnoscamus numquam te esse tam misericordem, quin sis et justus, oportuit dividi semen ejus in semen carnale seu Synagogam et in semen spirituale seu Ecclesiam, ut in illa agat justitia tua, in hac manifestetur misericordia tua, et ex utraque appareat gloria tua, ad quam tendunt omnia opera tua, ut a te exeuntia et tamen in te semper permanentia redeant ad te, centrum omnium.

Quomodo autem hæc potuissent videri, si omnia, quæ aguntur in mundo, figuræ non fuissent, cum nihil potest dici vere esse, præter tuum esse? Oportuit ergo figuræ esse, ut tuum esse non videndo appareat. Hinc ego ipse nonnisi figura sum illius, qui ero, cum meum verum esse acquiram, cum ad te pervenero. Seu ut melius dicam, cum meum non esse in suo esse perdidero.

Non capio hæc, Domine, quæ dico, sed sentio. Sed quia non capiendo sentio, ideo vera esse agnosco. Hæc enim veritas, quam sentio, tumet ipse es, et ideo non capio. Sed quid est illud in me, quod sentit veritatem? Vere et hoc ipsum tumet ipse es, nihil enim præter temet ipsum te sentire potest. Hinc appetet,<sup>a</sup> quam sis proximus mihi, et per hoc, quod non capio, patet, quam procul sim ego a te, et quam nihil sim respectu tui. Tu tamen jubes, ut hoc nihilum meum amet te, et sic video me non posse præstare, quod tamquam Creator jubes ex justitia, nisi quod præstari vis, dederis mihi ex misericordia. Sed cum dederis, num quod dabis, meum erit? Non profecto, tu enim nihil das, quod non est. Sed cum nihil est præter te, quidquid das, tumet ipse es, et sic te das, ut te recipias. Ames igitur et laudes te in me, si enim aliquid possum, hoc solum possum, ut me tibi dem talem, qualis sum, aut (ut melius dicam), ut me tibi exhibeam. Fac in me, age per me pro te, quidquid volueris!

Recessi tantisper a cortice litteræ, sed non a te, Domine, nec enim autumo oportere in hac historia Jacob et Esau ad textus litteræ me alligare, cum hujus historiæ essentiam clare in sensu allato explicari posse appareat mihi. Considerabo igitur benedictionem Isaac, num conveniat dictis: (28) Det tibi Deus de rore [80:] cæli et de pinguedine terræ abundantiam frumenti et vini! Hæc est prima pars benedictionis Jacob, benedictio autem Esau in pinguedine terræ et in rore cæli desuper. (39) Hæ sunt primæ partes benedictionum, quas Isaac, figura promissionum impertitur filiis suis, sed bene confrontata inter se vel de toto æquales sunt, vel differentiam in hoc habent, quod primo abundantiam frumenti et vini impertitur, de qua secundo nihil meminit. Nequeo dicere æquales, cum Isaac ipse plus uni, quam alteri largiri voluerit dicens: (35) Venit germanus

<sup>a</sup> Correxit ex *appares*

<sup>1</sup> Cf. Gen. 3,1.

nus tuus, et accepit benedictionem tuam. Posset mihi dici benedictionum differentiam solummodo in secunda parte consistere, sed in historia tam particularium eventuum profecto nihil frustra factum credo. Æqualiter utrique optat rorem cæli et pinguedinem terræ, cur ergo primo frumentum et vinum superaddidit, alteri non? Quomodo secundus rore cæli et pinguedine terræ absque frumento et vino gaudebit?

Non, non, Domine, nihil inconsiderate, nihil fortuito contigit in hac historia, a qua dependebat sors filiorum patris filii ultimam benedictionem impetrari volentis. Soli Jacob, figuræ Ecclesiæ poterat convenire benedictio, quæ ex mente patris pro Esau destinata fuerat. Hæc enim sola possidet abundantiam frumenti electorum et vini germinantis virgines. Et hi fructus disting[u]juntur<sup>a</sup> a rore cæli et pinguedine terræ. Non dicam hunc sensum Isaac intellexisse aut potius intendisse, cum propheta non fuerit, alioquin consilia tua de Jacob, quem dilexisti, te inspirante cognovisset. Sed quia Isaac patrem filiis benedicentem ex libera voluntate agere convenit, nec proinde scire consilia tua, quæ tamen ut eveniant, Isaac non noscente et ideo nolente, libere agente et tamen, quod voluit, non faciente, oportuit caligare oculos ejus et omnia tanto artificio et industria institui, prout facta sunt.

O Domine, quis ex his negabit hominem liberæ voluntatis esse? Quis tamen non videbit facere eum, quod tu vis, non quod ille intendit? Quodsi homini liberam voluntatem negasses, quomodo coacte agentem juste punire potuisses? Quodsi autem vias ejus non dirigeres, quomodo ambularet in viis, per quas æterna decreta tua direxerunt gressus ejus? Contraria hæc apparent humanæ rationi et superbie, sunt tamen miro ordine combinata et mira harmonia connexa, ex [81:] quibus te omnipotentem, justum et misericordem esse agnosco ex operibus, quid tamen sis, nescio, cum hoc, quod dico, non sis, sed hoc es, quod es, quod non capio.

Dedit igitur Isaac benedictionem Jacob, quam noluit, quam tamen tu destinasti ei. Libere egit, quod tamen voluit, non fecit. Te disponente igitur data est hæc mysteriosa benedictio Ecclesiæ, nec convenit, nisi illi in sensu præannotato.

Secunda pars benedictionis ejus est: (29) Et serviant tibi populi, et adorent te tribus; esto dominus fratrum tuorum, et incurvantur ante te filii matris tuæ! Qui maledixerit tibi, sit ille maledictus, et qui benedixerit tibi, sit ille benedictus! Et hæc adoratio cui<sup>b</sup> melius <me><sup>c</sup> convenire potest, quam illi corpori fidelium, cuius primogenitus inter ceteros fratres<sup>1</sup> Deus est et Homo? Et præter eum cui convenire posset in litterali sensu, nisi verborum energies diminuere aut pro Hebraismis repudare vellemus? Quodsi porro hæc benedictio convenerit Jacob seu Ecclesiæ, profecto altera non minus convenit Esau seu Synagogæ: Vives in gladio et fratri tuo servies; tempusque veniet, cum excuties et solves jugum ejus de cervicibus tuis. Hæc pars est hereditatis seminis carnalis Abraham, qui adusque excidium Jerusalem in gladio vixerunt, et nunc fratri eorum spirituali serviunt secundum prophetiarum explicationem jugum aliquando excussuri.

(41) Oderat ergo semper Esau Jacob, sed Jacob non odit Esau. Et hoc omni die video in odio Judæorum contra Christianos, qui alunt et conservant illos. (42. 43) His factis mittit spes (Rebecca) Ecclesiam (Jacob) ad patientiam (Laban), fratrem

<sup>a</sup> Correxi

<sup>b</sup> Supplevit cui supra lineam

<sup>c</sup> Delevit me

<sup>1</sup> Cf. Rom. 8,29.

suum in fide Haran, civitatem cognitionis Abraham, ubi vera fides in Deum adhuc conservabatur. Sensus hic mysticus veris nominibus adjunctis litteralis est. Et fors taliter cetera quoque deduci potuissent, sed ego me illis non applicui, cum ad altiora longe alia dignatus fueris elevare mentem meam.

Verum, o Domine, his ita cognitis per gratiam tuam quomodo combinabo et repe-riam, quonam tempore hæc facta fuerint inter Synagogam et Ecclesiam? Sed quid facilius, cum jamjam horum memoriam celebratura est Ecclesia: tunc enim hæc facta sunt, cum Simeon dixit: Nunc dimittis servum tuum, Domine, secundum verbum tuum in pace, quia viderunt oculi mei salutare tuum<sup>1</sup> etc. Tunc verus Jacob pelle legis et vestibus corporis indutus venit tempore, quo verae promissionis (seu Isaac) oculos caligare [82:] fecerant tot litterales interpretationes Scripturarum. Et hic primus inter ceteros fratres,<sup>2</sup> quibus tamquam hominibus bonæ voluntatis pax<sup>3</sup> publicata fuerat, obtinuit benedictionem.

Promissio illa erronee interpretata de regno Messiæ miserat Synagogam (Esau) ad venandum cum arcu et pharetra, in superbia cordis sui, sed spes firma electorum fecit, ut tolleret hedum aut agnum de grege Israel (cujus immolatio pro cibo et nutrimento promissionis Synagogæ instituta fuerat), vestivit se figura velut pellibus ejus, et benedictionem veræ promissionis obtinuit. Frater fuit Synagogæ hujus Jacob et quidem primogenitus. Et profecto in nativitate, in repræsentatione, sed potissimum in passione Christi omnia hæc adimpta sunt. Quæ adhuc semel et clarius repetam, ut laudem magnalia tua.

Isaac seu promissio hæc ex spe tamquam Rebecca per legem tamquam Eliezerum adducta generavit filios carnales in Esau, filios spirituales in Jacob, sed hæc promissio duplex fuerat temporalium bonorum et æternorum; sub figura illorum filii carnales seu Esau ex promissione et spe temporalium nati tamquam primogeniti primogenituram (dubitantes de promissione illis facta de possessione terræ Canaan) vendiderunt pro pulmento rufo, quia in Ægyptum voluerunt redire, dum Josue et Caleb tamquam filii spirituales spei veræ credentes attulerunt botros.<sup>4</sup> Quid igitur factum postmodum? Hoc, quod jam per agnum paschalem præfiguratum erat. Venit Jacob seu Christus figura illius tamquam pellibus vestitus et veram promissionem demonstravit, et ad illam obtinendam viam aperiens Synagogæ seu Esau benedictionem hic verus Jacob cum fratribus unum corpus constituens obtinuit.

O bonorum omnium largitor, Deus! Quid sum ego vermis et cinis, quod mihi hæc tam clare demonstrare dignaris? Ecce, quo ordine et quibus velis coopertæ veritates latent in hac historia, per quam reducor ad Christum tamquam semen Abrahæ, propter quem omnes promissiones factæ sunt. Credo igitur te illuminante, Domine, ceteram quoque subsequentem historiam Jacob respicientem semper tamquam repræsentationem propheticam esse prædicti seminis spiritualis Abrahæ seu Ecclesiæ; historiam proinde repræsentando prædictur, quidnam futurum est in illa. Unde sequitur eventuum habendam rationem, prout et in subsequentibus, (43) dum Rebecca Jacob misit in domum fratris sui salvare volens a furore Esau, sensum credo hunc esse: futurum, ut semen carnale semper persecetur semen spirituale, quod spes

<sup>1</sup> *Nunc....: Luc. 2,29.*

<sup>2</sup> Cf. Rom. 8,29.

<sup>3</sup> Cf. Luc. 2,14.

<sup>4</sup> Cf. Num. 13,25.

confirmat et ad fidem remittit, ut in patientia exspectent finem persecutionum [83:] suarum. Notandum semper Rebeccam pro spe, Laban pro patientia, domum cognitionis Abraham pro fide sumi debere.

## SUPER CAPUT 28.

Quam salutare est consilium, quod Isaac, figura promissionis dat filiis suis in Jacob, ne acciperent conjugem ex filiabus Canaan, quae repräsentant filias sæculi et mundi; siquidem semen Cham a patre Noe maledictum fuisse jam vidi.<sup>1</sup> Et hæc fuerunt, quæ in præcedentis capituli versu 40. tedium vitæ causabant Rebeccæ seu veræ spei futurorum bonorum. Parem instructionem dabat Isaac seu promissio futurorum bonorum spiritualium filio suo, et sic remittit ad domum cognitionis suæ, seu, ut pro clariori intelligentia sæpius repeatam, promissiones futurorum bonorum et spes remittunt filios suos ad fidem cum patientia.

(5) Hic versus adventum Jacob in Mesopotamiam referens, sequentes matrimonium Esau et reliqui peregrinationem Jacob denuo reassumentes denotant mihi res figuratas non in eodem ordine procedere, prout in præcedentibus observavi, ubi versiculatim applicari poterant. Quodsi porro eventus designare vellem, quando et quomodo Synagoga seu carnales filii filios seminis spiritualis persecuti fuerint et peregrinari coegerint, hæc combinationes et memoriam requirent et non mei operis essent, siquidem hæc coram te, Deus, qui omnia nosti, de his, quas refero, veritatis plene convictus loquor.

Intelligent me homines, et eandem, quam ego, veritatem sentient, quos hæc legere contigerit, si in hoc spiritu meditabuntur Scripturas tuas. Criticis enim, chronologis, sciolis et scientiam mundi sectantibus quomodo ego satisfacere possem, cum et ipsum verbum tuum Scripturæ tuæ omnis scientiæ eorum sit objectum et tantarum litium ac contestationum materia his præsertim ad periodum suam vergentibus temporibus, in quibus languescens in dies fides causat, quod plus tractetur sensus Scripturarum litteralis, quam mysticus aut spiritualis.

O Deus, quanta est hæc hominum insipientia velle clarum incontestabilemque reddere sensum litteralem Scripturæ, sub cuius cortice illis quoque, quibus legem dedisti, veritates tuas occultasti. Quæ enim pro nostra instructione scripta sunt, quomodo possemus instructionem in illis reperire, quæ tunc quoque obscura erant in sensu obvio et litterali. Absit, ut ego hæc universaliter [84:] condemnem, quæ opinione universali laudabilia censemur, quia video per gratiam tuam finem, in quem hæc tendunt. Oportet enim esse hæreses<sup>2</sup> et scandala,<sup>3</sup> et quo clarior apparuerit Scriptura humano intellectui in sensu litteræ, eo minus intelliget eam. Illa enim est verbi tui proprietas, ut illud homo sine te nec audire nec intelligere possit; illis porro, qui in Spiritu tuo scrutantur, quid opus chronologiæ et criticorum argutiis?

Repeto, Domine, bona, laudabilia necessariaque esse hæc in Ecclesia pro demonstranda veritate, pro convincendis atheis, deistis et quid scio quot<sup>a</sup> occultis filiorum

<sup>a</sup> *quid scio quot pro nescio quot* (cf. Ms. fr.: *je ne sais quelles*) fortasse ut Hungarismus („mit tudom, mennyi“)

<sup>1</sup> Cf. Gen. 9,25.

<sup>2</sup> Cf. 1 Cor. 11,19.

<sup>3</sup> Cf. Matth. 18,7.

ejus sectis. Sed quamvis res se sic habeat, non minus verum erit, quod refero, non ut contrarier aut approbata reprobem, sed ut admirer latentia sapientiae tuæ consilia etiam in illis, quæ oculis meis exponi video; quo evidentiorem reddet fidem humana ratio, eo plus capiet, et quo plus capiet, eo minus credet, quia sciet, aut potius dicam, scire se credet et dum hoc crediderit, fides jam non amplius erit fides, sed scientia, quam homo intelliget, et quia intelliget, humanæ illusiones erunt, non tuæ veritates, quæ credi, adorari, sentiri debent.

Tu, Deus infinite justus, non causa, sed talis ordinator es horum malorum, quæ ducunt mundum ad finem decretorum tuorum. An tu malus dici potes, cum oculus noster nequam est? Non, profecto, hoc enim humanæ condicionis exigit ratio, cuius causa peccatum est, quod semper juste punis, dum non adjuvas hominem, nec per hoc malum patras, sed cursu naturali evenire sinis, et sic agendo facis justitiam; avertendo porro aut cursum condicionis humanæ naturalem deflectendo facis misericordiam. Sic egisti ab initio mundi, sic agis hodie, et par erit ratio operum tuorum usque ad finem mundi, ubi revelabuntur et patebunt justitiæ judiciorum filii tui, quem vivorum et mortuorum Judicem constituisti.<sup>1</sup> Ille est, qui tunc aperiet librum illum æternorum decretorum tuorum septem sigillis clausum,<sup>2</sup> ex quibus damnandi convincentur de justitia, salvandi de misericordia tua, et tota natura, omnis creatura, ipsem infernus agnoscat magnalia tua, gloriam tuam, et sic omnia opera tua laudando te redibunt ad finem tuum.

Scio, Domine, quod hoc tu me docueris, sed quomodo? An per revelationem supernaturalem? Profecto nescio; hoc solummodo scio, quod meditando Scripturarum tuarum veritates, sed non historiarum eventus et litteræ velum, hæc me docueris. Simplex et nuda est veritas tua, Domine, quæ tumet ipse es, et ideo, ut [85:] omnibus hominibus constet in Scripturis figuram, litteram, velum assumere debuit, prout hæc ipsa veritas, hoc ipsum verbum corpus assumpserat, ut videatur ab hominibus. Alioquin quomodo Deum videre potuissent qua talem? Igitur omnes homines possunt legere; audire veritatem tuam et verbum tuum, vellet enim bonitas tua, ut omnes homines salvarentur, sed quia non omnes salvat misericordia, quos condemnavit propter peccatum justitia, non omnes intelligunt, qui legunt aut audiunt. Pauci intelligere volunt et petunt, pauciores sentiunt veritatem, quod proprie intelligere est. Hoc enim sentire non intelligere significat, sed convinci, id est, corde ac voluntate assentire ac adhærere veritati. Hoc porro nequit semper fieri respectu corticis aut litteræ, nisi illud, quod hæc refert, ipsius veritatis dictum sit ipsam veritatem designans. In similibus enim si quis figuram querit et intellectum simpliciter in humilitate non captivat, illusionem reperit et spiritum illum nequam a Domino, cum veritatem præterierit. Hic est spiritus ille erroris et mendacii, quem homo reperit, dum Deum præterit, sed et immittitur ex justo judicio illis, qui verbum tuum, Deus, ad sensum proprium, aut dicam potius, ad præjudicia sua trahere volunt. Et hi sunt, qui intelligentes non intelligunt, audientes non audiunt.<sup>3</sup>

Ecce, Domine, hæ sunt illius speciei veritates, (si tamen verum est veritates subdividi posse), quibus et suaviter assentire, fortiter adhærere sentio in me, hoc autem,

<sup>1</sup> Cf. Act. 10,42.

<sup>2</sup> Cf. Apoc. 5,1 etc.

<sup>3</sup> Cf. Matth. 13,13 sqq.

quod sic agit aut sentit, non caro, non sanguis est, sed est in me, ego tamen miser ille procul sum ab eo, quod jam tibi dixi, Domine, sed sentire et meminisse numquam satis possum, ut eo plus desiderem recedere a me et accedere ad te. Trahe me igitur, cum ego ire nequeam, per continuationem veritatis tuæ in Scripturis latentis. Porriga<sup>a</sup> escam, ut illa allectus sequar te ducentem, sed auge et famem, ut appetam, quod porrigit! Da charitatem, ut diligam et desiderem pervenire, quo ducis! Denique miserere, non mereor enim, quod tecum facis!

(6) Designavi, Domine, tempus, quo Ecclesia in capite suo Christo Jesu, Domino nostro benedictionem Esau tamquam figuræ primogenitæ Synagogæ obtinuit corpori Ecclesiæ seu spirituali semini Abrahæ, sed exinde non suppono Jacob semper et in omnibus aliter figurasse Christum, quam unitum cum fidelibus et tamquam caput corporis Ecclesiæ. Prout ergo in Esau character Synagogæ exprimitur, ita Jacob characterem Ecclesiæ repræsentat secundum opinionem meam, quam a bonitate tua, Deus, provenire non dubito. Et in hoc sensu considerans Esau signa resipiscentiæ aliqualis ejus in hoc versu et in subsequentibus (7. 8. 9) expressa ad vivum repræsentant [86:] mihi Synagogæ seu gentis Hebr[e]æ<sup>b</sup> temporales et ab extra tantummodo apparentes resipiscentias, dum per tot ac tantas afflictiones vidissent benedictionem promissionis tuæ recessisse ab illis. Visi sunt quandoque ab idolatria et fornicationibus suis tamquam a matrimonio filiarum Canaan recedere, sed in corde semper bonis terrestribus et vitæ carnali adhæserunt, quod repræsentatur per matrimonium filiæ Ismael, quæ ab uxore Ægyptia nata fuit et in avia sua, Agar servitutem repræsentans ex semine Abrahami pure naturali ac per consequens terrestri traxit originem. Et talis fuit generatio Synagogæ quoque generationi Jacob penitus opposita.

(10) Igitur Jacob egressus in peregrinatione sua repræsentat mihi peregrinationem electorum super terram; lapides, quos se ad quietem componens supposuit capiti suo, indicant miseras et inquietam requiem filiorum ejus, quæ directius etiam ad labores et peregrinationem ac persecutions electorum in Synagoga existentium referri possunt. Visione porro scalæ, quam Jacob vidi in somnio, repræsentatum fuit illi incarnationis mysterium, per quam contiguitas inter terram seu homines et Deum facta est, et in veritate hujus descendunt gratiæ tuæ, Deus, super omnes et ascendunt ad te preces et merita fidelium tamquam angeli descendentes et ascendententes. In hoc incomprehensibili mysterio adimpta est promissio tua, Domine, ad Jacob denuo reiterata, (13. 14. 15) et dilatatio Ecclesiæ ad quattuor partes mundi, quam in promissionibus Abrahæ factis necdum specificaveras. Hinc verificatur postrema illa pars promissionis: Et ero custos tuus..., nec dimittam, nisi complevero omnia, quæ dixi. Non Jacob respexit, Domine, haec promissio, quem in terra Ægypti futuræ capitivitatis seminis sui demisisti ad patres suos, sed semen spirituale ipsius seu Ecclesiam tamquam hereditatem æternam Filii tui, quam non dimittes umquam.

Et ex his taliter combinatis demonstratur mihi lapidem erectum in titulum oleo superinfuso figurasse domos illas lapideas honori et gloriæ tuæ dicatas, quas filii ejus erigerent, in quibus potest nunc quoque dici: (17) Dominus est in loco isto,

<sup>a</sup>porridge sc. mihi (cf. Ms. fr.: *donnez moy*), famem sc. meam (cf. Ms. fr.: *ma faim*), da sc. mihi (cf. Ms. fr.: *donnez moy*), miserere sc. mei (cf. Ms. fr.: *ayez pitié de moy*)

<sup>b</sup>Supplevi -e-

terribilis est, nec aliud, nisi domus Dei et porta cœli, cum in illis in veritate subsistat scala illa in sanctissimo altaris Sacramento, quam Jacob nonnisi in somnio viderat. Hæc fuerunt consilia tua, Deus, de semine Abrahæ, quæ primis patribus in tam tenebrosis figuris repræsentasti; sed nec promissiones tuæ clariores fuere, cum possessionis bonorum temporalium velum patriæ beatitudinem penitus obumbraverat.

Sed, o Domine, quam sæpe redit Serpens ad homines hæc et similia meditantes et interrogat: Cur fecit hæc taliter Deus? [87:] Alius dicet: Nec fecit, sed nec cogitavit, sed tantummodo piis speculationibus interpretatur Scriptura, quæ nonnisi simplicem historiam refert. Et sic ego quoque solebam respondere loquelæ curiositatis meæ in me Serpentis. Alii debilitatem humani intellectus facile tangentes contrarietates reperientes in Scripturis de veritate illarum dubitant vel ut ne dubitent, potius non legunt. Et ex horum numero ego quoque fui, sed a quo velum cordis mei dilaceravit misericordia tua, vident oculi mei mirabilia tua et vellein omnium hominum corde amare, omnium linguis laudare te propter opera tua, cum ex illis agnoscam, quid tibi debeam et quam dignus sis, ut ameris et adoreris.

Et hæc sunt instructiones illæ, propter quas hæc facta et scripta sunt, et quæ nos respiciunt, ut agnoscamus ipsos sanctos patriarchas, quibus, Deus, tam sæpe locutus fuisti, sub lege peccati in tanta cæcitate constitutos vixisse, ut ante redemptionem et ante velum templi in passione scissum<sup>1</sup> clarioris cognitionis veritatis ex natura sua capaces non fuerunt.

Tu vides, o Domine, per hæc non velle me dicere aut intelligere sanctos illos veteris testamenti et prophetas venturorum mysteriorum clariorem notionem non habuisse, nam in hac ipsa distinctione differentis luminis differentibus temporibus successive dati apparent magnalia tua et diversitas luminis, quod in virtute passionis Christi antecedenti habuerunt ante legem, sub lege naturæ et post legem scriptam, ante quam legem nullus propheta fuit, quamvis et Abraham, prout dixi, diem Christi viderit et Jacob hanc visionem scalæ, quam rettuli, et præter hoc quoque moriens prophetavit.

Sed hæc non obsunt propositioni meæ, secundum quam absit a me velle decidere, cui quantum luminis dare volueris pro firmando fide et solidando spe futurorum, per quam præservabantur a perditione in salutem. Scio, quod ad hæc reponitur mihi, quodsi tunc illorum notio ex virtute passionis antecedenti fuit, nunc est ex consequenti; ergo par fuit illorum, par nostri ratio.

Sed parce, o Domine, illis, qui taliter cogitant et balbutiunt de merito infinito passionis Christi et statu differenti Christianorum a Synagoga et præcipue de statu legis naturalis. Vel ignorant enim vel non se reflectunt tunc fuisse tenebras communes, lumen vero particulare illorum, qui tunc quoque ex vera Ecclesia, cui promissio facta fuit et impleta est, fuerunt. Nunc vero post sacrificium crucis lumen est omnibus demeritum et datum, tenebræ autem sunt particulares seu, ut clarius dicam, si nos baptismate recepto in statu [88:] innocentiae conservaremus, omnes veritatis tuæ et Scripturarum (secundum exigentiam status, in quem a Deo vocati sumus) sufficienter notionem haberemus. Sed siquidem per peccatum lumen fidei nostræ offuscamus, ideo dico tenebras nostras esse particulares, quia suarum tenebrarum quili-

<sup>1</sup> Cf. Marc. 15,38.

bet in suo individuo est causa, non defectus gratiæ et luminis, quæ nobis Christus demeruit.

Et in hoc est infinita illa differentia inter Synagogam et Ecclesiam, inter semen carnale et spirituale, quam me in sequentibus scio occasionem habiturum clarius deducendi, quamvis non credam hominem Christianum de hac veritate dubitare posse. Ideo quippe bonitas tua, o Deus, nobis constare voluit Scripturas et mundi historiam, ut videamus mirabilia tua, nec hæc indifferentia et inutilia continet, sed omnes eventus specificati prodesse possunt nobis. Ex operibus tuis voluisti cognosci, Domine, non per notiones intellectus nostri et scientiæ. Quidquid enim de te scimus, nonnisi ideo scimus, quia per opera tua et verbum tuum revelatum est.

Sterilis est humana scientia, quæ sui intellectus operatione ad te pervenire intendit. Quidquid enim de te sibi imaginari potest, nihil horum es; nam si ex operibus tuis, justitiæ, misericordiæ, bonitatis tuæ prædicata manifesta non fuissent, quis tibi ex lumine intellectus illa attribuere potuisse? Sterilis est verbi tui seu Scripturarum lectio tamquam simplex historia considerata, periculosa littera spiritu seposito. Spiritus igitur in veritate consistit, veritas porro sub figuris latet. Vocent hæc, Domine, homines ingenii mei speculationes, si veritati correspondent, profecto non a me, sed a te procedunt.

Sed si quis me interrogaret, quid est veritas, dicerem veritatem esse, quod doctrinæ Ecclesiæ aut spiritui ejus (in illis, de quibus necdum doctrina constat) consonum est. Nec igitur in alio sensu adhærere cupio his, quæ scribo; hæc porro misericordiæ tuæ attribuenda esse profecto plus sentio, quam dicere valeo. Sit tibi igitur laus et gloria ex donis tuis, quæ a te petere non cessabo, ut te plus laudare, et quo plus laudavero, eo plus diligere valeam.

#### SUPER CAPUT 29.

Accedo, Domine, in omni humili agnitione ignorantiae meæ sanctuarium veritatum, quas velut in puto grandi lapide tecto occultari sentio in hoc capite historiæ Jacob peregrinantis. Dixi hactenus Jacob figuram fuisse Ecclesiæ, sed, o Domine, jamjam deficiam in applicatione hujus figuræ, nisi [89:] tu me denuo adjuvare dignatus fueris. Agitur enim de matrimonio et de generationibus Jacob, ex quibus processit Synagoga illa, cuius Esau figuram fuisse dixi, sed et Ecclesia, cuius ipsummet Jacob figuram fuisse statui, ex eodem semine ejus propagata est. Nequeo præterire circumstantias primorum versuum, in quibus repræsentatur mihi puto, circa quem tres greges accubuerant, et os ejus grandi lapide clausum fuerat, qui removeri non poterat nisi congregatis gregibus. Jacob tamen appropinquante Rachele ipse solus illum removit, ut adaquarentur oves Rachelis.

O Domine, tu vides me similem esse illis, qui odorem excellentem odorant, neisciunt tamen, unde exhalet odor, vel (ut melius dicam) aromata ipsa suave olentia reperire nequeunt. Ego quippe sentio odorem veritatis, sed ecce, veritatem designare nescio. In præcedentibus sæpius dixi rationem, cur statuerim domum hanc Nachor, ex qua Rebecca exiit, et spem figuravit, pro figura fidei, prout ex applicatione jam præcedenti hæc veritas patet. Dixi Laban patientiam figurasse, sed tu, Domine, vi-des docilitatem meam, nec me pudet nec displicet retractare prolata, si illa veritati tuæ consona non repperero.

Loquere proinde mihi, Domine, vult enim audire servus tuus;<sup>1</sup> sed non audiet vocem tuam, nisi tu audire feceris illum. Vere et ego puteum profundum video coram me, nec me ad aquare valeo. Os enim putei hujus tegit ignorantia mea, nec ego valeo devolvere hunc lapidem. O quam profundus putes est Scriptura tua, in cuius fundo latent aquæ salientes in vitam æternam,<sup>2</sup> quas sitire dignatus es facere me! Aduja proinde me, tolle lapidem ignorantiae meæ, ut reficiar!

Video et ego tres sensus tamquam tres greges accubare juxta hunc puteum. Alius est grex sensus litteralis, alius moralis, alius spiritualis seu mysticus, et profecto nisi hi tres se jungant, lapidem ignorantiae amovere nequeunt. Solus Jacob, figura Ecclesiæ vires habet sufficientes, ut lapide hoc grandi ignorantiae semoto gregem Rachel ad aquare valeat. Sed antequam ego ad considerationem personæ Rachel descendam, multa de Jacob combinanda supersunt. Ingreditur ille domum servitutis in domo Laban, in qua multiplicabitur semen ejus. In hoc in vexationibus, quas ipsi Laban fecit, in fuga et persecutione potuit repræsentari illud, quod eventurum erat semini ejus in Ægypto et sub servitute legis. Sed jam dixi me figurarum figuris nolle adhædere.

Sed, o Deus misericors, qui hactenus me in tam obscuris Scripturæ duxisti, quomodo ego applicabo propagationem seminis Jacob [90:] et illa, quæ illi in domo Laban evenerunt, semini illi spirituali Abrahæ, cum et illud ipsum semen carnale, quod Esau figurasse dixi, ex lumbis Jacob exierit. Sed hæc non obstant, omnia etenim hæc agebantur respectu seminis promissionis. Hinc ante benedictionem Isaac Esau figuravit hanc subdivisionem seminis promissionis Abrahæ in duas quodammodo species repartitum iri, sed posteaquam Jacob benedictionem obtinuit, promissio præcise semen Jacob respexit, et Esau figura esse desiit, a quo Jacob e domo patris exiit.

Sed, o profunditas sapientiae Dei, quam stupenda et mihi hebeti vix effabilia demonstras mihi! Oportet me considerare Jacob respectu seminis promissionis, prout consideravi Abraham respectu generis humani, et a quo illi visio scalæ, quæ incarnationem designavit, demonstrata est, opera regenerationis humanæ naturæ sunt mihi respicienda in hac historia Jacob. Post scalam igitur in somniis visam vidit puteum in agro, tres quoque greges ovium accubantes iuxta eum, nam ex illo ad aquabantur pecora, et os ejus grandi lapide claudebatur. Quid hic putes, Domine, quam ipsa profunditas promissionis tuæ, ex qua ad aquabantur tres greges seminis Abrahæ, ex Ismael, ex Isaac et ex filiis Cethuræ? Sed os ejus grandi lapide peccati claudebatur. Verum quid blatero? Ruminato enim bene septimo versu dicam hunc puteum fuisse figuram libri hujus septem sigillis clausi, quem non nisi Agnus aperire meruit,<sup>3</sup> puteum nempe æternorum decretorum, ex quo totum humanum genus in tres greges: vocatorum, electorum et reproborum repartitum ad aquabatur.

Ideo dixit Jacob: Adhuc multum diei superest etc. Sed respondent pastores: Non possumus, donec omnia pecora congregentur etc. Sed seu hic seu respectu seminis, uti dixi, Abrahæ considerem hanc visionem Jacob, non autumo me aberrasse a veritate. Visionem dico Jacob, vere enim omnia, quæ egit, umbra et visio fuit veritatem designans, quam ignoravit.

<sup>1</sup> Cf. 1 Reg. 3,9.

<sup>2</sup> Cf. Ioan. 4,14.

<sup>3</sup> Cf. Apoc. 5,9.

Hæc enim pro nobis scripta fuere, sed interrogat me insipiens: Quid hoc mihi prodest, cum veritatem aliunde videamus! O miseranda hominis progenies, vere tibi non prodest, qui verbum Dei sic consideras, nec proinde ex consequenti pro te hæc scripta sunt, sed pro illis, quos velut esca pretiosa nutriunt. Ex horum consideratione agnosco ego totum Vetus Testamentum partem esse libri illius æternorum decretorum, in quo omnia consilia tua, Deus, de genere humano connotata ipsimet homini communicantur, ut ex illis salutem quærere discat et magnalia tua, Domine, videns ad amorem tui rapiatur.

O bonitas infinita, [91:] quanta est dementia et quam deploranda cæcitas hominis: historiam profanam Alexandri, Julii aut alicujus herois legit, et ad æstimationem et sæpe ad ridiculum plane amorem heroum ducitur, historiam autem humani generis et mirabilium Dei legens interrogat: Ad quid hæc scripta sunt? Non ego vos, o digna compassionis meæ objecta, interrogabo: Cur hæc, quæ dico, non capit? Sinite me solummodo delectari in Deo salutari meo,<sup>1</sup> et hæc, quæ in his mirabilibus fors reperiatis, non abundantia ingenii mei, sed spiranti, ubi vult, Spiritui<sup>2</sup> attribuatis, si veritati consona reperietis.

(10) Quid hic Rachel, nisi novum testamentum, denique Ecclesiam gentium oves designant, qua adveniente Christus solus revolvet lapidem peccati et ad aquabit oves novi testamenti. Ex omnibus operibus Dei Hominis patet illum hanc Rachel et oves ejus adamasse, sed voluntas Patris fuit, ut prius convertere-tur ad domum Israel, prout ipse dicit in Evangelio.<sup>3</sup> Ex hoc consequenti appareat antecedens decretum de vocando primo semine carnali Abrahæ in Synagoga et demum de vocando semine spirituali in gentibus, quod exprimitur cap. 21 v. 12: Vocabitur tibi semen in Isaac; et ex hujus veritatis consequenti Laban Rachelis loco Liam substituit, ut vere vocaret semen ex illa Jacob: ex qua et Juda et in ejus vocato semine Christus natus est. Sed et semen Balæ et Zelphæ ancillarum vocatum fuit, quapropter clarum est Liam lippis oculis caligantem legis et Synagogæ oculos denotare, et prout in historia Abrahæ hoc vetus testamentum in Agar repræsentatum fuerat,<sup>a</sup> ut in historia ejus, ad quid opus fuerit illo, respectu generis humani demonstraretur, ut nempe filium sitientem et flentem in deserto ducat ad puteum per manus (prout jam dictum est), ita hic repetitur figura veteris testamenti generantis in Lia. (25)

Servivit vero Christus, æterne Pater, tibi pro Rachele, in qua figuratur Ecclesia gentium, prout in consequenti appetet, sed ex antecedenti, id est, ex veterib<sup>b</sup> testamento Lia generavit sanctos et electos suos, et sic postmodum desponsavit Rachel, cuius tu, Deus, uterum clauseras, ut exprimeretur in figura harum generationum anterioritas et posterioritas. Generatio Balæ pariter, uti dictum est, ex vocato semine fuit, et baptismum Joannis præfiguravit respectu novi testamenti. Bala enim citius peperit Rachele, quod mysterium clare exprimitur capit is sequentis versu 3.: Ingredere ad illam, ut pariat super genua mea, et habeam ex illa filios! Talis fuit bapti-smus Joannis respectu baptismi Christi seu novæ legis.

<sup>a</sup> Correxit ex *fuit*

<sup>b</sup> Sic!

<sup>1</sup> Cf. Luc. 1,47.

<sup>2</sup> Cf. Ioan. 3,8.

<sup>3</sup> Cf. Matth. 15,24.

O Domine, [92:] non crederem curiositatis opus esse, si hoc annos servitus Jacob pro Rachele combinarem cum numero annorum durationis Synagogæ, centum annos pro una die computando, prout hujus exemplum in Scripturis mihi occurrit. Vellem præterea investigare tribus, ex quibus apostoli fuerant, quos numero duodenario patriarcharum designatos fuisse autumo. Rachelis porro filii taliter fors Matthiam et Paulum novi testamenti apostolos, cum post ascensionem Christi in collegium illorum assumpti sint, figurarunt. Præcipue cum Paulus de tribu Benjamin fuerit. Sed quia ad hoc mihi libri desunt, hæ particularitates fidem meam non augerent, cum et aliunde digneris mihi sensibilem reddere magnitudinem mysteriorum tuorum, per quæ me trahis ad contemplationem illorum.

O gaudium animæ meæ, quam dulcis et suavis es te quærenti animæ! Ecce, Domine, de novo me confortavi pro itinere, in quo ambulare me facis, pane cælesti, quem dedisti mihi in edulium. Respice in me, et vide Filium tuum unigenitum in hoc indigno ergastulo corporis mei, quod ego melius exornare nequeo in hac vita, semper enim sordibus coquinatum est et erit.

Respice proinde et adjuva me tu quoque, o Salvator meus, qui hoc ergastulum ingredi dignatus es. Suscepi te, ut recipiam incrementum amoris tui in me. Cum ergo ad te ferri nequeam sine te, sed cum tamen ferri volo, in quantum possum te miserante, repo; repo autem per alta et abrupta, cum semper altius et altius trahere dignaris me. Timerem, Domine, si respicerem, et fors caderem. Noli proinde me deserere vermem et reptile tuum, sed fac, ne oculos meos deflectam a te; sic enim videns immensam altitudinem, qua distas a me, me in infimis ambulare credens semper altius et altius tendam ad te. Desperarem, Domine, in opere meo, et me periculosum iter ingressum esse facile persuaderent, qui hæc mea scripta legi audiunt, sed dum finem operis mei et animæ meæ hunc cibum appetentis unice famem respicio, prudens aliorum cautio segnitiem generaret in me, si te vocantem et hactenus ducentem quamvis repens non sequerer. Tendo proinde et tendam semper ad te, dulcis esca animæ meæ. Nutri me; cum enim tu me nutriversis, crescat fames mea, nec cessabit, donec perveniens ad te satier gloria tua, quam quæro, quam opto præstare et præstari tibi ab omnibus creaturis tuis.

### [93:] SUPER CAPUT 30.

Adoro, Domine, in omni humilitate mysteria tua, quæ mihi sub tantis umbris repræsentantur in Scriptura, et agnosco magis in his, quæ occurunt, quam in ceteris, veritatem, cuius sæpe memini, nequire semper figuræ versiculatim applicari veritatis et præcipue in his, in quibus generatio carnalis spiritualem generationem repræsentat. Instinctus humani erant in Rachele invidia, qua ferebatur in fecunditatem sororis, et modus ejus loquendi marito; nec proinde hæc novo testamento applicare convenit, sed nec sensum 3. versus in rigore litteræ rettuli, sed in illo solummodo sensu, in quo baptismus Joannis per ancillam dominæ suæ prolem parientem adumbrari potest, quia scilicet filius ancillæ, quamvis subjectum sit capax hereditatis, adoptione tamen opus est, ut heres efficiatur, ita et Joannis baptismus non nisi dispositio fuit ad adoptionem subsecutam per baptismum Christi, nec nisi in hoc sensu potest sumi pro initio generationis Rachel seu novi testamenti.

Cessaverat respectu decretorum tuorum generare vetus testamentum per Liam figuratum (9), postquam Judam peperisset, ex cuius semine Christus nasciturus per nativitatem suam generationem veteris testamenti quodammodo suspendit; non tamen ita abrogavit, quin denuo parere continuasset, ut hæc generatio ejus antecedens distingueretur quodammodo a generatione ejus subsequenti. Illa cessante Zelpha ancilla ejus parere incepit, quæ, possem fors dicere, quod circumcisionem repræsentavit, quæ fuerat signum extrinsecum tantummodo generationis filiorum Israel. Profecto enim post nativitatem Christi populus Hebreus ita recessit a spiritu legis, ut nonnisi pro filiis circumcisionis haberi potuit. Potuit et hæc generatione ancillæ designari generatio illa adultera populi per divisionem decem tribuum cum diis alienis fornicantis usque ad postremam captivitatem totius populi, et hanc idolatriam expresserant mandragoræ, quas Ruben in agro reperit. Tribus Ruben enim fuerat cum decem tribubus cum Jeroboam separata, et demum tribus Benjamin, quæ cum tribu Juda sub Roboam permanesarat, idolatriam secuta est. Et hoc exprimi potuit per desiderium Rachel ex mandragoris filii Liæ [94:] (prout Scriptura exprimit) participare volentis. Mandragoræ enim radices sunt idola ad vivum repræsentantes.

His textibus proinde taliter consideratis (17) dicam Liam denuo parere incepisse, poste aquam mandragoras tradidisset seu postquam recessisset a cultu idolorum et ex captivitate reductus fuisset populus per Neemiam et Zorobabel. Hinc secundum partum, aut clarius dicam, (22) secundo inchoatum partum Liæ fecunditas Rachelis subsecuta est, et Lia parere penitus desiit, postquam Dinam filiam peperisset. (25) Nato Joseph, fecundata Rachele Jacob e servitute dimissionem petit; et quid melius exprimere potuit desiderium libertatis et regni Dei tamquam patriæ, quod baptismus Joannis impressit pænitentiam amplectentibus? Sed quamvis redditum in patriam, prout Jacob, desideraverint, manserunt tamen sub servitute legis.

Continuavit proinde Jacob servire Laban pro mercede ovium, et subsecuta ovium segregatio<sup>a</sup> vivis coloribus repræsentat mihi, quod factum est, poste aquam Joannes baptisare incepisset. Oves unicolores repræsentant mihi circumcisos et legis sectatores, diversicolores indicant Judæos baptismum Joannis recipientes et cæremonias legales cum pænitentiæ operibus miscentes. Hæc fuerunt virgæ corticatæ, quas Jacob in figura in canalibus posuit. Joannes ad aquas Jordanis oculis plebis tamquam ovium exposuit et in horum operum pænitentiæ conspectu concipiebant oves variegatæ legem et pænitentiam sequentes. (40) Et jam tunc divisisti gregem, Domine, cujus pars conceptionis nempe primi temporis erat pro Christo, serotinæ conceptionis autem mansit pro Synagoga.

Sed, o Domine, hanc differentem conceptionem non meum est explicare, sed adorare tamquam sequelam decretorum tuorum. Examinent ac legant<sup>b</sup> alii hanc historiam Jacob, et inquirant, quomodo virgæ populeæ et amygdalinae<sup>c</sup> effectum præstare potuerint in conceptione ovium, quæ illas canalibus impositas plus bibendo viderunt, quam in calore coitus. Examinent, inquam, num hic actus Jacob fraudulosus et per consequens peccaminosus non fuerit; ego profecto hanc historiam veram esse quamvis credam, cum multis aliis eventibus vix dignam censerem referri in sacris libris, si figuræ in se non continerent.

<sup>a</sup> Correxit ex con-

<sup>b</sup> Correxit ex legent

<sup>c</sup> Ms. amag-

Possunt hæc designare alias veritates, sed anima mea satiatur hac, quam demonstrare dignatus es mihi, nec aliam quæram, cum hæc mihi sufficienter demonstret profunditatem sapientiæ tuæ. Omnia hæc in filo procedunt et applicantur revelatis nobis veritatibus quoad [95:] omnes essentiales circumstantias. Sed cui hæc debeo, Domine? Profecto non debilitati meæ et tenebris meis, sed lumini tuo, et hæc omni propemodum momento experior, quæ enim uno instanti penitus obscura et inapplicabilia apparent, fulgure luminis tui coruscante cadunt tamquam squamæ tenebræ ab oculis meis,<sup>1</sup> et sensus propemodum obvius fit, qui fuerat tam obscurus. Vere igitur nihil ego ex his et in his mereor, quæ præstare dignaris mihi, vellem solummodo, ut omnes creaturæ tuæ et omnes homines viderent misericordias tuas, quas hominibus indignis præstas, ut in tam evidenter exemplis agnoscerent bonitatem tuam et diligerent te sumnum bonum, cum tu solus qua finis diligendus sis creaturæ, quæ etiamsi per potentiam suam intellectualem omnes ceteras præcellit, per sensus corporis et inferiores organizationes illorum pluribus animantibus postponenda est. Illa tamen in hac imperfectione sua plus complacet sibi, quam in imagine tua, quam impressisti illi, et vere plus delectatur se esse brutis similem, quam tibi, Deus, quia sæpius sequitur, prout bruta, sensuum suorum instinctus, quam inspirationes tuas.

Me repræsento tibi, Domine, cum hæc expono tibi, ut eo plus videam, quod ego facio pro te et quid tu facis pro me, quid ego mereor ex justitia et quid tu præstas ex misericordia. His enim combinatis facile agnosco, quam justus es, dum me castigas, quam misericors, dum parcis; parcis autem semper, quia plus mereor puniri, quam punis. Et sic exercendo justitiam facis semper misericordiam. Cum igitur justitiam vere mereor, dum punis, fac, ut amando te merear misericordiam, dum parcis.

#### SUPER CAPUT 31.

Humani sensus judicia repræsentant mihi loquelæ filiorum Laban. (1) Sed in tota hac historia exitus Jacob e domo Laban video repræsentari exitum filiorum Dei e servitute legis. Ipsa enim unio familiæ Jacob, æqualis uxorum et ancillarum conditione, ita et heredum ejus, miram illam harmoniam inter vetus et novum testamentum præfigurat. (4) Nulla inter Liam et Rachel (quam Scriptura Liæ præponit, a quo peperit) ab initio matrimonii earum inter eas contestatio, nulla servitutis denominatio respectu filiorum ancillæ, qui omnes ad eandem hereditatem vocantur, denique longe alia facies figuræ veteris testamenti in Lia, quam ante [96:] in Agar et filio ejus videram.

O Domine, quid potest mihi vivacius repræsentare communem illam generationem filiorum spiritualium Ecclesiæ, qui ex unione (prout dixi) veteris et novi testamenti nascuntur? Conciliavit enim spiritus apparentes oppositiones litteræ, et prioris verum sensum novum testamentum demonstrando omnem perfectionem ejus consummavit.

Exiit igitur Jacob e servitute Laban, prout exituri erant heredes promissionis spiritualis e servitute promissionis temporalis. Et tempus hujus exitus a Deo indicatur. (3) Nihil secum ablaturi, nisi bona, quibus a Deo ditati sunt; ipse enim tulit substantiam.

<sup>1</sup> Cf. Act. 9,18.

tiam Laban, et dedit Jacob. (9) Tumet ipse, Domine, demonstrasti Jacob, quod ex bonitate tua multiplicatae sunt oves variæ, maculosæ atque respersæ, non virtus virgarum popularium et amygdalinarum multiplicavit illas, ut separarentur a gregibus Laban. Non propter hæc dicere intendo Laban veteris testamenti fuisse figuram, in hac historia enim eventus credo considerandos, non personas. Et illis attente consideratis per Laban Jacob consequentem, Rachel idola auferentem et supprimenter autumo designari gentiles propter idola per novum testamentum suppressa illud persecuturos, sed tandem futurum, quod agnoscent veritatem, quam Laban confiteatur, (43) et omnes gentes ingredientes Ecclesiam fœdus inibunt, (44) ac si futura præsagiens Scriptura diceret: (45) Tollet itaque Ecclesia signum crucis, et eriget illud in titulum dicetque fratribus suis: (46) Afferte lapides, qui congregantes facient tumulum seu altaria et comedent super illa. (47) Et hæc est veritas, quam indicat textus, quem vocavit Laban tumulum testis, et Jacob acervum testimonii, uterque iuxta proprietatem linguæ suæ.

O Domine, quam facile præterirem ego considerationem hujus expressionis: juxta proprietatem linguæ suæ, si tu me monere quodammodo non dignareris, ut ruminem illam! Nescio, Domine, num fuerit differens idioma Syriacum ab idiomate Hebræo tempore Jacob, nec examinabo, an ipse Jacob in terra filiorum Cham peregrinans illorum lingua locutus fuerit, vel hic textus in linguis originalibus dicere voluit, quod Jacob et Laban idem voluerint dicere, quisque in suo idiomate, hoc tamen scio, quod in hoc textu videtur mihi exprimi vera proprietas mysterii altarium, quæ semper habebantur in Ecclesia pro tumulo martyris sive testis, et pro acervo testimonii reputata fuere, super quem perpetuum præbetur testamento testimonium, et super hunc comeditur. (48) Hic tumulus testis seu tumulus martyrum, quos gentiles occiderunt, factus est in tumulum testis inter [97:] Ecclesiam et gentiles, qui illam ingressi cum illa perpetuam unionem contraxerunt, et in unum corpus coaluerunt, et epulantur super eundem tumulum testis et acervum testimonii sub titulo crucis.

Non videor mihi contraria dicere per hoc, quod in præcedentibus domum cognitionis Abrahæ fidem figurasse dixerim, hic autem Laban quodammodo pro figura gentilium statuam, siquidem ex contextu Scripturæ apparuit in cultu tuo veri Dei Nachor et ipsum Laban perseverasse tempore, quo Eliezer venerat pro Rebecca querenda. In hoc autem capite videtur jam Laban cultum idolorum cum cultu tuo, Domine, miscuisse, et siquidem in querendis idolis suis tam sedulus fuit, respectu eventus gentiles in gremium Ecclesiæ ingressos repræsentare potuit, præcipue cum saepius jam repetierim non personis, sed eventibus credere me applicari posse hanc historiam Jacob, ad cuius ulteriorem explicationem quoque gratiam tuam humillime imploro.

## SUPER CAPUT 32

Libertatem filiorum Dei et Ecclesiæ emancipationem e jugo legis subsequendam fore ingressumque gentium in eam per fœdus Jacob cum Laban indicatum fuisse tuo lumine adjuvante jam agnovi, Domine, et ecce, statim ad exordium subsequentis hujus capituli (1) repræsentatur mihi figura unionis seu communionis militantis et triumphantis Ecclesiæ. Angeli Dei venerunt obviam ei, sed majorem numerum oportuit vidisse illum, (2) siquidem locum illum Castra Dei appellavit. Si hic unius

solummodo angeli adventus repræsentatus fuisset, dici potuisset missum fuisse illum ad protegendum Jacob contra Esau, sed quamvis castra et angelorum frequentia quoque ad id venerit, numerositate sua, prout jam dixi, communionem sanctorum manifeste repræsentat. Tanta fuit cura tua, Domine, erga familiam Jacob, ut illi angelos mittas obviam, ac si unus non suffecisset salvare eum de manibus fratris ejus. Unde manifeste appetet mysterium, quod tegitur, et quod requirebatur quodammodo ad complementum veritatum supra figuratarum seu, ut in consequenti antecedentium loquar, ad repræsentationem eventuum.

Agnosco, Domine, in tota hac residua historia et dispositionibus Jacob verum characterem mansuetudinis et dilectionis fraternæ, cuius heres est Ecclesia tua militans, quæ ex præceptis quoque et exemplo capituli [98:] sui, Filii tui non opponit se potestatibus, non se ad defendendum parat, sed placando fratri et conservationi suæ studet, prout Jacob turmas dividit, et semper promissionibus tuis innixa recurrit ad te, et petit, ut eruas illam de manibus Esau seu persequentium eam. Te exorato non negligit, quæ facere oportet, instruit ministros suos et cetera tibi committit.

Sed his taliter consideratis occurrit mihi contemplanda mysteriosa illa lucta Jacob, (24) in qua explicanda tot et tot me sapientiores desudarunt, unde fors ex respectu quoque tot differentium interpretationum merito possem ego adorans profunditatem mysteriorum tuorum seponere et intactam relinquere hujus luctæ considerationem. Sed quia hactenus quoque longe aliam methodum observavi ceteris in consideratione magnalium tuorum, et hic nunc quoque sentio me animari confiditia, quam in bonitate tua habere jussisti. Absit, ut tibi tam misericorditer ducenti et me instruenti desim! Exhibeo igitur tibi in omni humilitate mentem meam, illumina et rege eam, ut eloqui possim, quæ mihi in hanc rem demonstrare dignaris!

Imprimis igitur repræsentat mihi Scriptura (7. 8) timuisse Jacob vehementer. Vellut dixi, in omni charitate præparat se non ad defendendam familiam suam armis, sed ad conservandam precibus et donis, quod his longe majus et fortius est, (9) recurrit ferventi oratione fiduciaæ suæ ad te, et hac peracta redit ad humana media se salvandi, munera disponens cum omni præcautione injungendo servis suis, (16) ut se turmatim sequantur, seu ut numerosiora appareant munera, seu ut occasionem habeant iterate repræsentare humilitatem Jacob et repetere, quod in versu 18. jussit, ut Esau respondeant. (17. 18. 19. 20) Taliter instructis ad placandum Esau servis præcesserunt munera. Ille porro remansit in castris, (21) et sic quod postremum erat, peregit, mane surgens traduxit per vadum uxorem et filios suos, (22. 23. 24) et ad se pertinentibus cunctis transportatis mansit solus.

O Deus, fons et origo omnis boni, tu fuisti, qui hunc timorem Jacob immisisti in cor ejus, ut fortior fieret et fortificaretur contra te, et sic instituisti hanc impenetrabillem luctam, ut ego videam, quibus fundamentis et quam solidæ basi sit superædifica Ecclesia tua. Hoc primum periculum fuit, in quo juste potuit timere Jacob excidium seminis sui ab Esau. Et ideo timore aucto auxisti et confidentiam ejus in promissionibus tuis sibi et patribus suis factis.

Scivisti, o Deus, antea prævaricationem hominis, et ante peccatum ejus [99:] prævidisti, quod corrumpet viam suam omnis caro,<sup>1</sup> ut tamen hæc eveniant, permisisti, ut occasionem habeas dicendi: Pænituit me fecisse hominem,<sup>2</sup> et tamen parcere

<sup>1</sup> Cf. Gen. 6.12.

<sup>2</sup> Cf. Gen. 6.7.

ipsi, ut (sicut s<sup>a</sup>epe dixi) appareat magnitudo misericordiæ tuæ. Et ecce, hoc est, quod demonstras per luctam. Agebatur, inquam, de conservatione seminis Jacob, quod concernebat promissio, cœpit multiplicari illud secundum hanc, et ecce, prævidens justitia tua illud ipsum semen omnes abominationes commissurum, et eum tanta infidelitate securum mandata tua, et denique fornicaturum cum diis alienis, ac si denuo diceret: Pænituit me promisisse.

Luctam instituis contra Jacob, conservatorem promissionum tuarum. (25) Sed quia Jacob promissionibus tuis fortis et confidentia in illis habita adhuc fortior fuit, nequivit superari. Quod cum vidisset luctator, tetigit nervum femoris ejus et statim emarcuit. Et hoc completum est in Synagoga, quæ numquam clarius, quam nervo femoris Jacob figurari potuit. (26) Cum autem Synagoga emarcuit, jam tunc ascenderat aurora Ecclesiæ, et tunc petuit dimitti, ac si diceret vir luctans: Sufficiat tibi, quod non tangam et alterum nervum femoris tui; dimitte me. Sed hæc dispositio viri luctantis non suffecit confidentiæ Jacob in promissionibus habitæ. Voluit igitur, ut justitia tua, Deus, (promissionibus intercedentibus) benedicat ex justitia, cui ante promiseras ex misericordia, nec dimisit, sed ait: (27) Non dimittam te, nisi benedixeris mihi.

Quam juste hic tollitur, o Jacob, et propemodum in semine tuo aboletur nomen Jacob (seu supplantator),<sup>a</sup> ut illud, quod per firmitatem confidentiæ meruisti, detur tibi et dicatur: Nequaquam Jacob appellabitur nomen tuum, sed Israel, quoniam si contra Deum fortis fuisti, quanto magis contra homines prævalebis.

O Domine, nescio ego profecto, an hujus luctæ confidentiæ et benedictionis sequela fuerit confessio Petri, an hæc, inquam, confidentia figura fuerit confessionis ejus, quam non caro et sanguis revelaverat ei,<sup>1</sup> sed tu, Pater æterne, cuius justitia, ecce, pugnat contra promissionem misericordiæ tuæ, et contra confidentiam, quam pariter non caro et sanguis, sed misericordia tua dederat Jacob. Confessionem Petri memoro, propter quam mutato nomine Simon, soliditas illa Ecclesiæ contra portas inferi<sup>2</sup> quoque, non solummodo contra homines promissa est; jam enim in Jacob contra ipsammet justitiam Dei victoriam obtinuerat Ecclesia, et illa obtenta revelatio Petro facta sequela hujus luctæ esse potuit.

(29) Frustra quæris, o Jacob, nomen viri luctantis contra te, potuit enim justitia Dei luctari contra te per angelum, sed nequivit [100:] mentiri veritas aut nomen fingendo aut mysterium revelando, cum in Deo illa ipsa justitia non nisi prædicatum sit, nec igitur illam luctatam esse in stricto sensu dici potuit, sed nec aliud nomen fingi, si hæc figura secundum allatum sensum explicatam veritatem repræsentavit. Suffecit tibi benedictio, cuius ex iam dictis me quoque in Ecclesia participem esse appareat, et hujus benedictionis effectum fuisse credam ego lumen quoque tuum, quod datum est tibi, o Jacob, ut Deum te vidisse agnosceres, et locum Phanuel appellares.

(22) Sed, o Domine, numquid Jacob mature surrexit? Vir cum illo usque ad mane luctabatur, (26) cum aurora ascendit, dimitti petuit. (31) Dicitur antea ortusque est ei (id est Jacob) statim sol, postquam transgressus est Phanuel. Sic repræsentat hæc littera, sed bonitas tua demonstrat mihi, quod postquam nervus Jacob tactus emarcuit (prout supra dixi) aurora Ecclesiæ ascendit, sol autem ortus est ei, postquam transgressus est Phanuel, seu postquam Deum incarnatum de facie ad faciem vidit

<sup>a</sup> Correxit -o- ex u?

<sup>1</sup> Cf. Matth. 16,17.

<sup>2</sup> Cf. Matth. 16,16,18.

Ecclesia. Digne hodie quoque hujus mysterii memoriam celebrares, o gens, quæ ex marcidi, obrigui et obstupescentis nervi femore trahis originem, (32) si ceteras hujus luctæ circumstantias concipere posses. Sed obstupuit, obriguit mens tua et marciditatem nervi patris tui carnalis hodiedum digne repræsentas.

Verum enim vero quomodo ego potero digne considerata ruminare? Non mirabor ego Jacob vincere potuisse; vidi enim promissionem Dei in Jacob contra justitiam luctatam fuisse et immutabiles ac misericordes promissiones ex justitia subsequi debuisse ex consequenti, et sic vinci justitiam Dei ac benedictionem obtainere in femore sano, ex quo caput Ecclesiæ, quod corpus suum peperit, natum est. Sed mirabor, Domine, nec satis mirabor, quod bonitas tua tanta sit, quod hæc tam alta et profunda mysteria homini in tam viva imagine repræsentare dignata fuerit, ut noscere possit justitiam tuam et sperare non desinat in promissionibus tuis, quæ nisi vicissent justitiam tuam, homo salvari non potuisset. Sed debuit et justitia suam habere partem in semine Jacob ex antecedenti condemnatione hominis, et Synagogam obtinuit, et hinc per stuporem membra character futurus ejus expressus est.

Satiatur, Domine, anima mea hac veritate cognita, ceteras suis relinquit scriptoribus, quibus illas sensibiliores reddidisti, quam mihi, cum in nulla lecta explicatione hactenus quiescere potuerit incaptivatus, sed non allектus intellectus meus. Trahe illum ad te, Domine, cognitione veritatis, sed da, ut voluntas diligat, quod intellectus cognovit, et memoria recolat semper magnalia tua, ut sim totus tuus et te diligendo lucter cum [101:] justitia et obtineam coronam subsequentis justitiæ ex merito antecedentis misericordiaæ.

#### SUPER CAPUT 33.

Jube, Domine, benedicere;<sup>1</sup> nescio enim, num triumphum mansuetudinis, humilitatis ac dilectionis fraternæ veros characteres considerem in Jacob, an lupum in agnum conversum in Esau, quem subrepta ante benedictione ejulantem minasque spirantem repræsentavit Scriptura. In Jacob video exemplum illius dicti Filii tui: Nolite timere, cum ante reges et magistratus ducemini, dabitur enim vobis, quid loqui debeatis!<sup>2</sup> In Esau demonstratur mihi, quod tu sis Dominus<sup>a</sup> cordis humani, quod relicta illi semper cordis libertate flectis et ducis in viis æternorum decretorum tuorum.

Vidi paulo ante Laban insurgere et persecuti Jacob et tu illi inhibuisti in somnio, ne malum diceret ei: hic Esau cum quadringentis viris occurrit Jacob. (4) Ecce, currens obviam fratri suo amplexatus est eum stringensque collum ejus et osculans flevit; nec tamen repræsentat Scriptura te ei apparuisse aut quoquomodo locutum fuisse. (6) O Domine, audearne interrogare, num tu hoc egeris modis extraordinariis, num solummodo naturam agere permiseris? Scivit Jacob ex benedictione Esau sibi serviturum, et non superbit. Novit Esau hanc sortem sibi metuendam esse, et propterea jam antea flevit, ejulavit, necem fratri minatus est, nec tamen sævit contra eum. Profecto non reproborum, non Synagogæ characterem repræsentas mihi in his, quæ

<sup>a</sup> Correxit ex *Domine*

<sup>1</sup> Cf. Missa (verba sacerdotis ante lectionem evangelii)

<sup>2</sup> Cf. Luc. 12,12 sqq.

agere video te, o Esau! Sed tu et Jacob fraternæ dilectionis, omnis urbanitatis et mansuetudinis vivæ imagines estis. Crederem munera placasse Esau, si non audirem dicere: (9) Habeo plurima, frater mi, sint tua tibi, et ut hoc adhuc luculentius apparat, subjungit Scriptura (11) vix fratre compellente suscepisse illa.

His tamen non obstantibus me reflectens, quod Scriptura dixerit, odivisse semper<sup>a</sup> Esau Jacob, ecce, hunc conservasse in corde suo hanc suspicionem et ex præcedenti timore (amica receptione ac osculo fraternali non obstante) ex vers. 13. 14. 15. manifeste colligo. Unde promittit quidem Jacob se secuturum fratrem in Sejir, sed fugit tabernacula et substitit in Socoth. O Jacob, unde tibi hæc diffidentia seu in Deo, qui te protectorum promisit, seu in fratre, qui osculum porrigit, munera recusat, et te cum omnibus fraternæ teneritudinis signis recipit? Potuisti sensisse in conscientia tua fratri justam odii causam dedisse te ex consilio Rebeccæ, sed et jam ante tam dure te egisse cum eo, ut portionem [102:] pulmenti ei datam in extrema quodammodo necessitate in pretium primogenituræ erexeris, sed cur non potuisti potius charitative credere hæc tibi pepercisse Esau, nec amplius recordari præteriorum? Aut si te male fecisse aut peccasse credis, cur veniam non petis? Cur jus primogenituræ non reddis?

O summum bonum cordis mei, quis hæc bene examinans non videbit in his latere mysteria, quæ littera tegit, et tamen manifestat te in Jacob et Esau ita egisse, quod voluisti, ut illos noluisse nequeat dici, nec tamen intrinsece idem voluisse illos appareat, prout conveniebat agere majores veritates repræsentantibus et indicantibus. Humilitas Jacob, in qua hic agit cum fratre suo, clare mihi demonstrat numquam illum cogitasse, ut primogenituram ex incitamento superbiæ quærat. Timor fratris et justa de indignatione suspicio indicat magis consensisse, quam intendisse Jacob consilium matris et plus obœdienter, quam volenter egisse pro obtainenda benedictione patris. Mavult tamen coram fratre reus apparet, quam matrem causare, et hinc de facto non deprecatur, cum et aliunde illa, quæ fecit, ex voluntate tua, Domine; facta fuisse ex<sup>b</sup> confirmatione promissionum tuarum agnoscere potuerit, nihilominus tamen humili ac simplici suo procedendi modo nonne vive repræsentat, quod illa, quæ fecit, numquam fecisset, si ad agendum inductus non fuisset? Hinc offensam fratris ipsem sentiens ex lege naturæ judicans ac prudentiæ propriæ dictamen sequens injustæ suspicionis argui nequit.

Hæc taliter egit Jacob, sed Esau quoque, quem Jacob semper odisse in supra notato capite dicit Scriptura, te adjuvante fac, ut examinare valeam! Jam in præcedenti capite relatum fuit Jacob nuntios misisse ad Esau, qui ei annuntiarent, quid fecerit, ubi fuerit et quod gratiam quærat præ oculis ejus, qui reversi dixerunt: Venimus ad Esau, fratrem tuum, et ecce, properat tibi in occursum cum quadringentis viris. Unde vere malevolum fuisse animum ejus agnosco, cum præter id nihil nuntietur Jacob, quam quod cum armatis consurrexerit properetque in occursum. Sed ecce, videns fratrem huic internæ dispositioni penitus contrarium fecit non coactus, sed quodammodo nolenter volens, ut appareat cor hominis ita esse in manu Plasmatoris, ut voluntati ejus volenter non resistat, sæpe illam nolenter operetur; tu quippe, Deus, semper justus es in judiciis tuis.

<sup>a</sup> Ante semper in margine: Cap. 27. v. 4.10.

<sup>b</sup> Corrigit ex et

Non credo dari sat temerarium hominem, qui diceret se nolle, quod tu vis, Domine. Sed heu, quam pauci sunt, qui volenter agunt, quod tu vis ab eis, cum unicuique aliter repræsentet concupiscentia voluntatem tuam, et ideo dum sub specie boni latens malum appetit, suam homo, non tuam sequitur voluntatem; tendit tamen ad finem æternorum [103:] decretorum tuorum seu misericordiæ seu justitiæ tuæ.

Hæ sunt veritates, quas me sæpe in proprio meo exemplo docuisti et in Scripturis quoque demonstras et vere demonstras, quam insipientes sunt, qui voluntatem liberam homini tollere volunt; et tamen quam vanum esset sibi imaginari, quod rerum eventus non tu disponas secundum finem consiliorum tuorum. Quantæ tamen de his sunt contentiones et sciolæ dissertationes, quibus vel hominis nutritur superbia vel augentur tenebrae! Sis igitur tu solus, Domine, qui omnia velis de me et agas per me, quidquid tibi libuerit. Tu vides cor meum et hoc, quod dedisti mihi; respice illud et vide, quam nolenter agam, quæ tibi placita non sunt, et quod illa quoque agens, quæ voluntati tuæ conformia credo, fors aliter se habent in conspectu tuo, cum absque fermento concupiscentiæ vivere nequeam. Respice, inquam, miserere mei, et dirige me in vias sanctissimæ voluntatis tuæ, in quibus ut perseverare possim, da id, sine quo nihil boni agere valeo. Da diligere te, cum omnia, quæ præter hæc fecero, inutilia erunt mihi. Velim igitur amando, quod vis a me, ut dilectio mea a dilectione tua obtineat justitiam tamquam præmium misericordiæ tuæ!

#### SUPER CAPUT 34.

Quis sum ego, Domine, hebes et insipiens nimis, ut de mirabilibus judiciorum tuorum loquar? Posteaquam Adam peccasset, duo filii ejus fuerant super terram, et propter fratricidium tam horrendo supplicio condemnasti superstitem: vetuisti sub poena gravissima post diluvium, ne quis humanum sanguinem funderet, cum ex manu ejus requires animam ejus.<sup>1</sup>

Ecce, Domine, filii Israel in dolo sacramenti pacti tui confidenter intrant urbem, et in ore gladii feriunt omnes masculos, qui ex animo benevolo, ut conjungi possent cum illis, se circumcidi fecerunt, nec tu, Deus, punis illos; an quia Israel fortis factus contra te? An promissiones tuæ fecerunt filios ejus impeccabiles? Nescio, Domine, sed nec inquiero judicia tua adorans et hinc in timore et tremore operari volens salutem meam,<sup>2</sup> dum tu punivisti Adam, et Cain vocasti, interrogasti, exaudivisti et sic condemnasti eos. Dum furor tuus provocatus est contra Sodomas,<sup>3</sup> antequam te armares gladio justitiæ tuæ, investigasti, num clamores opere compleverint, et tam misericors fuisti, ut propter decem justos ad parcendum toti civitati pronus fueris. Sed cum homo exercet vindictam, (13) respondet in dolo [104:] sæviens, ipsum sacramentum pacti tui sumit pro larva vindictæ et propter peccatum filii principis nocentes indiscriminatim punit cum innocentibus.

Veritates sunt hæ, non figuræ operum hominum, sed anteaquam examinem, num hæc historia aliquem eventum figuraverit, adjuva me, quæso, Domine, ut discernam factum filiorum Jacob. Repperi hactenus Pharaonem et Abimelech rapuisse Saram,

<sup>1</sup> Sic!

<sup>2</sup> Cf. Gen. 9,5–6.

<sup>3</sup> Cf. Phil. 2,12.

sed bonitas tua, Domine, singulari protectione defendit illam tamquam arcam depositricem promissionum tuarum Abrahamo factarum. Rapit Dinam filius Hemor et opprimit illam. His examinatis reperio communis propemodum consuetudinis fuisse similes raptus in primis illis regenerationis post diluvium temporibus, strupra tamen et adulteria tamquam lege naturæ summe vetita. Unde concludo peccatum Sichem contra legem naturæ fuisse, quia opprimens virginem fecit violentiam, quam sibi fieri noluisset, et per consequens punitionem tuam, Domine, meruisse. Omnis populus civitatis jam communi maledictione patris eorum Cham signatus fuerat, et quod maximum, a te, Deus, Jacob et filiis ejus in hereditatem data est terra ejus, et ipsummet populum ad internecionem delendum tu ipse jussisti, juste Deus, postquam adimpleverunt mensuram iniquitatis, quam hi anticipasse videntur; cum et tu, Deus, judicia tua in eos anticipaveris respectu totius populi suo tempore delendi.

Filiī Jacob igitur ex promissione tua, Domine, principes terræ propter violatam sororem exercent justitiam contra Sichem, et sunt ministri justitiae tuæ in populum a patre maledictum et justitiae tuæ objectum, prout ex consequenti demonstratum est. Hinc non verebor dicere excidium hujus urbis excidium gentis præsagivisse et abolitionem circumcisorum et circumcisionis designasse in Ecclesia. Nequeo tamen ego hanc opinionem demonstrare ex combinatione textuum hujus historiae, sed tantummodo ex ordine eventuum autumo, nec propterea filios Jacob a peccato immunes fuisse statuo contra sensum interpretum. (13) Responderunt enim in dolo et sacramento circumcisionis ad vindictam exercendam abusi sunt. Forsitan tamen et excusari possent in illo principio, quod principes terræ per promissionem tuam, Deus, constituti jus in illos habuerint; circumcisionem non tamquam sacramentum, sed solummodo tamquam medium unionis et amicitiae proposuerint, et populus quoque in hoc sensu recepit. Nequit ergo dici illos sacramento pacti, sed tantummodo signo illo extrinseco usos fuisse. Quodsi autem jus gladii habuisse filios Jacob admittitur, quod Scriptura dolum appellat, mundanus usus stratagema appellabit et licitum fuisse asseret, [105:] cum principem criminosum securus punire non potuissent. Quodsi autem iure belli jus in vitam illorum habuissent indiscriminatim, cur non fuisset licitum illa uti modalitate stratagematis, per quam se ipsi periculo eximentes justam vindictam sumpserint de principe et de populo in crimen principis consentiente?

Non affero hæc, Domine, tamquam a Spiritu tuo mihi dictata, sed tamquam sensus humani ingenii contra illos, qui filios Jacob condemnant; cum autem in Scriptura non reperiā te, Domine, de hoc crimine redarguisse illos, sed totam familiam abinde recedentem (prout mox videbo) protexisse, quomodo ego judicia tua ignorans condemnare auderem illos aut a criminis apparentia absolvendo illos similia exempla æqui consulere? O Domine, absit, quæso, a me hic Scripturas tuæ censurandi usus, cum ipsa fidei simplicitas hoc requirat, ut quæ non capio, admirer, nec tamen ex exteriori<sup>a</sup> apparentia mala fuisse judicem.

Non memini hactenus, Domine, repperisse exemplum in Scriptura tua, quod peccatum impunitum reliqueris, sed profecto multas apparentias peccati vel in ipso Jacob observavi,<sup>b</sup> quas impunitas reliquisti, omnia tamen, quæ peccato similia apparuerunt, bene examinata profundarum veritatum mysteria fuisse agnovi. Naturale est aspectu solis visum offuscari, et tamen non semper credunt

<sup>a</sup> Correxit ex *in-*

<sup>b</sup> Supplevit *observavi* supra lineam

examine judiciorum tuorum humanum intellectum ex eadem ratione hebetari debere. Hinc exsurgunt illæ infinitæ disputationes, num Loth, num Jacob, num hic vel ille peccaverint, et sic sæpe legem naturæ, sub qua illi vixerunt, ad censuram legis evangelicæ attrahentes condemnant secundum hanc. Non hæc arguo, Domine, prout vides in corde meo, sed de humanæ condicionis pravitate gemo, cuius hæc sunt necessariae sequelæ. Bonitas enim tua siquidem omnium hominum usui Scripturas exposuit, quantus est numerus illorum, qui similia exempla in auctoramentum criminum allegant! Quidni ergo necesse est ad præcavendos abusus omnes quoque criminis apparentias potius condemnare, quam auctoratas relinquere. Scio, o Deus, hæc licita et in suo sensu bona esse, sed non sequi melius esse censeo, cum non instructionis, sed alimenti gratia meditandas assumpsi Scripturas tuas. Quia autem nec in modo nec in apparentia mali alimento reperio, malo apparens malum ad bonum (te ducente) reducere, quam illud condemnando simpliciter pro malo statuere.

Tu porro, Domine, adjuva me in illis, quæ sunt conformia Spiritui tuo, quem quia in omnibus sequi vellem, ecce, Domine, denuo de sanctissimo Sacramento altaris participare statui. Sentio ego fragilitatem meam, sed voluntariam; [106:] te quoque modo offendendi malitiam procul a me abegit charitas tua. Hinc audeo me præsentare ad hanc mensam Filii tui illis conspurcatus, quæ me nolle nec cavere posse videt misericordia tua. Cum enim ex his justificatus non sum nec fomes peccati in me extinctus est, gratia tua me agnoscere fecit, quam sit necessaria hæc medicina animæ meæ. Inflammæ me, Domine, amore tuo, adauge fidem! <sup>a</sup> Quodsi enim illis, quæ credo, intrinsece adhaesero, amabo, cum adhæsionem absque amore dari posse non concipiám. Exhibeo me igitur tibi, o dulcedo cordis mei; tu me rege, tu me præpara, tu me pasce, tu mei miserere!

#### SUPER CAPUT 35.

O Deus cordis mei, cuius dulcedine pastus, ecce, denuo accedo ad te, nihil suavius animæ meæ esca, qua pascere dignatus es eam; nec proinde nisi sequelam ejus saporis desidero et quæso. Respice in me, et adjuva me, ut loquar ea, quæ tua sunt, non partus ingenii mei!

Quis hic novus loquendi modus Scripturæ tuæ, Domine, dicentis: (1) Interea locutus est Deus ad Jacob: surge et ascende Bethel et habita ibi facque altare Deo, qui apparuit tibi, quando fugiebas Esau, fratrem tuum! Deus Deo altare ædificari jubet. Et quis hinc non agnoscat veritatem, quam dignatus es indicare mihi visione illa scalæ repræsentatum fuisse incarnationis mysterium, per quod homo cum Deo unitus humanam divinamque naturam conjungens Filius cælum cum terra conjunxit. Et in hac, uti dixi, scalæ contiguitate, cui tu, Deus Pater, innixus apparuisti, manifestatus est, et huic Deo, ecce, mittitur Jacob, ut altare ædificet. Quid facit Jacob ad hoc verbum? Profecto hoc, quod incarnationis mysterium revelatum perfecit, (2) dum Deus homo factus fuit; tunc enim abjecti sunt dii alieni, qui erant in medio gentilium, qui altare hoc, quod Jacob in figura ædificavit, ædificaturi erant in veritate. Et hoc est altare, de quo mihi hodie escam cælestem porrigeret dignatus est semet ipsum mihi dans Deus Filius. Et vere hoc versu

<sup>a</sup> fidem sc. meam (cf. Ms. fr.: ma foy)

(4) et subsequenti figuratur præparatio ad hoc altare ædificandum, et ad participandum de hoc altari necessaria, cum passiones et peccata, quibus adhæremus, vere dii alieni et idola sunt, quæ abjicere oportet. Sed et inaures, quæ mundi illecebras repræsentant, deponendæ vestesque novæ seu novus homo induendus est. Hæc infodienda esse et procul relinquenda suo exemplo demonstravit Jacob. (7) Et sic perficitur in corde domus Dei, cuius figuram, uti dixi, Jacob ædificavit. Hic appetat nobis [107:] Deus, cum fratrem fugimus nostrum, qui vetus homo est.

(8) Eodem tempore mortua est Debora, nutrix Rebeccæ et sepulta est ad radicem Bethel. Quid clarius deducitur ex antecedentibus, quam quod hæc nutrix Rebeccæ (seu spei) figuræ veteris testamenti, quibus spes veterum patrum nutriebatur, designaverit, quæ figuræ ædificato hoc altari vere mortuæ sunt, cum apparente veritate cessaverint et sepultæ sint sub arbore crucis, quæ fuit vera arbor fletus, qui transit in gaudium. Et hæc est postrema tua apparitio, Deus, in qua omnem virtutem incarnationis designans nomen Jacob in Israel, fortis contra Deum, commutasti. Jacob seu supplantator est homo carnalis, qui vere animam supplantat, (11) Israel efficitur homo spiritualis, cuius multiplicationi hic, Deus, benedicere dignaris.

(12) Sed, o Domine, quæ est terra, quam Abraham et Isaac dedisti, cum primus peregrinus mortuus et alter in peregrinatione adhuc tunc subsistit, quam promittis Jacob et semini ejus post ipsum? Cæcutirem multum, si hac promissione tua non intelligerem terram illam viventium, cuius figura terra Canaan fuit, cum aliam præter illam Abraham non possedit. Vere, Domine, hic confirmare videris pactum illud, quod cum Abrahamo in circumcisione pepigeras, et hic in erectione altaris et tituli lapidei reiteras. (14) Et prout Abrahamo, ita et Jacob nomen immutas.

Quæ hæc mysteria sequuntur, non eodem tempore facta sunt, (16) cum Scriptura egressum inde Jacob memorat. Sed tamen quia in eodem capite conjungit, omnia huc pertinere credo, et vere in filo procedunt. In incarnatione enim parturivit Rachel, quam figuram novi testamenti fuisse dixi, et vere in morte fecundata est et illa et veritas, cuius figura fuit. Tunc peperit enim egrediente anima Benoni, id est, filium doloris, quem pater appellavit Benjamin, id est, filium dextræ, cum sedeat dextris ejus. (19) Mortua fuit Rachel (seu humanum corpus, quod peperit) et sepulta est via, quæ dicit Ephratam, hoc est, Bethlehem; et quo alio sepeliri decuit figuram, quam in via, quæ dicit ad locum, ubi veritas per figuram designata nascitura erat?

(22) Actus criminosis Ruben profecto nonnisi criminis figura esse potuit, quia autem ex antecedenti patet Ruben Liæ seu figuræ veteris testamenti primogenitum, Balam autem tamquam ancillam Rachel baptismi Joannis figuram me statuisse,clare patet hoc scelesto actu Ruben figuratos fuisse seu potius designatos hæreticos illos, qui ex Synagoga et baptismo Joannis hæreses [108:] suas fornicantes formarunt. Non latuit hoc Jacob seu Ecclesiam, sed hos, Deus, justitiæ tuæ puniendos commisit.

His porro taliter figuratis quid restat, quam figuram promissionum terrestrium, quæ vita fuerant Synagogæ, in Isaac mori repræsentare. Et ecce, 24.<sup>a</sup> versus subjunxit completos fuisse dies Isaac, ac si diceret: novo testamento in morte matris pariente completi sunt dies promissionum bonorum terrestrium, (29) et mortuus est Isaac figura earum. Mortem porro Rebeccæ, sed nec Liæ ullibi memorat Scriptura. Rebecca enim spem futurorum designans, Lia vetus testamentum designans semper permanet in Ecclesia.

<sup>a</sup> Recte 28.

Sed si quis me interrogaret, quare ergo mors Rachel, quam pro figura novi testamenti statui, connotata est, cum et novum testamentum permaneat, responderem dupliciter in hac figura considerandam esse Rachel qua novi testamenti figuram. Illud enim et vivente Christo per doctrinam ejus prout Rachel ante mortem Joseph generavit, sed fecunditas ejus per mortem Christi, per mortem parentis Rachel figurata fuit. Corpus enim seu humanitas Christi, quod per sacrificium generavit, vere sicut Rachel mortua fuit. Sed resurgens cum eo novum testamentum in Rachel figurari non potuit. Quodsi porro hæc propter verbum testamentum stricte acceptum difficultia applicatione viderentur, pro testamento veteri et novo accipiatur vetus lex et nova lex. Omnia eandem, sed fors clariorem explicationem acquirent.

Tuum est, Domine, hæc legentibus aut potius meditantibus clara reddere, non mei calami, cum mihi quoque nisi lumine tuo illustrante appareant clara et in tam miro contextu relata, ut sat mirari nequeam, cur intellectu difficultia videantur. Tibi sit gloria, Domine, ex his, quia illa mihi illustrare dignatus es, et mihi tantas consolations et nutrimentum fidei meæ largiri, sed necdum finis, Domine. Hinc peto, noli tenebris meis tradere me, ut sit tibi gloria ex debilitate mea, in qua apparere facies virtutem tuam, dum me adjuvare dignaberis.

#### SUPER CAPUT 36.

Non suppono, Domine, mihi quærendam esse aliquam veritatis novi testamenti figuram in hoc contextu generationis Esau; videtur enim mihi Scripturam nonnisi ex illa potissimum ratione referre eam, ut cognita successione ejus appareat, quomodo benedictio ipsi a patre Isaac impertita adimpta fuerit ex misericordia tua. A quo enim Jacob ex Mesopotamia redux Esau convenit, nullum inter illos discidium aut odii semen supermansit, [109:] sed te ita disponente etiam ad sepeliendum patrem vere filiali ac fraterno affectu convenerunt. Historiarum et Scripturarum me longe peritiores sat examinarunt et tradiderunt, quomodo et quando præmemorata benedictio completa est. Hæc proinde in scientiis me peritioribus ulterius quoque delibanda relinquens ad sequentia nutrimento meo convenientia te adjuvante transgredior.

#### SUPER CAPUT 37.

Historiam multis et admirandis eventibus et divinæ providentiæ tuæ signis a principio usque ad finem refertam sensibilibus veritatibus plenam et gustui ac statui meo multum convenientem contemplari aggredior, Domine. Da, ut tantis objectis nutriatur fides, fulciatur spes et incrementum sumat charitas mea, ac his plenus admirer adoremque magnalia tuæ providentiæ, cuius tam manifesta et palpabilia signa et beneficia erga me rettuli in Confessionibus meis.<sup>1</sup> Una ex celebratissimis veteris testimenti historiis est hæc historia, et plerique eam considerantes Joseph Dominum ac Salvatorem nostrum Jesum Christum figurasse tradunt. Communis est hæc sententia, cui ego omnino assentio, in quantum omnes justi justum per excellentiam

<sup>1</sup> (*Opus principis Rákóczi*)

figurare potuerunt et in quantum justi figurare debuerunt. Nisi enim hoc justorum exemplar et omnis justitiae plenitudinem vita et exemplo figurassent, quomodo justi esse potuissent, cum per hunc et ex hoc justo omnis humana justitia ab exordio mundi seu anticipatam seu subsequentem sumpsit et sumet justitiam? Sed præter hæc quoque sano sensui contrariarer, si non concederem multas particularitates in historia Joseph connotatas Christo sensibiliter convenire.

Sed secundum methodum hactenus per gratiam tuam figuras applicandi continua tam nequeo, Domine, in hac applicatione non tantum procedere, sed nec inchoare illam, quin velum, quo supposita veritas tegitur, tam lacerum reperiam, ut per illud jam Christum videam, jam penitus quodammodo perdam me in contemplatione mea. Sed et hactenus observavi non esse in Genesi tam particulares figuras quærendas, prout in subsequentibus Scripturæ libris, qui conversationem Christi aut passionem designant; ipsum enim nomen Genesis seu Historia generationis mundi et hominum figura est generationis spiritualis qua generationis. Exodi erit figurare, quomodo humanam naturam ex servitute peccati egredi et edici oportuerit.

Propterea [110:] his ita consideratis tu vides, Domine, cor meum, quod non ex Spiritu contradictionis, sed ex naturali contextu præcedentium considerabo ego Joseph qua generationem Rachel seu generationem novæ legis, et per consequens figuram filiorum Dei secundum differentia vocationum genera viventium seu, ut brevius dicam, qua figuram spiritus novæ legis. Et in hoc sensu nequit non esse figura Christi, qui a Joseph in veritate vitæ suæ figuratam veritatem nobis qua via, veritas et vita<sup>1</sup> demonstravit. Et cur Joseph sic considerandus occurrat, ex synopsi generali figurarum Genesis, quam ex gratia tua concinnare intendo, uberioris apparabit.

Repræsentat proinde mihi Scriptura in Joseph juventutem generationis novæ legis per designatos annos ætatis Joseph in labore inchoatam. Pascebatur enim gregem cum ceteris fratribus, puritatem conscientiæ connotat, cum fratres de crimine pessimo accusare ausus fuerit, non enim accusat, qui se reum agnoscit, et puritatem corporis per odium et detestationem peccati illius confirmat, quod in fratribus dissimulare charitas non permisit. Hujus puritatis sequelam considero in illo simplicitatem illum, in qua somnia hic fratribus et ipsimet patri recenseret, non sibi ex illis consequentiā et ex consequentiis prudentiæ regulas format, non mysterium somniorum examinat, sed somnia cum omni candore animi refert.

Sed, o Domine, dum tam excellentium virtutum exemplum in Josepho video, quam opposita figura generationis carnis veteris legis repræsentatur mihi in filiis Balæ et Zelphæ. Spiritus Synagogæ manifestat se in illis in carnalitate, in invidia et in odio contra innocentem Joseph exinde concepto, quod somnia sua narraverit.

(13) Mittitur Joseph ad fratres suos a patre, et vix appellatus ait: Præsto sum. Ecce, promptitudo, quam alacris obœdientia sequitur. Vadit, quærerit errans in agro, sed in fratribus reperit inimicos et concilium malignantium. (23) Capitur, vestibus spoliatur, nec flet, nec conqueritur, sed in humili mansuetudine omnia patitur; mittitur in cisternam et venditur Ismaelitis. (28) Exuunt affectum fratres, quorum alii necare, alii (prout factum est) vendere voluerunt eum, solus Ruben conservare studuit, ut patri suo redderet eum.

<sup>1</sup> Cf. Ioan. 14,6.

Hæ sunt virtutes adolescentiæ Joseph, quibus Primogenitum filiorum Dei procul dubio figuravit. Quomodo enim hæc præstare potuisset, nisi illum figurando, a quo omne bonum procedit? Sed inter has innocentis Joseph persecutio[n]es respicit illum omnividens oculus providentiæ tuæ, Deus, et illo disponente venditur Putipharo eunucho, magistro militum Pharaonis, regis Ægypti. (36) Hi sunt effectus bonitatis tuæ, o Deus, qui innocentes [111:] affligi quoque sinis, ut purificantur et eleventur. Quidni mereantur peccatores, ut ego, deprimi et persecutionibus exponi; et tamen semper major est et fuit erga me misericordia tua, quam merita fuisset iniquitas mea.

O malitia filiorum Israel, quanta es! Ex decem non reperitur unus, qui lugentem patrem consolaretur, et illi sortem filii indicaret et de vita saltem ejus redderet secum. Sic ordinat, Domine, in finem consiliorum tuorum mala, quorum causa non es, dum illa evenire permittis. Sic boni et mali concurrunt, hi nolentes, illi volentes ad operandam voluntatem tuam, et dum impii justos persequuntur, misericordia tua per apparentias malorum salutem operatur illorum, quos conservare decrevisti.

Adoret igitur te, Deus, et benedicat tibi anima mea, quam a tanto tempore a visibilibus et invisibilibus inimicis salvare, conservare et protegere dignaris, et sic faciendo, quod misericordia tua dignum est, punit me justitia, salvat misericordia, ut per haec cognoscens magnalia tua, quo plus miserendo punis,<sup>a</sup> eo plus diligam te, unicum bonum meum!

#### SUPER CAPUT 38.

Non contextum historiæ Joseph reperio in hoc capite, sed historiam profundorum mysteriorum, de quibus vix loqui audeo, Domine. Adjuva, quæso, me, ne me perdam in contemplatione tam mirabilium secretorum tuorum!

Generationem Juda, ex quo natus est secundum carnem Filius tuus, Salvator meus, orditur describere Scriptura, sed ecce, primo- et secundogenitos ejus Her et Onan tantorum scelerum reos describit, ut a te occidi meriti fuerint (7. 8. 9). Fuere illi ex uxore Canaanæa, quæ fors propter maledictionem seminis sui tantæ generationis mater esse non meruit. Cum enim originem Thamar Scriptura subticeat, non suppono illam ex eadem gente cum Sue fuisse.

Sed illuminata me, Domine, et doce me, quid tibi referre aut cogitare debeam de industriosa Thamar fraude, qua mediante mater gemellorum Phares et Zaræ effecta est. Reflecto me hæc acta fuisse ante legem scriptam, video tamen jam tunc consuetudinem fuisse, ut de mortuo uno frater<sup>b</sup> alter semen fratris resuscitet. Observo Judam huic consuetudini non satisfecisse eo, quod crevisset Selta,<sup>c</sup> (14) et secundum promissionem Juda Thamar eum non accepisset in maritum. Versus 16. indicat mihi nescivisse Judam nec cognovisse nurum suam, cum ingressus fuit ad illam. Sed Thamar hunc concubitum [112:] fors illicitum concupivit et fraude obtinuit. Nec de facto ejus judicare et per consequens instinctum ejus ad hoc agendum tibi, Domine, qui peccatum odisti, audeo imputare, sed nec in tanta generatione casu aliquid fieri potuisse<sup>d</sup> arbitror.

<sup>a</sup> *punis sc. me* (cf. Ms. fr.: *mous me punissez*)

<sup>b</sup> Correxit ex *fratre* (?)

<sup>c</sup> Sic! Vulgata: *Sela*, Ms. fr.: *Cela*

<sup>d</sup> Correxit ex *posse*

Hæreo, Domine, et hæsito nimis, respice insipientiam meam, ne permitte,<sup>a</sup> quæso, me deviare in adinventionibus ingenii mei! Dicamne te has apparentias peccati, de quo judicare tuum est, non meum, qui corda et renes hominum scrutaris,<sup>1</sup> ideo permisisse, ut eo luculentius appareat peccatum hominis in corpore ex semine peccati generato, expiari debuisse? Nescio, Domine, num opinio mea veritati tuæ conformis sit, ignorantia tamen mea aliam rationem assignare nequit, nec hoc mysterium tantis involutum obscuritatibus ulterius scrutari præsumo, sed vix judicia tua silentio meo adoro, ecce, aliud occurrit admirandum in nativitate gemellorum. (27) Instante enim partu Zara protulit manum suam, in qua obstetrix ligavit coccinum; retrahit ille manum, et Phares primogenitaram obtinet, quæ cursu naturali illi contingeret debuisset, qui egressui proximus manum exposuerat. Et ut hæc naturalis partus mutatio constet, vere, Domine, tua ordinatione factum est, ut in manu Zarae coccinum ligaretur. Quis enim hanc infantum differentiam aliunde agnovisset, et retracta manu egressum infantem alium esse credidisset? (29) Nescivit nutrix, quare propter Phares divisa sit maceria, nos porro misericordia tua hanc veritatem edocuit, ut jam tunc figuraretur in semine ejus maceriam seu murum separationis inter populum Hebræum et gentiles destructum iri.

Quod autem secundum naturæ cursum primo generandus Zara secundogenitus factus fuerit, retracta manu remanendo in utero matris me confirmat in opinione, quam rettulisse memini, statim a Cain incipiendo, solum Seth, primogenitum Noe excipiendo omnes ceteros primogenitos reprobatos fuisse, ut prior in illis appareat justitiæ tuæ propter peccatum merita condemnatio, et hanc subsequatur in secundogenitis bonitatis tuæ gratuita miseratio. Primogenituræ prærogativa autem siquidem semper paternam benedictionem obtinuit, jam in Jacob observavi, quod te disponente Rebecca illum instruxit de modo illam obtinendi. Et ecce, hic quoque in nativitate Phares hæc mutatio adhuc in utero matris contigit, ut patris primogenito danda beneficio in vas misericordiæ, non autem in vas justitiæ caderet.

Hæ fuerunt viæ tuæ cum homine procedendi, antequam adveniente tempore homo redemptus fuisset, sed hæc dicentem interrogabit me sciolus aut impius, quid ergo feceris cum unigenitis, cum non omnes habuere gemellos aut plures filios? Quid respondebo, nisi quod sis Dominus gratiarum tuarum. [113:] Profecto semper primo omnium fecisti justitiam cum illis, cum homo in peccato nascens suæ condemnationis in mundum secum fert sententiam, sed illico facis et misericordiam, quia vocas illum ad salutem, cum bonitas tua omnes homines salvatos vellet, nec tamen per hoc justitiam tuam tollit. Hæ sunt loquelæ, quas nonnisi fides viva credit, humanus intellectus curiose inquirit, sed quo plus examinat, et minus capit, et in illis veram petram scandali reperit, si tu eum tradis sibimet ipsi. Sed dum misericordiæ tuæ hominem suaviter alliciunt, et charitatem tuam plantas in cor ejus, nec te in justitia crudelem, nec in miserando segnem, sed semper suavem, semper bonum, denique semper Deum esse credit, et diligens te sequitur, ac timore fragilitatis operatur, donec perveniat ad te, ad quem quia semper tendit, semper coram te ambulat.

O sors beata amantis te, in quo consistit vera cordis docilitas, quidni petam semper diligere te, cum in dilectione tua sola possit reperiri beatitudo mea seu tempora-

<sup>a</sup> Sic!

<sup>1</sup> Cf. Ps. 7.10.

lis seu æterna; sed hoc ipsum desiderium est radix misericordiæ tuæ, quam plantavit in cor meum bonitas tua, nec nisi gratiis tuis irrigata pullulare potest. Cor enim meum terra est sterilis et arida nimis, nec nisi spinas et tribulos cupiditatis producere potest per se, inter quos velut rosæ, sunt opera, quæ me adjuvando cooperante producentur in me,<sup>a</sup> dum me misericorditer respexeris. Sed tu, Domine, qui mihi hanc veritatem sensibilem reddere dignatus es, miserere mei!

#### SUPER CAPUT 39.

Hæ sunt, Domine, veritates, quas mihi viva imagine Joseph repræsentat, quem Putipharo venditum jam in statum virilem pervenisse dicit Scriptura referens: (1. 2) Fuitque Dominus cum eo, et erat vir in cunctis prospere agens, (3) qui optime noverat Dominum esse cum eo, et omnia, quæ gereret, ab eo dirigi in manu illius.

O sancta humilitas Joseph, quæ omnia in manu sua a te dirigi, Deus, agnoscit! (4) Domino tamen tuo a Deo tibi præposito ministras, quomodo non invenires gratiam coram illo et quam digne exaltaris, cum omnibus præponeris et omnia traduntur tibi! Hæc tu tibi mereris per gratiam te adjuvantis Dei, qui propter te domui Ægyptii quoque seu peccatoris benedit, (5. 6) et pulchrum ac decorum facie reddit Joseph hominibus. Sed hæc ipsa pulchritudo laqueus est, (7) nisi novæ humiliationis sit occasio. Sed Dominus est tecum, o Joseph, (8) nequaquam acquiescis enim operi nefario. Gratitudinem Domino tuo debitam sumis pro argumento contra dominam te ad malum [114:] temptantem, (9) concludisque sermonem tuum sancta reflexione: Quomodo ego possum hoc malum facere et peccare in Deum meum? (10) Non te tamen deserit temptatione per singulos dies, sed defendit te castitas, opus tamen vocationis tuæ propterea non deseris. (12) Et hæc fuit periculosa illa et proxima occasio, qua mulier utens laciniā vestimenti tui apprehendit, sed nec tanto tempore moraris, ut consulas prudentiam tuam, quæ tibi facile repræsentare potuisset futurum periculum, si relicto pallio fugeres. Fugis tamen, quia plus horres peccatum, et hic salutaris horror omnis moræ impatiens fuga temptationem superat. Quodsi enim non horruisses, cum prudentia tua humana et per illam cum temptatione collocutus fuisses, et in periculo diutius substitisses.

O felix horror peccati, quem nonnisi dilectio boni producit! Non te caro et sanguis, non humana prudentia generat, sed ille, qui hanc dilectionem misericorditer largitur. Non se consultit, qui tecum agit, sed ducentem sequitur. Sed quo te dicit, o Joseph? (20) In carcerem, ubi vinceti regis custodiebantur, et eras ibi clausus. Solusne fuisti? Non, profecto. Fuit enim Dominus cum Joseph, et misertus est illius deditque illi gratiam in conspectu principis carceris.

O Deus, convertor ego ad te et te fors interrogassem, cur humilem, castum et innocentem deseras et in carcerem trudi permittas, cur denique peccatores fabricant super dorsum justi,<sup>1</sup> si Scriptura hæc non adjunxisset et te illum in carcerem secutum fuisse non diceret demonstrans neminem te deserere, qui prior te non deserit, nec proinde afflictiones mundanas et temporalia mala pro signo desertionis tuæ

<sup>a</sup> Cf. Ms. fr.: *qui seront produites en moy par votre secours et par ma cooperation*

<sup>1</sup> Cf. Ps. 128,3.

haberi debere. Quid potest enim majus malum esse ira domini temporalis et incarceratione, tu tamen es cum Joseph.

Sed, o Deus infinite misericors et bonus, bonitas tua me provocat, ut te cum omni humilitate, non autem in curiositate interrogem, num Joseph detrudi permiseris ex justitia tua aut ex misericordia? Quomodo enim possem credere innocentem hoc ex justitia promeritum fuisse? Repugnat enim humano spiritui imaginari tam durum tractamentum ejus a misericordia tua procedere potuisse? Sic loquitur tibi homo in me, Domine, sed in hoc ipso exemplo Joseph demonstrat mihi misericordia tua, quantæ insipientiae sit afflictiones temporales pro malo reputare; seu enim opera justitiae tuæ sint, ut punias, seu ut eleves, semper sunt opera misericordiae seu corrigerem volentis seu exaltantis, nec discerni possunt, nisi ex eo, num tu sis cum eo, quem affligis. Qui enim hæc ex justitia promeruit, te deseruit, et nisi revertatur, non est tecum, nec resipiscit, et in illo operatur justitia tua. Qui porro ad te revertitur, te reperit et justitiam tuam sequitur misericordia. [115:] Qui autem te non deserit, seu in carcerem seu in thronum semper a misericordia tua ducitur, et ubique bene est.

Et ecce, veritatem, quam me docere dignatus es, confirmat Scriptura dicens (22) principem carcerum tradidisse in manu Joseph universos vincitos et quidquid siebat, sub ipso erat, (23) nec noverat aliquid cunctis illi traditis. Quare? Quia Dominus erat cum illo et omnia opera ejus dirigebat. Et hinc illud quoque agnosco, quomodo ego agere possim, sed te dirigente operari debeam, ut tecum permaneam. Sic ego hæc meditor et scribo, sed te dirigente facio, ineditor, rumino et scribo, quæ bona sunt. Prout ergo humanus intellectus scripturam manui, cogitationem porro, quam exprimit, intellectui attribuit et manu tamen et intellectu operante, ita ego hæc, quæ bona sunt, et tibi per me et mihi per te attribuere possum et debeo. Sed prout ex bene scriptis nonnisi litteræ formatio manui attribuitur, laudem porro cogitationis intellectus meretur, ita ex his tu solus, Domine, gloriam et laudem promereris, nec ego tibi satis gratias agere possum, quod ea, quæ bona et propria tua sunt, per meum intellectum et manum meam agere digneris. Hinc nec ego ex his laudem meam, sed dilectionem et ex illa gloriam tuam te adjuvante quærere tecum volo.

#### SUPER CAPUT 40.

Sunt tibi, Domine, in corde meo dictæ reflexiones, quas præcedenti capiti adjungere potuissem. Quamvis enim illas calamus non exprimat, sit tibi laus ex eo, quod illas mihi suppeditaveris et me in agnitionem misericordiarum tuarum mecum factarum duxeris. Nimis suave est mihi ex hac historia Joseph discere opera misericordiae et providentiae tuæ, quæ malis et bonis in finem suum utitur.

(1) Ecce enim, his gestis accidit, ut peccarent duo eunuchi regis Ægypti, et hoc peccatum, quod accidit (non enim tu voluisti) ordinat, Domine, ut operetur in salutem Joseph; et hinc te agnosco cum servo tuo Augustino<sup>1</sup> non operatorem, non factorem, non causam, sed ordinatorem malorum esse jure Creatoris omnia ad finem et gloriam suam convertentis. Peccatum proinde, quod cursu naturali accidit, ordinat et quodammodo assumis pro instrumento providentiae tuæ, et sic justo omnia

<sup>1</sup> Ubi?

cooperantur in bonum. Peccatum igitur, quod accidit, iram regis Pharaonis causat, (2) ira mittit eunuchos. Quo? (3) In carcerem principis militum, ubi erat Joseph. Et hoc est denuo malum, quod ordinasti, (4) et custos carceris tradidit eos [116:] Joseph, qui et ministrabat eis.

Nihil tibi commune est, o fili Rachel seu novæ legis, cum spiritu Synagogæ, in qua hanc humilitatem et opus misericordiæ captivis, quibus præpositus fuisti, servire vix reperiam. Hæc operabatur in te charitas illa proximi, quæ complementum suum per instructionem Christi in nova lege acquisivit et hinc non tantum servis, sed et vel de solo vultu eorum tristi sollicitaris, et inquiris, (6) audis causam esse, quod nemo sit, qui somnium eorum interpretetur, nec respondes: Dicte mihi, et ego interpretabor, sed interrogatione facta: Numquid non Dei est interpretatio? Instruis primo non debere illos spem suam ponere in hominibus, qui interpretationis somniorum per se capaces non sunt, sed in Deo. Demonstras secundo non tibi te attribuere, quod te per auxilium Dei facturum sperans subjungis: Referte mihi, quæ videritis. Narrant illi somnium et tu absque hæsitatione respondens interpretaris illud et subjungis ad pincernam: (14) Tantummodo memento mei, cum bene tibi fuerit, et facias mecum misericordiam, ut suggeras Pharaoni, ut educat me de isto carcere, (15) quia furto sublatius sum de terra Hebræorum, et hic innocens in lacum missus sum.

Non tibi hæc suggestit impatientia aut durities status tui, sed tua, o Deus, misericordia, ut eliberationem quæras, inspiravit tibi. Et unde hoc agnosco? Ex subsequenti capite, ex quo edoceor te duobus adhuc abinde annis silentem in carcere permansisse, nec patronum tuum, pincernam sollicitasse. Ille enim succendentibus prosperis oblitus est interpretis sui. Sic agebat humana ingratitudo in pincerna, conductus autem providentia in te, o Joseph. Necdum advenerat tempus, ut Pharao videret somnium, omnes enim eventus mundani in mira illa dispositione providentia tuæ, o Deus, ita concatenati sunt, ut unus alterum prout anuli catenæ subsequatur, nihil tamen præter naturaliter, nihil invite in illis agitur, cum illorum ordinatio opus sit justitiae et misericordiæ tuæ.

Hinc apparet, quantæ insipientiæ opus sit sollicitari, inpatientem esse et vel ipsa vocationis nostræ opera per vias detortas et sinuosas agere velle. Sed, o Domine, illi quoque, qui sic agunt, te disponente agunt, nec per hæc ex contiguitate catenæ excedunt. Tempus præfixeras captivitati et eliberationi Joseph, permittis, Domine, agere humanam ingratitudinem in pincerna, et obliviscitur interpretis, sed etiamsi oblitus non fuisse, quid profuisset eum loqui Pharaoni, qui necdum somniaverat? Potuisset rogare regem pro puero Hebræo innocentem, somniorum interprete? Sed propterea pro excellentiori interprete Ægyptiis habitus non fuisse, si etiam dimissus profecto exaltatus [117:] non fuisse.

O quam stultum itaque et quam insipiens est velle anticipare tempus ordinationis tuæ et quodammodo violentiam velle inferre consiliis tuis aut credere te oblitum esse alicujus et propterea velle clamare ad te! Sed profecto non minoris insipientiæ esset hæc consideratione crude et in stricto sensu accepta non agere, quæ agénda sunt. Et hoc est, quod mihi demonstravit Joseph dicens in versu prædictato: Tantum memento mei! Fecit, quod debuit, dictante misericordia tua hoc consilium prudentiæ suæ humanæ, et cetera reliquit tibi tolerans sortem suæ captivitatis in patientia. Beata est hæc dispositio et in suo sensu anticipate sequens illud præceptum evangelii: Nolite solliciti esse de crastino<sup>1</sup> etc. Sed hoc præstare nequit hominis cupiditas,

<sup>1</sup> Cf. Matth. 6,34.

quæ cum terrena appetere et illis adhærere facit, et ideo quamdiu quis sensibilibus objectis delectatur, semper sensibilibus innititur principiis, dum porro charitas agit in illo, quia temporalia contemnit et nihil in mundo quærerit, in omni statu immobilis et patiens subsistit, et exspectat tempus ordinationis tuæ viva fide credens te non oblitum sui.

O Deus infinite bonus, quomodo ego desistere possum<sup>a</sup> id petere a te, quod solum mihi necessarium est ad bene agendum temporalia et æterna? Quomodo, inquam, non petam charitatem, quam oportet esse basim omnis patientiæ, principium omnis justitiæ et complementum omnis gloriæ?

#### SUPER CAPUT 41.

(1) Jam te illuminante observavi duobus adhuc annis post pincernæ eliberationem incarcерatum mansisse Joseph et in patientia exspectasse providentiæ tuæ, o Deus summe misericors, conductum. Vedit proinde Pharaо somnium tot ac tantos eventus præsagiens, in cuius explicatione obmutescit omnis Ægyptiorum sapientia. (9) Et tunc demum reminiscens pincernarum magister Joseph confitetur peccatum et enarrat regi, quod acciderat cum illo. (14) Educitur e carcere Joseph, statuitur coram rege, cui ille ait: (15) Vidi somnum, nec est, qui edisserat, quæ audivi te sapienter conjicere.

Confortas, Domine, cor Joseph in conspectu Pharaonis, et primo omnium mentem regis ad te revocat dicens: (16) Absque me Deus respondebit prospera Pharaoni. Prævenit hic humilitas Joseph regem, nec sibi quidquam attribui cupit, et sic revelato somnii mysterio sapiens subjungit consilium, quod Pharaoni placuit et cunctis ministris ejus. (33...37) Sic cedit sapientia Ægyptiorum et totius ministerii sapientiæ [118:] unius pueri Hebræi ex carcere paulo ante educti. Tu enim dixisti ei, quod loquendū<sup>b</sup> erat in conspectu regis. Rex fidem adhibet interpretationi et consilio Joseph, ministri elevationi ejus consentiunt. (40) Pauper elevatur e stercore,<sup>1</sup> ac constituitur super domum regis, et super universam Ægyptum. (41) Auctoratur anulo, insignitur stola byssina, appellatur salvator mundi, uxorem recipit (45) et solo throno præcedit eum Pharaо, cum omnia cetera sub potestatem illius dedisset.

Hæ fuerunt, o Deus, erga justum justæ misericordiæ tuæ, ad quas recipiendas per carcerem et per afflictionem misericorditer præparaveras et disposueras illum, cum quo descendere dignatus fueras in carcerem et ille tecum perseverat et considerat etiam in throno. Sapientia tua per os ejus clausit ora sapientum Ægypti. Silet ministrorum zelotypia, et omnis Ægyptus a nutu ejus pendet et oboedit illi, qui antea captivus captiuis ministrabat. Sic demonstras, Domine, magnalia tua et potentiam tuam, in cuius dispositione sunt corda hominum. Sic affligis justum ex misericordia, ut mereatur justitiam exaltationis per misericorditer largitam patientiam et perseverantiam. Omnia quippe tu direxisti in manu Joseph et tu eras cum illo, et haec omnia teguntur velo naturalium eventuum. Mulieris malitia Joseph in carcerem detrusit,

<sup>a</sup> Rectius: possim (cf. Ms. fr.: pourrois-je)

<sup>b</sup> Correxit ex -gu-

<sup>1</sup> Cf. I Reg. 2,8.

sapiencia tua in thronum elevavit, et sic malum disposuisti seu permissum ordinasti, bonum operatus es.

O Pater misericordiarum et omnis justitiae, Deus, quanta est cæcitas hominis, qui tam exaltata opera tua considerans non videt et non agnoscit adorandum conductum providentiae tuæ et deficit in afflictionibus, desperat in humiliationibus. Quæ prudenter humana potuisset sibi imaginari modum exaltandi Joseph, quem sapientia tua per unicum somnum regis adinvenit? Sed parce mihi, Domine, si inquisiero, num hoc somnum solummodo propter exaltationem Joseph institueris. Non, profecto, sed Joseph et somnum tamquam concatenati eventus se trahentes directi sunt in finem suum, qui est gloria tua. Hujus somnii sequelæ fuere conservatio familie Israel, receptio ejus in Ægyptum, propagatio populi tui, captivitas et liberatio ejus, ex qua semper clarus et evidenter manifestari debuerunt opera tua, ut sint visibilia et quodammodo palpabila intellectui humano, quem per hæc disponere dignatus es ad gratiam fidei mysteriorum, quæ nobis manifestata sunt. Et hic est finis misericordiæ tuæ, propter quem hæc scripta et Ecclesiæ tuæ tradita et conservata esse voluisti.

Vidi hactenus per gratiam tuam, Domine, in Joseph figuram Christiani in statu servitutis apud Putipharum et sedulitatem in dispositionibus, ejus solleritiam et fidelitatem erga dominum. Observavi in statu humiliationis et captivitatis opera misericordiæ patientiamque ejus admiratus sum. Ecce, exaltatus et in statu dominationis constitutus (46. 47) orditur gubernium per visitationem et perlustrationem [119:] totius Ægypti. Deinde providentiae opera exercet, et hoc est munus omnis principis Christiani. Primo cognoscere, perlustrare regnum suum et sic providere omnibus necessitatibus præsentibus et in quantum potest, contingibilibus. In tanto opere dedudante benedixisti domui ejus, Domine, (50) natique sunt illi filii duo, et appellat primum Manasse dicens: (51) Oblivisci me fecit Deus omnium laborum meorum et domus patris mei.

O Joseph, quæ est hæc loquela tua? Num patris te amantis oblivisceris aut injuriam a fratribus tuis illatam hac oblivious? Abest hoc a justitia tua vere Christiana. Hic enim prius laborum tuorum oblivious<sup>a</sup> exprimitur te domus patris respectu injuriarum seu, ut clarus dicam, in domo patris receptarum injuriarum oblitum fuisse, et harum oblitus illico beneficiorum Dei recordaris in secundogenito dicens: (52) Crescere me fecit Deus in terra paupertatis. Et sic demonstras te semper memorem fuisse humiliationis et paupertatis in statu exaltationis tuæ. Ecce, in te typus principis Christiani, sed quomodo principis, cum sub rege fueris? Nihil hoc obest, Pharaonem enim ego in hac historia tantummodo velut figuram legum considero, quibus princeps subesse debet, (39) de cetero enim ad tui oris imperium cunctus populus obcedit, nec quisquam manum aut pedem movet absque imperio tuo in omni terra Ægypti. (44) Talis igitur apparuisti in prosperis semper memor paupertatis, congregans in horrea, (56) ut fame seu adversis advenientibus aperires universa horrea et charitas tua providerat non tantum Ægyptiis, (57) sed et omnibus viciniis provinciis.

<sup>a</sup> Nota structuram obscuram (*car oubliant premierement vos travaux et vos souffrances il est exprimé que vous avez oubliéz la maison de votre père...*)

Magnum Christianarum virtutum exemplar repræsentavit mihi hactenus Joseph per gratiæ tuæ lumen considerans<sup>a</sup> historiam ejus. Elevavit illum bonitas tua, Domine, in altum statum gloriæ, sed adhuc altius elevas, dum ad adorandum illum cultu civili fratres traditores ejus venire cogis. Vix est enim gloriæ genus, quo homo plus delectetur, quam humiliatione inimicorum. (3) Ducuntur fratres Joseph fame coacti in Ægyptum, (6. 9) et miro ordine providentia tuæ ita disponente, ecce, fiunt scabelum pedum Joseph. Recordatur ille somniorum suorum, ut intrinsece agnosceret mira ordinatione tua, o Deus, hæc agi.

Spectaculum hoc vive repræsentat mihi bonitas tua, et in eo vere naturam humanam agere video. Proprium est generositatis et bonæ indolis parcere quidem, sed monstrare, quod non ex ignavia, sed ex generositate parcat. Quo magis enim quis sentit injuriam, eo majoris virtutis est condonare; et hoc est, quod Joseph demonstrat, dum illis nomen exploratoris impingens mittit fratres in carcerem. (17) Agit in his divina providentia tua, Domine, et vere misericordia tuæ est effectus, quod sæpe illos [120:] quoque, quibus parcere decrevisti, aliqua afflictione commonefacis prævie, ut se male fecisse agnoscentes quo plus se male fecisse agnoscant, eo sensibilior sit illis misericordia tua. Hinc ordinationi tuæ attribuo proinde ego, quod non statim sint commota viscera Joseph visis fratribus, sed sibimet ipsi violentiam facit mansuetudo ejus.

Sed fateor, Domine, in omni humilitate non me concipere, cur Benjamin sibi adduci jubeat, cum scire potuerit se hoc desiderio et mandato plus patrem, quam fratres suos mortificatum. Sentio quidem hoc naturalem erga fratrem uterimum teneritudinem illum videndi desiderium producere potuisse. Sed cur Joseph afflictionem patris exinde enascituram suo affectui non prætulerit, nescio, sed nec inquiero credens nihil hic absque particulari et semper justa dispositione tua factum fuisse. Posset quis dicere Joseph primo motu ex puro instinctu humani spiritus egisse et sub quæsito prætextu ideo fratres in carcerem conjectisse, ut justam vindictam sumeret de illis, verum triduo elapso (18) ex gratia tua resipuisse et fratres ex timore tuo, Domine, educi curasse. Sed in hoc agendi modo justitiæ veteris legis oculum pro oculo, dentem pro dente<sup>1</sup> eruentis fuisse figura, non novæ, quæ pro injuriis beneficia, pro persecutione benedictionem impertiri docet, quod Joseph dimissis fratribus et reddita pecunia illorum vere in spiritu novæ legis præstítit.

Sed, o Domine, denuo me tangit, fateor, afflictio illa Jacob, quam Scriptura tam vivaciter exprimit. (35. 36) Durus fuit sermo in auribus senescentis Jacob filium dexteræ a dilecta sibi Rachel et quidem moriente natum periculo exponendum a se dimittere, et hinc ait: (38) Non descendet filius meus vobiscum. Frater ejus mortuus est et ipse solus remansit. Si quid illi adversi acciderit in terra, ad quam pergitis, deducetis canos meos cum dolore ad inferos. Magnas teneritudinis et afflictionis fuit hæc expressio. Sed filius Rachel seu novi testamenti Joseph a patre exigit, ut pro salute fratrum suorum dilectum filium suum, Benjamin exponat.

O Domine, hæ sunt sublimes illæ charitatis regulæ, quas nos Filius tuus unigenitus, Filius dexteræ tuæ, qui te, Patre quodammodo relicto de cælis descendit et quem

<sup>a</sup> Recite: *considerando vel sim.*

<sup>1</sup> Cf. Exod. 21,24.

tu pro nobis fratribus suis morti tradidisti, docuit; quæ naturæ humanæ in tantum repugnant, nonnisi gratia tua singulari adjuvante exercentur. Et hoc est, quod Joseph mihi exprimit in petendo, Jacob autem in reluctando. Benjamin est mihi, Domine, quidquid mihi cupiditatis adhæret, si ego quoque adhæreo illi, et hoc mihi tam difficile est dimittere, quam Jacob Benjamin suum. Petit illum a me præceptum legis novæ, sed nisi me fames charitatis tuæ, prout fames corporalis Jacob, adusserit, non dimittam Benjamin meum. Auge igitur famem, Deus, famem charitatis et verbi tui in me, ut pro hoc pane omnia dimittens a memet ipso recedam, ut possim uniri tecum, vita mea!

#### SUPER CAPUT 43.

Ecce, Domine, Israel, qui fortis fuit contra te luctans, luctatur secum, luctatur cum fame, [121:] nec sibi seu teneritudini suæ erga Benjamin nec fami cedere vellet. Nulla enim de Simeone amplius fit mentio, qui apparener in captivitate relictus fuisset, (2) si consumptis ex Ægypto allatis cibis necessitas remittere filios ad eumen-dam escam non coegisset Jacob. In procedenti capite Ruben primogenitus reductio-nem Benjamin in se assumpserat, et plane insipienti oblatione duos filios suos occi-dendos offert patri, si Benjamin non reduxerit. (8. 9) Hic porro hanc cautionem Juda in se suscipiens, nisi reduxerit, se reatu peccati in patrem oneratum declarat, et ad hujus, non ad primogeniti Ruben fidejussionem dimittit Jacob Benjamin, (13. 14) et benedicens illis dimittit filios suos.

Ex contextu hujus historiæ video ego admirabilem illam dispositionem cordis Joseph charitate fraterna pleni, qui quamvis fratres sub diversis quæsitis prætex-tibus in agnitionem criminis perpetrati ducere volens vexare et mortificare vi-deatur, et fors, ausim dicere, velit, convivium præparat, frumentum largitur et pecuniam semper restitui facit illis. Illi autem semper timidi fraudem suspicantur et timent, (18) sed neandum agnoscunt causam et finem operum charitatis Joseph, (26) quem denuo adorantes ille quoque benigne excipit illos, (27) sed nonnisi viso Benjamin commoventur viscera ejus. Unde colligo omnia hæc Joseph pro correctione fratrum suorum egisse, ut quid merito posset demonstrans, tandem appareat opus vere Christianæ charitatis. Agit, convivatur cum illis Joseph se-cundum decentiam status sui, et quamvis Ægyptiorum ritum et consuetudinem in extrinseco convivandi modo servet, (32) relligioni suæ minime derogasse illum ex omnibus operibus suis constat, (34) et in omnibus his innocentem Benjamin distinguit a ceteris.

Percurro hæc, Domine, breviter tamquam historica, ut perveniam ad finem, quem in his Joseph habuisse credo; semper et ubique divinæ providentiae et sapientiae tuæ cum Joseph agentis conductum admirans et adorans, quod ut me-lius præstare valeam, inflamma aridum cor meum, ut vere opere possim præsta-re, quod velle<sup>a</sup> dedisti.

<sup>a</sup> velle sc. mihi (cf. Ms. fr.: vous m'avez fait la grace)

## SUPER CAPUT 44.

Innocens est astutia, cuius objectum est charitas. Curat Joseph impleri saccos, fratrum onerari jumenta, sed quærerit occasionem, ut illos sentire faciens, quod sensit, reducat illos in agnitionem peccati. Hinc causam quærerit in Benjamin, cum detentionem ejus facile colligere potuit sensibiliorem futurum, quam si alium præter illum detinuisset. (2) Propterea dispensatori præcipit, ut scyphum suum poneret in saccum Benjamin. His peractis pacifice dimittantur quidem, sed mittitur dispensator, ut reducatur Benjamin, apud quem, posteaquam ceteri visitati fuissent, scyphus deprehenditur. (16) Agnoscut se reos et præ ceteris Juda confidenter accedens (18) exponit statum afflictum patris et orbitatem ejus, ac tandem concludit: (33) Manebo itaque servus [122:] tuus pro puerō et puer ascendet cum fratribus suis; (34) non enim possum redire ad patrem meum absente puerō, ut calamitatis, quæ oppressura est patrem meum, testis assistam.

Unde tibi hæc loquela, o Juda, qui ante in venditionem Joseph consentiens nullam patris, nullam fraternæ dilectionis rationem habuisti? An non scivisti patrem amasse Joseph et de morte illius afflictum iri? Cur non revelasti ad minimum patri, quod non sit occisus, aut cur in traditionis fraternæ crimen consensisti? Quis te nunc hos teneros in patrem et in Benjamin dilectionis sensus docuit, nisi Joseph charitas, quæ te monet exemplo et tua ac fratrum innocentia (quamvis justa)<sup>a</sup> afflictione instruxit, quid sit innocenter pati et patrem affligere; et docuit, quæ sit fraterna obligatio se pro fratri salute in servitatem offerens? Hanc voluit Joseph, norma filiorum novæ legis fratres instruere, et, ecce, instruxit.

## SUPER CAPUT 45.

Non te miror, o Joseph, veræ charitatis paternæ et fraternæ instructum te amplius Juda sic loquente continere nequivisse. (1) Sentit enim dilectio tua dilectionis effectum, et<sup>b</sup> ecce, cum afflictis affligeris. Jam agnoverant fratres tui se propter crimen in te commissum digne pati, sed afflictionem patris necdum senserunt, et ideo non contentabar, donec inspirasses illis verum charitatis, non solum sterilem<sup>c</sup> agnitionis mali sensum. Non amplius arguis illos quæsitus sub prætextibus exploratores esse, non arguis, sed dicis fratribus tuis: (4) Ego sum Joseph. Sed cum charitas tua illos hac voce territos et attonitos esse vidisset, clementer repetis: (5) Ego sum Joseph, frater vester, quem vendidistis in Ægyptum. Nolite pavere, neque vobis durum videatur, quod vendidistis<sup>d</sup> in his regionibus. Pro salute enim vestra misit me Deus ante vos in Ægyptum (8) ....; non vestro consilio, sed Dei voluntate huc missus sum, qui fecit me quasi patrem Pharaonis et dominum universæ domus ejus ac principem in omni terra Ægypti.

O bonitas infinita Dei, quam vivo exemplo, quam nervosis verbis exponis præ oculis meis tuæ providentiæ et fraternæ dilectionis exemplum in hac admiranda et

<sup>a</sup> Transposui signum )

<sup>b</sup> Ante et in margine: Cap. 42. v. 21.

<sup>c</sup> Correxit ex sterilis

<sup>d</sup> vendidistis sc. me

hominem interne vere commovente historia. Sentio haec ego legens, et quomodo non sensissent fratres, quos Joseph tam fraterne affligens instruxit? Quis absque lacrimis legere potest teneritudinem dilectionis Joseph? Quis in eo non agnoscet charitatem veri magistri charitatis, ex cuius anticipata charitate hæc Joseph scivit et fratres instruxit? Nemo enim præter hunc in veteri testamento taliter condonavit injurias, nemo se odientes dilexit; et quia dilexit, hæc ipsos ex charitate affligens instruxit. Agnoscit Joseph magnalia tua, Deus, dat gloriam tibi, non fratres arguit, non reprehendit, sed illos consolans [123:] tamquam instrumenta providentiae tuæ illam adorat, illam laudat, illam in charitate acceptat bonam, justam et salutarem agnoscens.

Da, o Domine, labiis meis, sed adhuc plus cordi meo hanc laudem tibi debitam; omnia enim hæc meretur a me sanctissima providentia tua, quæ me per tot humanæ et mundanæ vitæ anfractus, per tot peccatorum labyrinthos duxit ad veram et internam agnitionem harum veritatum, ut daret mihi internam illam quietem animi per agnitionem hujus veritatis, non consilio hominum, sed voluntate Dei sic actum fuisse mecum. Quis de hic convictus inimicum habere, quis de hominibus conqueri poterit? Quis denique hæc considerans tranquillus non erit et de crastino sollicitabitur? Dignum fuit sapientia tua, Domine, historiam genesis spiritualis sub figura genesis naturalis et corporalis repræsentatam prototypo tali concludere in Joseph, qui anticipate repræsentaret, qualis futurus erat homo spiritualis regeneratus; et in hoc charactere adumbraret primogenitum fratrem inter ceteros fratres, ex quibus componitur corpus genesis spiritualis. Sed cum hoc prototypon adhuc præ oculis meis retinet Scripturæ contextus, instrue me illa, quæ gloriæ tuæ et salutis meæ convenientia reperiuntur in subsequentibus!

Dimitit Joseph fratres donis, cibariis charitatis suæ convenientibus onustos ad patrem, et omnes suos sermones hoc verbo charitatis concludit: (24) Ne irascamini in via! Examino, Domine, et ecce, nullum extrinsecum charitatis affectus signum reperio in fratribus Joseph; (15) illi pavent, Joseph accedere jubet, consolatur, denuo illos osculatur singulos, et flet super illos, sed omnibus his teneritudinis affectibus nihil adjungit Scriptura, nisi quod post hæc ausi sunt loqui ad eum. Et ecce, differentia inter charitatem et dilectionem filiorum Dei in Joseph repræsentatam et dilectionem filiorum hominum sub lege naturæ, quam fratres Joseph exhibent. Pure humanæ dilectionis et legis naturæ fundamentum est, quod tibi vis fieri, alteri feceris. Contra hoc peccaverunt fratrem vendendo, et peccatum sentiendo ex dictamine hujus principii semper diffidentes timuerunt vindictam, quam quia justam crediderunt, et in alterum quia fors exercuissent (prout propter Dinæ raptum fecerunt), semper præ oculis habuerunt ex proprio instinctu credentes fratrem Joseph injuriam sibi illatam oblivisci non posse.

(16) Propterea plus in Pharaone et familia illius, quam in fratribus Joseph apparent gaudii. (26) Nec domum reversi patri rem gestam aliter denuntiant, quam: Joseph filius tuus vivit, et ipse dominatur in omni terra Ægypti. Quo auditio Jacob quasi de gravi somno evigilans tamen non credebat eis. Sterilis fuit hæc relatio, durum enim fuit fratribus traditoribus dicere patri: Joseph, filius tuus vivit. Sed quomodo ego imaginari possem mihi statum senis patris ad hanc vocem vere velut e gravi somno evigilantis? Difficile erat credere Joseph vivere, adhuc difficilius sibi persuadere eum dominari in omni terra [124:] Ægypti. (27) Et hæc dubitatio coegit filios omnem ordinem rei referre, sed num coram patre crimen confessi fuerint, ex hoc Scripturæ loco conjicere nequeo, sed nec in sequentibus legisse memini.

Quod enim in ultimo capite legitur dixisse fratres nomine patris, ex timore vindictæ processisse appetet, et supra dicta confirmant, sed non manifestant, num Jacob sciverit, quomodo Joseph traditus et venditus fuerit. Sed de hac re tractandi amplior alibi dabitur occasio.

Patris teneritudinem ultimus versus demonstrat, (28) et videtur relationem filiorum de exaltatione Joseph conclusisse, et ideo subjungit: Sufficit mihi, si adhuc Joseph, filius meus vivit. Vadam et video eum, antequam moriar. Quam differentes sunt hæ charitatis dispositiones, quæ ex supra recensitis manifestantur, et vivis coloribus depinguntur differentes patris Joseph et fratum ejus characteres! Jacob in sua sancta simplicitate non magnitudini Joseph congaudet, non opes<sup>a</sup> ejus desiderat, sed sufficit illi, si Joseph vivit. Joseph autem in exaltatione sua non vindictam querit, non fratres, pastores ovium Ægyptiis despctos denegat, sed ipse prior recognoscit, corrigit, honorat, alit, dotat et omni charitate prosequitur.<sup>b</sup> Fratres semper meticulo-si, circumspecti et cauti nullam præ se ferunt lætitiam de exaltatione Joseph, et si a fame coacti non fuissent, fors Ægyptum nec intrassent.

Hi porro characteres suis convenient originalibus. Jacob nonnisi filium salvum videre cupientis, magnalia ejus nec proferentis simplicitas viguit et vigebit semper in Ecclesia, quam Jacob figurasse ab exordio illius historiæ dixi; quæ semper in hac dispositione subsistit respectu filiorum suorum. Josephi charitas est propria his, et ceteri fratres figuram filiorum mundi in Ecclesia repräsentant, in quibus adhuc ho-diedum subsistit et vigeat character ille Synagogæ et reprobationis, de quibus gemere me oportet, non profecto scandalisari in illis. Tu voluisti enim, Domine, ut totum hoc corpus, cuius caput Filius tuus unigenitus est, constet ex frumento et ex paleis, donec veniat dies, in quo eventilabuntur paleæ et remanebit frumentum illud electorum tuorum, in quorum numero, imploro misericordiam tuam, ut nomen quoque meum scriptum esse velis.

#### SUPER CAPUT 46.

Historiam supponit esse intellectus mei debilitas descensum Jacob in Ægyptum cum universa substantia sua. Ad receptionem ejus et propagationem semi-nis sui erat quodammodo necessaria venditio, captivitas et elevatio Joseph et in hoc figura Christi fuit. Joseph enim primogenitus Rachel pro salute totius semi-nis Jacob a fratribus vendi et, prout dixi, pati debuit, ut salvator mundi appellaretur et vere salvaret patrem ac fratres suos. Sed hæc omnia per Benjamin, quem Rachel moriens peperit, facta sunt, nonnisi eo adducto enim Joseph se manifes-tavit fratribus. [125:]

Sed, o Deus, lumen animæ meæ, quamvis tota hæc historia aut, ut melius dicam, potiores eventus Christo applicari quodammodo naturaliter possint, servitus Joseph in domo Putiphari, somnia seu eunuchorum seu Pharaonis, sed nec ipse Pharaon reperiet locum in applicatione, nisi fors in sensu tantis sublimitatibus ornato, quod intellectus meus ad illas pertingere nequeat. Propterea pro simplicitate mea malui (aliorum sensu cum omni reverentia seposito) hanc historiam secundum lumen par-

<sup>a</sup> Correxit ex opus

<sup>b</sup> prosequitur sc. illos

ticulare, quod mihi dare dignatus es, explicare. Magis apparent miracula operum tuorum magnalia ex contextu successionis figurarum secundum subsecutas veritates, quam si sub repetitis figuris semper eadem veritas, semper Christus designaretur, et praeter hoc quoque jam in Genesi totaconomia tua, Domine, in salutem hominum ordinata in figuris expressa sit, non reperio rationem, cur hic de novo eandem reconomiam repræsentare<sup>a</sup> oportuisse.

Sed tamen, Domine, parce mihi, si hæc secus se habent. Vides enim me non ex temeritate hæc dicere. Instrue proinde, quæso, me, ut veritati conformes sint cogitationes meæ, et illumina, (1) quid mihi de puteo juramenti, ad quod Jacob venerat, qui a fœdere Isaac cum Abimelech pacto nomen obtinuit, dicendum sit. Quia jam sæpe confessus sum ignorantiam meam ratione regis Abimelech, et propterea nec fœdus cum ipso et ex consequenti nec puteum ejus explicare valeo. Considerabo igitur per gratiam tuam verba tua, Deus, quæ sunt veritas ipsa, et tamen velo tegitur, (3) ut ex omnibus, quæ in veteri testamento acta sunt, appareat omnia sub velo, sub nube et sub figuris dicta ac facta fuisse.

Postquam enim veritatem Jacob edicere dignatus fuisses: Ego sum fortissimus Deus patris tui, audearne inquirere in omni humilitate, cur non dicas:<sup>b</sup> Ego sum Deus Bethel etc., prout jam te antea Jacob dixisse repperi? Et quod plus est, illi altare ædificari te, Deum jussisse refert Scriptura. Profecto hoc et illud velum fuit<sup>c</sup> veritatis, quod tegebat adorandum divinarum personarum mysterium et earum realem distinctionem ac Dei Bethel particulariorem operationem in illis, quæ per peregrinationem Jacob designabantur, a qua dependebat generatio ejus; et quia hic tantummodo de multiplicatione carnali seminis ejus agitur, ideo non persona determinata adorandæ Trinitatis tuæ, sed virtus Deitatis exprimitur per hæc verba: Ego sum fortissimus Deus patris tui. Noli timere descendere in Ægyptum, quia in gentem magnam faciam te ibi. (4) Ego descendam tecum illuc, et ego reducam te revertenter.

Et ecce, hæc quoque velata veritas est, non in persona in Jacob cadens, sed ad Jacob gentem magnam pertinens. Primus enim mortuus in Ægypto Jacob, gens magna reducta est. Et hinc confirmor omnia in hoc capite contenta non novi testamenti veritates, sed futuros populum [126:] concernentes eventus denotare. Hæc tota subsequens historia in sensu litterali accepta pietatem Joseph in patrem ac plane Christianam charitatem erga fratres demonstrat, et ubique appetet mira providentiæ tuæ ordinatio, o Deus, qui cor Pharaonis ita flectebas, ut in omnibus, quæ receptionem Israel respiciebant, ipsum Joseph prævenisse videatur.

Quam proclivi cursu fluunt eventus, quorum tu ordinator es! Nulla hic appetet aulicorum contra Joseph aut fratres ejus zelotypia, nulla obtrectatio, quod Hebræus ipsem in recipiendis fratribus et patre Ægyptiacæ excellentiæ deroget; (34) quod denique pastores ovium, quos Ægyptii detestabantur, in tantum honorentur. Ex his videtur profecto nec manum nec pedem movisse quenpiam in Ægypto (prout Pharaoh Joseph dixerat) præter voluntatem Joseph, sed tanta regni in voluntatem unius ministri concurrentis concordia, non Pharaonis, non Joseph, sed opus tuum fuit, Domine, ex quibus sit tibi laus et gloria ab omnibus hæc meditantibus!

<sup>a</sup> Correxit ex *repræsentari*

<sup>b</sup> Ante *dicis* in margine: *Cap. 31 v. 13.*

<sup>c</sup> Ante *fuit* in margine: *Cap. 35.*

## SUPER CAPUT 47.

O Deus infinite misericors et juste, quam facilis est, ecce, ingressus *Ægypti* familiæ Israel! (1) Joseph ingressus Pharaoni nuntiat advenisse fratres cum omni substantia sua, (3) producit fratres suos coram rege, nec tamquam pastores ovium despiciuntur, sed ad cuncta respondet Pharao dicens ad Joseph: (5. 6) Pater tuus et fratres tui venerunt ad te; terra *Ægypti* in conspectu tuo est; in optimo loco fac eos habitare! Quis hominum hoc considerans præsagire potuisset hanc fore terram captivitatis et miseriarum pro filiis Israel? (8) Ipse Jacob a rege benigne excipitur, sed de numero annorum suorum interrogatus (9) non annos vitæ, sed peregrinationis annos pravos et malos computat et refert, et propterea his bene consideratis profecto ignoro, num dici nequiret Joseph ab exaltatione sua providentia tuæ, Deus, *Ægyptum* mundi, Pharaonem potestatum sæculi, Jacob Ecclesiæ fuisse figuram, quæ tempore conversationis Christi ab omnibus gentilibus, potestatibus, in duodecim apostolorum tamquam fratribus et septuaginta discipulorum numero pacifice recepta fuit.

Sed quia hæc non respectu omnium particularitatum applicabilia sunt, non inhærebo applicationi huic, sed Joseph in antecedentium consequentia considerans<sup>a</sup> (14) repræsentat mihi in dispensatione annonæ industriam principum, qui justo titulo pecuniam congregant dominiumque suum in populum dilatant, (20. 21. 22) sacerdotes tuos, Deus, conservant, et posteaquam omne regnum sibi subjecissent emendo, beneficiis alunt ut patres et provident victui subditorum suorum.

(29) Hæc cum ita facta fuissent, cum appropinquare cerneret diem mortis suæ Jacob, vocavit [127:] filium suum, Joseph et posita manu ejus sub femore suo adjuravit illum, ut faceret misericordiam qua princeps in sepeliendo, veritatem in impiendo mysterio, quod sepultura Jacob in reductione ejus in terram Canaan designavit reductionem seminis sui et possessionem ejus. Manum porro sub femore posuit ex eadem causa, ex qua Abraham ab Eliezero jurante hanc formalitatem exegit, jurans in memoriam ejus, (31) qui ex hoc femore exiturus erat, et Joseph jurante Jacob hunc adoravit in spiritu conversus ad lectuli caput.

## SUPER CAPUT 48.

Nescio, Domine, et in omni humilitate agnosco ignorantiam meam, cur ultimi versiculi (29. 31) præcedentis capitil versui primo hujus capitil præpositi sint, et ordinem historiæ turbare videantur. Prævie enim præsentia Joseph refertur, cum jurasset. Hic porro illum tantum advenisse dicitur, nec hæc aliter combinare valeo, nisi quod Jacob Joseph advocavit, cum appropinquare cerneret<sup>b</sup> diem mortis suæ, sed Joseph causam advocationis suæ ignorans filios suos secum non adduxit, sed postquam patri suo jurasset, reversus in domum suam nuntiatum est Joseph, quod ægrotaret pater suus. Agebat igitur ante spiritus propheticus in Jacob, ex ejus inspiratione mortem appropinquare cognoscens Joseph Advocavit. Hic porro agit per infirmitatem naturæ debilitas, et sic revocatur Joseph et reddit cum filiis.

<sup>a</sup> Nota structuram (cf. Ms. fr.: *je n'insiste point..., considerant..., il me represente*)

<sup>b</sup> Ante cerneret in margine: 12<sup>a</sup>.

(3) Adveniente igitur Joseph orditur sermonem suum Jacob<sup>a</sup> ab apparitione in Luzza seu in Bethel, et non promissionem tuam, Domine, patribus factam suis, sed post visionem mysteriosæ scalæ reiteratam sumit pro fundamento dispositionis suæ. (5. 7) Adoptat itaque filios Joseph et ex contextu innuitur, ac si hanc adoptionem fecisset ex eo, quod Rachel mortua paucos illi reliquisset filios. Et hac dispositione videtur mihi præfigurari vocatio gentium, cum hi ex matre Ægyptia nati fuerint. (9. 10) Caligaverunt oculi corporei Israel, sed oculi interni ejus videntes secreta judicia tua, Deus, (13) quamvis Joseph filios suos secundum ordinem genituræ disposuerit, Jacob tamen discernere novit (14) et præferre secundum ordinem hactenus per gratiam tuam observatum minorem natu primogenito. Quod ut casu factum non fuisse agnoscamus, docet nos Scriptura (17) Joseph hunc putativum patris caligantium oculorum errorem correcturum<sup>b</sup> non tantum levare voluisse patris manum, (18) sed et illi dixisse non ita convenire. Israel tamen respondet: (19) Scio, fili mi, scio; et secretam tuam, Deus, sententiam filio suo revelat.

Hæc fuere judicia tua, Deus, respectu primogenitorum usque ad tempus, quo unigenitus tuus et primogenitus matris [128:] jus primogenituræ sanctificavit, et in hujus mysterii clariorem figuram lege tua sanctum fuit, ut primogeniti tibi offerrentur et redimerentur, et usque eo sub lege naturæ quendam peccati characterem semper particularius portabant sibi impressum primogeniti, hunc autem abolitum iri in lege nova ipse Joseph, primogenitus Rachel seu figuræ novæ legis præfiguravit, qui semper a patre amatus fuit. Ruben autem primogentius Liæ seu veteris legis qualem benedictionem obtinuerit, ex sequenti capite apparebit.

Sed, o bonitas infinita, quid hoc mirabile? Ecce, benedit Israel Ephraim et Manasse, antequam benedixisset patri eorum Joseph, huic porro mox in ordine genituræ filiorum solummodo benedic! O Domine, quamclare dignaris mihi demonstrare ante dictorum veritatem, Joseph nempe qua figuram primogeniti novæ legis benedictione non indiguisse, cum in hac consideratione Christum figuraverit, et ideo benedictionem patris in ordine naturalis genituræ obtinuit. Ephraim autem et Manasse tamquam per adoptionem vocatos et figuras gentilium omnibus ceteris præponere decuit, ut clarior sit figura, et designet gentium Ecclesiam omnium filiorum carnalium Israel benedictionem prærepturam, et propterea in sequenti capite, quid singulis futurum, tantummodo prophetando edicit Jacob. Sed hic longe alio modo benedit: (17) Deus, inquit, in cuius conspectu ambulaverunt patres mei, Abraham et Isaac, Deus, qui pascit me ab adolescentia usque in præsentem diem, (18) angelus, qui eripuit me de cunctis malis, benedicat pueris istis, et invocetur super eos nomen meum, nomen quoque patrum meorum, Abraham et Isaac, et crescant in multitudinem super terram.

Non dicam ego hic nomen angeli sumi debere, nisi in sensu suo, id est missus, sed hic missus non spiritus communi usu loquendi designatus, sed missus a Patre Filius intelligi debet, cum ille per adoptionem fecerit, quod nomen Abraham, Isaac et Jacob nunc quoque invocetur super generationem illius spiritualem, per quam omnes filii Abrahæ dicimus et sumus tamquam per Christum (qui ex semine carnali Abrahæ et Isaac et Jacob fuit) regenerati et geniti. Et hic verificatur invocatio nominis horum patriarcharum super nos.

<sup>a</sup> Correxit ex ?

<sup>b</sup> Correxi ex *correcturus*

His bene consideratis igitur nunc dignaris mihi revelare Manasse, primogenitum Joseph figurasse primos Christianos ex circumcione, Ephraim autem gentiles; et ex hoc clare apparet, cur Jacob secundum judicia tua, Domine, in primogenitum Ephraim constituerit. Non loquitur in hac benedictione Jacob de fructibus terræ et de rore cœli, sed figuris veræ generationis spiritualis benedictionem pure spiritualem impertitur; sed in tota hac actione, ita et in sequenti, Jacob ipse nihil figurat, sed prophetam agens futura prædictit. Et propterea dicitur: (20) Benedixitque eis in tempore illo [129:] dicens: In te benedicetur Israel atque dicetur etc. Et quid veritati magis consonum, cum vere Israel nonnisi in filiis adoptionis benedictus fuerit; verum quid referam, Domine, de sensu versuum 21. 22., cum his, quæ rettuli, ruminantis communi opinioni interpretum nequeam de toto consentire, qui dicunt his verbis Jacob vel agrum in Sichem emptum vel civitatem Sichimitarum per Simeon et Levi occupatam intelligi, cum hic sensus nimis superficialis appareat mihi. Jacob enim dat Joseph partem unam extra fratres suos, quam tulit de manu Amorrhæi in gladio et arcu suo, agrum autem supra memoratum centum agnis emit, civitatem autem numquam suam reputavit, cum et tunc cum Simeon et Levi occupassent illam, factum non approbavit, sed recessit inde.

Sed præterea<sup>a</sup> quoque, an nescivit prophetans hic Jacob Joseph in Aegypto moriturum? Cur loquitur ergo illi, ac si ipse intratus esset terram promissam, nec sub nomine Joseph in illa partem habiturum? Cur ergo non dat hanc exiguum portionem in gladio et arcu suo acquisitam filiis Joseph, quibus benedicit, aut cur ipsimet Joseph non dat hoc acquisitum in contextu benedictionis, quam in sequenti capite refertur dedissem illi?

Non, non, o Domine, odorem profundi mysterii dignaris super hæc effundere, nec præterire possum eum, quin a te lumen et intelligentiam petam illorum, quæ utilia mihi esse possunt. Ecce enim, hæreo, Domine, respice tenebras meas, neque enim hunc textum ad urbem Sichelech ex prædictis causis intelligere, sed nec alio applicare possum, cum Jacob armis nihil legam acquisivisse, nec filios Joseph aliquam particularem terram obtinuisse sciam vi hujus dispositionis. Cum proinde aliter explicare nesciam reflectens me ad illa, quæ tu, Deus, ad juramenti puteum dixeras:<sup>b</sup> facturum te Jacob in gentem magnam, siquidem hic Jacob prophetice loquitur, secundum tempus, quod in spiritu propheticō sibi pro præsenti reputavit, præteritum, quod tuli (id est, Jacob gens magna) de manu Amorrhæi in gladio et arcu dicere potuit. Et hanc dicam potius esse terram, quam dimidia pars Manasse trans Jordānem obtinuit, quæ et ab Amorrhæis accepta et a parte tribus Manasse cis Jordānem per hunc fluvium separata est.

Quod porro me in hac opinione confirmat, est et illud, quod Jacob, (1) prout in sequenti capite dicetur, annuntiet, quæ eventura sunt filiis suis in diebus novissimis. Sed tu, Domine, parce insipientiæ<sup>c</sup> si genuinum sensum hujus versus non rettuli, cum illum a me habere nequierim. Laudet te, Domine, et ignorantia mea, in quantum opposita lumini tuo suam miseriam demonstrat, et ad tua magnalia laudanda me provocat, quibus ego his, quæ debeo, te adjuvante præstare cupio.

<sup>a</sup> Correxit ex *propt-* (?)

<sup>b</sup> Ante dixeras in margine: *Cap. 46.*

<sup>c</sup> *insipientiæ* sc. *mew* (cf. Ms. fr.: *mon ignorance*)

Magna mihi occurrit in his prophetiis obscuritas, o lumen animæ meæ, Deus, [130:] Historiarum enim ignarus et tam exili memoria dotatus quomodo eas explicare potero? Concernunt quippe illæ res a populo Hebræo aut gerendas aut in illo adimpletas. Nam prophetiæ, quæ Christum, Filium tuum designant, claræ sunt et toties tam eleganter explicatae tantum illis non patent, quibus cor velaverunt justa judicia tua, Deus. Præter has autem cum in illis nihil novum testamentum concernit, aut sensus adhuc hodie in dispersione superstitem populum Judæum respicit, veritatem illarum firma fide credens balbutire de illis non præsumo. Quodsi tamen aut in Exodo aut in libris Josue, ubi de distributione et gestis judicum et regum agetur, aliqua occurrerent, suis locis connotanda reservo, humillime implorans gratiam tuam, Domine, ne me in hoc opere, in quantum prodesse potest gloriæ tuæ, deficere permittas, cum in sola spe luminis tui hoc opus te vocante inchoavi.

(32) Finitis itaque mandatis, quibus filios instruebat Jacob, collegit pedes suos super lectulum et obiit, appositusque est ad populum suum. Observavi, Domine, per gratiam tuam et ex contextu confirmatus sum Jacob primo figuram electorum veteris et novi testamenti fuisse, sæpe Christum qua caput Ecclesiæ, sæpe corpus Ecclesiæ designasse, sed præcipue a quo e domo patris sui ad Laban peregrinatus est et visionem scalæ in somniis vidit, et demum in generationibus Lia eventus veteris legis, in generationibus autem Rachel veritates novi testamenti et spiritualis generationis repræsentavit et figuravit Joseph in qualitate primogeniti Rachel, Christum tamquam primogenitum inter fratres legis novæ designavit, et hæc est ratio, cur in terra Canaan sub nomine suo filiis ejus pars non fuit data. Ipsa enim terra Canaan cum figura fuerit terræ viventium, quæ hereditas est Christi in qualitate primogeniti filiorum Dei novæ legis, nec figuram ejus oportuit habere in figura seu in terra Canaan. Sed posteaquam Ægyptum salvasset, patrem et fratres conservasset, in hoc repræsentavit Christum Ecclesiam, corpus suum et fratres suos in peregrinationibus eorum super terram regentem, alentem et conservantem absque ulla temporali dominatione visibili super terram aut partæ hereditatis super illam. Sicut enim Pharaon omnem Ægyptum tradidit Joseph, ita, ut absque nutu ejus nemo nec pedem, nec manum moveret, ita longe perfectius, tu, Pater æterne, subjecisti Ecclesiam et totum mundum dominatiui Filii, cui data est a te omnis potestas in cælo et in terra. Ille alit, ille conservat, ille regit et ille Patri subjicit omnia. Huic igitur regi sæculorum immortali semper laus, honor et gloria in sæcula sæculorum. Amen!

Nulli<sup>a</sup> pietatis operi defuit Joseph erga patrem suum defunctum. (1) Ruit proinde super illum et flens deosculatus est illum (2) præcepitque servis suis medicis, ut aromatibus condirent patris corpus, cuius obitum septuaginta diebus luxit Ægyptus<sup>b</sup> et ipso Pharaone consentiente cum magno comitat duxit Joseph corpus [131:] patris, ut sepeliret in spelunca duplice in terra Canaan. Hæc fuerunt opera tua, Deus, magna nimis, ex quibus ego agnosco magnalia, quomodo corda hominum sunt in potestate tua et tu regis ac flectis illa secundum finem consiliorum tuorum. Puer Hebræus Joseph ex captivitate thronum concendit inter gentes, quibus odio erant Hebræi nec manducare dignabantur cum ipsis; cum tanta auctoritate regit Ægyptum, patrem ac

<sup>a</sup> In ms. initium capituli

<sup>b</sup> Correxi ex *comitati*

fratres recipit, qui tamquam pastores ovium omnibus exosi fuerant. (7) Et hunc senem pastorem mortuum luget universa Ægyptus omnesque senes domus Pharaonis comitantur corpus (9) habuitque currus et equites in comitatu et sic honoratur, o Deus, quem tu vis honorari. Hæc sunt opera invisibilium manuum tuarum, quæ omnia ducunt, regunt et disponunt in bonum electorum tuorum et horum exemplum est Joseph. Omnis Ægyptus habet illum pro salvatore suo ac patre, soli fratres ejus diffidunt in eo.

(15) Et sic appareret, quod jam dixisse memini, quod ex instinctu legis naturæ, postquam fecissent eum Joseph, quod sibi fieri noluissent, timuerunt, ne faciat cum illis, quod illi fecissent aliis, puniendo. (16. 17) Hinc nescio, num quod dicunt patrem illis mandasse, ut Joseph nomine suo dicant, confictum ab illis non fuerit, cum ex hac historia non appareat scivisse patrem traditionem ipsorum cum Joseph patratam. Quodsi enim in contextu prophetiæ illis edictæ crimina illorum facta enumeravit, quomodo hujus oblitus fuisse? Aut si filii sui patrem hoc crimen scire putassent, quomodo morientem non rogassent, ut quod illis dicendum commisit, cum majori efficacia ipsem Joseph, qui semper vere Christiana charitate repletus ait: (19) Nolite timere, (20) num Dei possumus resistere voluntati? Vos cogitatis de me malum, sed Deus convertit in bonum, ut exaltaret me, sicut in præsentiarum cernitis, ut salvos faceret multos populos.

Ecce, enucleata veritas et compendium totius hujus historiæ! Ecce, ratio, cur homo homini irasci, malum pro malo rependere non possit, quodsi omne bonum et temporale malum ex dispositione Dei evenire credit! O salutaris quæstio: Num Dei possumus resistere voluntati? Tu sis consolatio mea in diebus peregrinationis et exilii super terram. Non, non, Domine, voluntati tuæ absolutæ nec resistere possum nec volo, quamvis in certo sensu voluntati tuæ omni die et quasi omni momento contrarier. Tu vis enim, ut bonum agam, quia hoc mihi præcipis, ego autem quotiescumque pecco, ab hac voluntate tua alienum facio. Sed, o Deus, non de hac voluntate tua hæc intelligenda sunt, quæ Joseph dicit, sed de illa adoranda mihi suprema voluntate, quæ decreta æterna concernit, non quod duæ in te sint voluntates, sed quod dupli modo velis, nec tamen umquam liberam hominum voluntatem tollis, [132:] sed jam trahis, jam compellis, semper tamen suaviter aut juste agis in finem consiliorum tuorum. Sic et in hoc exemplo fratres Joseph voluerunt malum de illo, sed tu, Deus, illud convertisti in bonum, et quidem in bonum et Joseph et fratribus, qui malum volebant. Quis tamen dicet aliquid violenter, dure, coactive in his factum fuisse? Cogitare quidem malum hominum naturæ proprium fuit, convertere malum in bonum misericordiæ tuæ, Deus, effectus fuit.

Videntur hæc duæ voluntates, hominum et tua, Domine, contrariari sibi, cum tu volitus malum in bonum convertis, uniuntur tamen, siquidem et nolleitas hominum concurrit et in voluntatem tuam, Deus, cooperatur in finem, in quem tu dirigis. Vidisti in cordibus fratribus Joseph illos malum velle, et permisisti. Egerunt itaque libere, hoc malum tamen ita disposuisti, ut illum venderent in Ægyptum, et sic perfecit tua misericordia opus suum circa eum. Demonstras mihi, Domine, hanc veritatem in hac historia Joseph, sed in me ipso, qui hæc scribo, per gratiam tuam sensibilem reddidisti. Voluerunt enim et de me malum homines, et adhuc me persequuntur. Tua misericordia tamen hoc malum convertit in bonum, dum me in agnitionem tui et mei deducens posuit pedes meos in vias mandatorum tuorum. Absit igitur a me, ut illis malum velim aut ultionem conservem in corde meo. Parce proinde illis,

Domine, et miserere mei! Fac me currere in viis, quas docuisti me, et da gratiam, ut possim semper magis et magis uniri tecum et recedere a memet ipso!

Ecce,<sup>a</sup> Domine, te misericorditer adjuvante de historia hac genesis mundi meditari absolvi, et in illa genesis spiritualis figuræ miro ordine non tantum repræsentare dignatus es mihi, sed veritates tuas reddidisti sensibiles. Parce, Domine, parce ignorantiae meæ, si in his mea immiscere contigit; tu vides enim illa non ex sciolitate aut curiositate provenisse, sed tenebrarum mearum effectum fuisse. Gratiæ tuæ attribuo omne bonum, infirmitati porro meæ, quidquid a veritate tua alienum est. Revela, quæso, mihi illa, ut expungam e scriptis et ex corde meo! Agnosco, Domine, in omni humilitate me esse indignum his, quæ peto, sed hoc quoque vides, quod non desiderem propter me, sed propter gloriam tuam, cui numquam tantum præstare possum, quin plus præstare posse petam, cum hic sit finis, in quem me ex nihilo eduxit bonitas tua. Fac igitur, o summum bonum meum, ut ego veritatibus tuis in corde impressis cogitatione, verbo et omni meo opere<sup>1</sup> præstem tibi semper omnia, quæ debeo, in mensura supremæ voluntatis tuæ! Vis, Domine, ut ego laudem et amorem te, et hoc quoque velle dedisti mihi; tuum est, et erit dare posse hæc præstare, cum ego pauper et egenus ex me nihil habeam, nisi ignorantiam et tenebras. Duc, rege, adjuva me, ut sit charitas tua in me nunc et in æternum! Amen!

<sup>a</sup> In ms. initium capituli

<sup>1</sup> Cf. formulam confessionis missae

[1:] MEDITATIONUM DEO ADJUVANTE INCHOATARUM  
IN RODOSTO DIE 14. MARTII, ANNO 1721. CONTINUATIO  
PER FORMAM SOLILOQUIORUM SUPER EXODUM

SUPER CAPUT I.

Contemplare, o anima mea, mirabilia Dei, Creatoris tui, et in humilitate ac agnitione paupertatis tuæ audi vocem ejus! Quam magna, quam excelsa fuere, o Deus infinite misericors, quæ ex misericordia tua meditanda exhibuisti in libro verbi tui, qui Genesis vocatur! Et vere mysteria generationis spiritualis electorum tuorum in figuris repræsentari<sup>a</sup> te adjuvante repperi. Succedit illi Exodus seu historia exitus populi tui ex captivitate Ægyptiaca, qui in femore Jacob Ægyptum intravit, et per virtutem brachii tui eductus est. In pluribus versibus postremorum capitum Genesis connotaverat Scriptura animas ex femore Jacob egressas et cum illo Ægyptum ingressas 70 fuisse, et hic denuo narrationem historiæ ab hac repetitione inchoat (1. 2. 3. 4. 5), ut in paucitate hujus numeri tuam in multiplicando hoc populo potentiam et in eliberando fortitudinem admirer.

Multa mihi vel in [2:] limine hujus historiæ repræsentantur, quæ per se et in se veritates sunt historice relatæ. Multæ figuræ sunt eliberationem generis humani ex captivitate Dæmonis concernentes, nec tamen verbum est, quod non demonstret immensitatem sapientiæ et providentiæ tuæ, quæ hæc ordinavit et ordinatorum eventus tam miro ordine contexuit, ut continuum incitamentum suppedident hæc in Spiritu tuo meditantibus te admirandi, adorandi et diligendi.

Divinæ providentiæ tuæ effectus fuit, quod filii Israël creverint (7) et quasi germinantes multiplicati sint ac roborati nimis impleverint terram. Humanæ prudentiæ dictamen suggestit Pharaoni (8. 9. 10) metum periculi, ex cuius prævisione populum affligere voluit, ne multiplicaretur. Hic repræsentatur mihi status hominis in captivitate Diaboli existentis, qui ne spiritualiter germinet, in exstruendis urbibus et operibus luti et lateris (11. 14) occupatur. Fictilia sunt enim, quæ tractat, terrena, quæ quærit, lutea et transitoria, quæ exstruit. Hæc tamen occupatio, quæ populo tuo dura servitus et intolerabilis labor apparebat, homini mundano jucunda delectabilisque videtur, et hæc est differentia inter populum tuum et filios mundi.

Hæc tamen reflexio sensum spiritualem exhibere potest, non tamen figuram exhibet veritati in omnibus circumstantiis applicabilem. Ex contextu enim historiæ in modo, quo populum tuum servituti subjicis et in tantis laboribus et afflictionibus constitutum multiplicas et germinare facis, mirus ille providentiæ tuæ conductus manifestatur, per quem exaltandos sæpe deprimis ac servitute affligis, ut ad te recurrent et eliberationem suam tibi soli deberi agnoscant.

<sup>a</sup> Correxit ex *repræsentare*

Assuetus erat peregrinationi suæ populus, et Ægyptum pro patria sua reputasset, nec vocem tuam auscultasset, si Pharao illum novis servitutis oneribus non afflixisset. Permisisti igitur humanam prudentiam regis agere in populum in illis, quæ servitutem ejus respiciunt, sed limitem imponis illi ac refrenas illam in illis, quæ multiplicationem ejus concernebant, nec permittis, ut obstetrices in impedimento hujus contribuant. Et ecce, timor tuus operatur in illis (17), ne faciant juxta præceptum regis Ægypti. Nimis pronus esset humanus [3:] spiritus (19)<sup>a</sup> ex exemplo harum obstetricum concludere officiosa et ad utilitatem proximi tendentia mendacia licita esse, ut quis charitatem exerceat. Sed quis est, qui ex consideratione simplicis legis naturæ, sub qua illæ vixerant, condemnabit illas, quod id fecerint, quod sibi præstari voluissent ab aliis? Ignota fuit illis Christianæ legis perfectio, quæ tuam, Deus, veritatem et omnia, quæ illi opponuntur, peccaminosa esse demonstravit, et charitatem tuam in cordibus hominum diffudit.<sup>1</sup> Quomodo ergo justitia tua condemnare potuisset illas, quæ malum, quod ignoraverant, patrando bonum populo tuo, quod volebas, procurarunt? Nec tamen benefecisti <eis><sup>b</sup> illis ideo, quod mentitæ sunt, sed quia te timuerunt (21).

Hæc fuere opera timoris tui et providentiae tuæ in conservando populo, sed humana regis prudentia ad aliud recurrit medium, ut minuat numerum ejus. Ecce, jubetur populo Ægypti, ut quidquid inter Hebræos masculini sexus natum fuerit, in flumen projiciatur (22). Et hoc barbarum et in innocentes sæviens decretum adhuc magis demonstrabit mirabilia consiliorum tuorum, quæ confundere solent insipientem hominum sapientiam.

Da igitur, Domine, ut ego magnalia tua considerans amem<sup>c</sup> te, quia Deus es, et noscam me insipientiamque meam, dum aliquid volo aut amo, quod tu non es!

## SUPER CAPUT 2.

Quam triste spectaculum exhibetur mihi, Domine! Quam funestum servitutis et afflictionis exemplum video in filia Israel, stirpis Levi, (2) quæ enixum puerum suum elegantem esse videns tribus mensibus absconditum (3) cum jam celare non posset, fiscellæ scirpeæ impositum exponit in carecto ripæ fluminis. Dicamne hanc matrem inhumanañ fuisse ac propemodum infanticidam, quod ex metu persecutionis, quæ quodammodo incerta aut saltem necdum proxima videbatur, puerum tam manifesto periculo exposuerit? Num quid melius fuisse extreum exspectare momentum et potius persecutoribus Ægyptiis vi auferendum conservare, quam ipsa lege naturæ posthabita feris, piscibus ac ipsismet aquis mergendum committere?

Hæc sunt enim, quæ mihi dictaret obiter considerata hæc historia, quæ multorum prodigiorum providentiae tuæ exordium est. Sileant igitur vani et inutiles humani ingenii abortus, quos ipsa sana prudentia condemnat. Omnia hic acta tua disponente providentia ordinata curæ maternæ conformia [4:] sunt. Quodsi enim mater extreum periculum exspectasset, ab Ægyptiis raptus fuisse infans, quomodo periculum

<sup>a</sup> Correxit ex 7

<sup>b</sup> Delevit

<sup>c</sup> Corrixi ex amen

<sup>1</sup> Cf. Rom. 5,5.

evasisset? Saniori ergo consilio usa fuit mater infantem fiscellæ pice et bitumine illinitæ inclusum in carecto ripæ exponens providentiaë tuæ committendo, quam si in manus hominum incidisset. Speravit igitur procul dubio in te, Deus, sed nec illa, qua dictante sana prudentia facere debuit, omisit. Non fiscellam flumini rapiendam injecit, sed in carecto ripæ potius abscondit, sororem pro custodia misit, fors ut noctis tenebris ingruentibus infantem in securiore locum translatum mater lactare potuisset.

Hæc fuere sanæ rationis dictamina, quæ fieri oportuit, ut homo hæc legens videat longe mirabiliorem providentiaë tuæ ordinationem, quam si ita dispositum fuisse, ut puer in domo matris occultatus, conservatus, sed nec quæsitus permansisset. Voluisti hunc infantem conservatum ab ipsa matre absque periculo lactari, a filia regis et inimici populi educari ac omnibus scientiis Ægypti imbui, adoptari, ut ex his major tibi gloria tribueretur et eo evidentius paterent mirabilia tua, in quibus sperare et se illis committere doceretur homo. Demonstraveras hominibus potentiam tuam per prodigia diluvii, pœnæ Sodomorum et cetera ab origine mundi patrata, sed neclum homini potestatem tribueras miracula faciendi. Hic puer mirabilibus modis conservandus fuerat, qui primus miracula patrare debuit, ut hominem per hominem Deum ex servitute peccati eductum iri præfiguraretur. Itaque in hac consideratione non verebor dicere Moysen populum ex captivitate edacentem ac primum legislatorem figuram Christi fuisse.

De cetero consonum vix videtur, ut quis fuisse hominum, qui adæquate in omnibus hunc Hominem Deum præfigurare potuisset, sed nec Moyses ante missionem suam figura fuit. Hinc totum hoc caput historiam continere et mihi solummodo iniram providentiaë tuæ, Deus, ordinationem considerandam exponere, nescio, num cæcitate mea naturali ita dictante, num re vere sic existente proferam? A te, Domine, credam fuisse zelum Moysis, (11) qui fratrem ab Ægyptio afflictum vindicavit. Tyrannis enim fuerat, non ordinatum gubernium Ægyptiorum in Hebræos, sed nec ipse Ægyptius in hoc eventu videtur fuisse potestatem habens in Hebræum, quem afflxit, sed pro inimico reputari potuit. Justa judicia tua fuere, Domine, quæ condemnarunt Ægyptios, prout ceteros populos, quos exterminare jussisti populo tuo. In Ægyptios porro pro ostendenda virtute tua directe egisti, in ceteros autem populum tuum assumpsisti in instrumentum justitiæ tuæ. Hic porro Moysen ministrum justitiæ tuæ constituisti, ut percuteret [5:] Ægyptium Hebræum injuste affligentem, ut sic et respectu Ægyptii et respectu Moysis, quem peregrinari facere voluisti, satisficeret semper justæ ordinationi tuæ.

Sed et peregrinationem apparet ex consequenti necessariam fuisse Moysi. Quodsi enim in Ægypto remansisset, cum a filia Pharaonis adoptatus fuit, et semper in aula regis remanere debuisset in omnibus periculis idolatriæ Ægyptiorum expositus, vel si nolente rege inter fratres rediisset, periculum vitæ quomodo evasisset? Non per hoc diffitebor te illum in hoc et in altero statu conservare potuisse, sed propter finem consiliorum tuorum ex consequenti convenientius hæc egisse videtur, prout acta sunt. 40 annorum fuit peregrinatio Moysis in terra Madian, quam Scriptura in hoc loco tam breviter memorat. Interea populus tuus affligebaru nimis, sed non nisi post multum temporis ingemiscentes filii Israel propter opera vociferati sunt (23). Et tu, Deus misericors, audivisti gemitum illorum, (24) ac recordatus es fœderis, quod pepigisti cum patribus eorum, et respexit filios Israel et cognovisti illos (25).

O Deus, quam energicæ sunt hæc expressiones operum misericordiæ tuæ! 1<sup>o</sup> audisti illorum gemitum, 2<sup>o</sup> recordatus es fœderis tui, 3<sup>o</sup> respexisti filios Israel, 4<sup>o</sup> cognovisti illos. Scio, o Domine, te docente non hæc successive acta fuisse in te, in quo omnia sunt et fuerunt præsentia, sed hæc pro instructione nostra ita exprimi voluisti, ut sint proportionata debilitati intellectus nostri. Ab æterno statueras, ut hæc omnia fiant, et ideo permisisti Pharaoni affligere, ut clament. Ideo continua est afflictio, ut perseveret gemitus, et ideo clamor et gemitus, ut audias, recorderis, respicias et cognoscas; ut, inquam audias ex misericordia, recorderis ex justitia, propter te respicias et cognoscas, ut manifestetur bonitas tua et fidelitas in promissionibus tuis. Ex his patet esse afflictiones tuas ad salutem. Populus enim tuus diuturnitati servitutis assuetus se in patria esse credidit, nec sortem suam propter te, (cujus oblitus fuerat), patiebatur, sed ex consuetudine. Hinc immisisti novam afflictionem, ut tui recordatus recorderis ejus propter pactum tuum.

Durior est petra homo, qui hæc considerans non rapitur in amorem tantæ bonitatis tuæ. Dignum est te, Deo, ut omnia facias propter te, nihil tamen facis pro te, quod utile non sit pro creatura, et in hoc appareat immensitas bonitatis tuæ. Hinc juste exigis, ut ego amem te, cum hoc ipsum, quod facis propter te, ita disposuisti, ut sit in utile meum, cum unitus fuero tecum diligendo te. Sed numquid petero te diligere sine te? Non profecto, et hæc est felicitas mea. Si enim possem te diligere sine te, dilectio mea non me uniret tibi, sed nec dilectio mea esset digna te. Hinc est, quod siquidem te [6:] diligere non possum sine te, tu te diligis in me, et cum hoc facis propter te, dilectionis fructus et merces redundat et in me, cum nec tu agis per me sine me. Sed quæ est merces dilectionis hujus? Tumet ipse, Domine, quo merces major non est, quia tumet ipse, Deus, te majorem mercedem dare non<sup>a</sup> potes. In hoc consistit beatitudo mea, hæc est charitas illa, quæ essentia tua est, hæc est unio hominis tecum, quæ perfecta dari nequit in hac misera vita, quia semper est in homine heterogeneum, quod tecum uniri non potest.

Quid ergo possum aliud in agnitione miseræ condicionis meæ, nisi quod fecit populus tuus? Gemere et clamare ad te, sed nec hæc erunt mea, sed tua dona in me. Fac igitur, ut ego per te et tu in me per me gemens<sup>b</sup> tu recorderis promissionis tuæ et cognoscas me!

### SUPER CAPUT 3.

O Domine, ecce, incomprehensibile mysterium vere incomprehensibili repræsentatur figura. Quomodo eloquar magnalia tua, quæ vere incomprehensibiliter repræsentas mihi in Scriptura? Humiliasti Moysen ex filio adoptivo filiae regis Ægypti. Ecce, minat gregem saceri sui et hæc humiliatio primus gradus est exaltationis ejus (1). Quo vadit humiliatus, antequam inchoet opus tuum? In desertum. Ecce, inchoat opus eductionis populi ex captivitate, quod fuit figura eductionis generis humani ex captivitate Diaboli.

<sup>a</sup> Supplevit *non* supra lineam

<sup>b</sup> Nota structuram

Da mihi, Domine, ut attentæ et attonitæ stent coram te omnes potentiaæ animæ meæ! Fac, ut exeant in solitudinem, ut nonnisi tu loquaris mihi! Nihil enim mihi repræsentatur, quod non mysterium est. Exhibuit mihi Genesis te sæpe locutum fuisse hominibus, apparuisse Abrahamo in visionibus intellectualibus, semel autem in flamma ignis transeunte per medium victimarum separatarum, cum pepigisses pactum cum eo. Nec inquirō, quomodo hæc acta fuerint, et quomodo te loqui aut visibiliter homini ipse apparere potueris tu, qui invisibilis es. Hæc enim, quia incomprehensibilia sunt, nec enarrari possunt.

Dicit Scriptura: (2) Apparuitque ei (Moysi) Dominus in flamma ignis de medio rubi, et videbat, quod rubus arderet, et non combureretur. Hæc tamen omnia facta fuisse per ministerium angeli eadem Scriptura tua revelat Act. 4. v. 30. 35. Unde agnosco has esse inenarrabiles et incomprehensibiles veritates, quæ fidem, non captum, adorationem, non explicationem requirunt a me. Quia tamen voluisti, ut scripta tradantur hominibus, procul dubio vis, ut inserviant nutrimento fidei meæ et sint objecta meditationis quærentium te. Propterea non quæram, quomodo hæc facta sint, [7:] sed quomodo hæc me ducant ad Christum, Filium tuum Redemptorem meum, de quo scripsit hæc Moyses et Prophetæ, ut per ipsum possim pervenire ad te, Pater cælestis.

Bonitas tua, Domine, revelavit mihi in contemplatione Genesis in Enos apparuisse figuram exaltationis naturæ humanæ, in scala Jacob revelatum fuisse mysterium incarnationis seu per contiguitatem scalæ unionem terrestrium et cælestium, sed hic longe majora aguntur mysteria et longe mirabiliores repræsentantur figuræ. Decreveristi enim educere populum ex captivitate per virtutem dexteræ tuae in brachio forti, sed per virtutem homini communicatam, et hoc fecisti per Moysen visibiliter, sensibiliiter et realiter, sed ipsa hæc realitas et sensibilis veritas figura fuit veritatis, quam respiciebant omnia opera tua, quæ apparere et manifestari debuerunt in Christo, Filio tuo Homine, in quo et cui unita fuit divinitas corporaliter, et procul dubio hanc veritatem repræsentat mihi flamma ignis in medio rubi.

Contraria sunt, quæ in se agunt, homogenea sunt, quæ in se convertuntur, et sic se habet ignis respectu rubi naturaliter consideratus. Nequit applicari lignum igni, quin ignis agat in illud, et in hoc sensu videntur contraria, lignum tamen transmutatur in ignem, et in hoc sunt homogenea; et si ausim dicere, sic se habet natura humana respectu naturæ divinæ. Contraria est humana natura naturæ divinae respectu corporeitatis, est tamen imago Dei respectu spiritualitatis. Hinc secundum conceptum nostrum unio non potuisset fieri nisi destructa corporeitate et transmutata spiritualitate in divinitatem, prout lignum nequit uniri naturaliter cum igne, nisi destructa ligneitate. Quia tamen hæc unio naturæ divinæ cum humana per virtutem omnipotentiaæ tuæ supernaturaliter ita decreta<sup>a</sup> fuit, ut natura humana integra permanente uniretur illi divinitas, nullo sensibiliori modo hoc mysterium figurari potuit, quam per rubum ardenter et tamen non combustum ita, ut flamma ignis esset in rubo et rubus in igne, nec tamen rubus converteretur in ignem tamquam naturam spiritualem. Et ex hoc rubo loquebatur Deus per ministerium angeli, sicut in Christo Deus agebat per humanitatem supernaturalia.

Absit, o Domine, his, quæ refero, me contraria velle sensui communii Ecclesiæ, quæ Spiritu tuo animata rubum hunc, quem viderat Moyses incombustum, conser-

<sup>a</sup> Delevit -m

vatam laudabilem virginitatem Dei Genitricis significasse agnovit. Explicatio enim, quam protuli, concernens unionem naturæ divinæ cum humana natura, non obest, quin incombustibilitas rubi etiam conservationem virginitatis figurare possit, quam ego cum omni debito respectu agnoscens in his quoque, quæ mihi revelare dignaris, te laudare et magnalia tua exaltare intendo.

(3) Ibat igitur Moyses ad videndam hanc visionem magnam, [8:] sed cum cerneret, Domine, quod pergeret ad videndum (4), vocasti eum de medio rubi et jussisti, ne appropiet solvatque calceamenta de pedibus suis, cum locus, in quo stabat, terra sancta fuerit (5). In omnibus, quæ hic Moyses egit, (et in subsequentibus locutum fuisse video), repræsentatur mihi character vere hominis rudit et multum simplicis, et quamvis omnibus scientiis Ægypti excultus fuerit, ecce, absque omni digna attentione et reflexione vadit ad videndam visionem hanc magnam, fors ideo, ut repræsentet eam esse naturæ humanae condicionem, ut maxima portenta quoque tua, Domine, inconsiderate et incredule respiciat, nisi tu eum reddas attentum et alloquaris illum, ad ipsam præsentiam tuam insensibilis est. Jubes, ut calceamenta solvat, fors, ut agnoscamus velle te, ut dum nos in conspectum tuum sistimus, intrinsecæ adorationis extrinsecam quoque corporis adorationem jungamus.

Sed vere balbutio ego, Domine, hæc proferens, nec hac ratione sator. Multo tamen enim in subsequentibus video Moysen in præsentia tua, nec tamen repetiisti illi hoc mandatum, sed nec illum solvisse calceamenta reperiam. Cur autem terra illa, in qua stabat, sanctior fuerit tabernaculo tuo, penitus ignoro. Sed quia non meum est velle plus sapere, quam tu me dignaris docere, in silentio adorabo mysteria tua, donec tu dignaberis de illis erudire me. Hoc solum agnosco hinc esse super terram loca, in quibus te particularius dignaris manifestare, quamvis ubique velis et possis adorari.

Quam primum dicis, Domine, ad Moysen: Ego sum (6) Deus Patris tui, Deus Abraham, Deus Isaac, Deus Jacob, statim confusa coram Creatore creatura cooperit faciem suam agnoscens indignitatem suam, ut respiciat visionem, ad quam antea ab inconsiderata curiositate ducebatur. Dicis, Domine, Moysi te esse Deum Patris sui, sed quia subjungis, Deus Abraham, Deus Isaac et Deus Jacob, non mihi imaginor Amram patrem Moysis te intellexisse, sed hos, quos nominas; et in hac loquela tua expressum Trinitatis tuæ mysterium adoro. Prout enim respectu paternitatis in Abraham, Isaac et Jacob unum habuit patrem Moyses, ita respectu deitatis unus est Deus Abraham, Deus Isaac et Deus Jacob, quamvis ter repetitum nomen Dei, personarum divinitatis realem distinctionem mysteriose designet.

Sed ut hæc manifestatio futuræ incarnationis in suo incomprehensibili hic repræsentato mysterio (non figura) clarior sit, ecce, dicis, Domine: (8) Sciens dolorem ejus (scilicet populi) descendit, ut liberem eum. Absit, Domine, ut dicam hæc in sensu litterali non posse intelligi ad populum ex Ægypto liberandum, ipsernet enim subjungis descendisse, ut liberes eum de manibus Ægyptiorum et educas eum etc. Sed cum in illis, quæ hic acta sunt, per Moysen egeris, non puto ita restringi debere [9:] hunc sensum, quin se manifestius<sup>a</sup> extendat ad incarnationis mysterium, ubi et Deus descendit, et in eliberatione generis humani omnia per hominem longe perfectiori modo egit, quam in eliberatione populi Israel per Moysen. Et ut hæc clarius

<sup>a</sup> Correxit ex *manifestus*

pateant, ecce, tumet ipse dicens ad eum: (10) Sed veni et mittam te ad Pharaonem, ut educas populum meum, filios Israel.

Scio, o Domine, non te his verbis tuis præcedentibus contrariari; absit hæc blasphemia a mente mea. Quæ enim per Moysen fecisti, vere tu fecisti, sed pro illis agendis non oportuit descendere Deum, prout ex ratione æterni decreti Deum Filium pro eliberando humano genere descendere oportuit. Hic ergo descensus Dei secundum descensum Dei per incarnationem, missio Moysis missionem hominis significabat.

Cetera, quæ hæc sequuntur, non incarnationis mysterium respiciunt, sed manifestationem, prout dictum est, obscuram Trinitatis Sanctissimæ, claram autem et vere divine appropriatam definitionem divinitatis. Vere enim tu solus es, Domine, qui es, cum omnia esse suum a te participant, nec sunt, nisi in quantum a te sunt. Hæc tuam manifestant immensitatem (ines enim omnibus), hæc tuam declarant charitatem, per quam cum insis omnibus, te amas in omnibus et omnia amas propter te. Hæc, inquam, definitio: Ego sum, tuam ostendit simplicitatem, nihil enim es præter id, quod es, et quod huic subjungitur: Qui sum, est ipsamet veritas. Hinc quidquid verum est, homogeneum tibi in ratione veritatis, quidquid contrarium autem vero, opponitur tibi tamquam heterogeneum veritati. Ex omnibus creaturis tuis angelus se opposuit veritati tuæ volens esse, quod es, non contentus esse a te. Homo autem recesserat a te per prævaricationem præcepti, et ideo ille condemnatus in æternum propter suam oppositionem manebit semper contrarius veritati tuæ, et in hac ratione est æternum objectum justitiae tuæ. Homo porro, qui recesserat per sensualitatem, reductus est ad gratiam. Ego sum: hæc adoranda verba itaque manifestant tuam simplicitatem, quæ est principium in deitate, et hæc simplicitas, quia est, vera est, seu existens ab æterno genuit veritatem.

Et hæc simplex veritas amat se mutue per charitatem ita, ut et simplicitas a veritate et veritas a charitate formaliter distincta sint. Et hæc est generatio æterna et processus ab æterno. Propterea in hac prima manifestatione simplicitatis Dei dicitur Ego sum, qui sum. In manifestatione sua dicit Filius: Ego sum via, veritas et vita,<sup>1</sup> nam quidquid ad Deum accedit, per veritatem accedit: ecce, via; quidquid existit, per veritatem esse accepit; ecce, veritas; quidquid vivit, per veritatem [10:] vivit, quia esse retinet: ecce, vita. Amat esse suum simplicitas in veritate, amat se veritas in simplicitate et hic amor mutuus a simplicitate et veritate ab æterno existente ab æterno procedens Sanctus Spiritus est. Producit se ad extra ad omnia, quæ sunt in veritate seu quæ existunt per veritatem. Participant enim esse a simplicitate per veritatem, et ideo dicit apostolus: Deus caritas est.<sup>2</sup>

Hinc sequitur secundam personam adorandæ Trinitatis tuæ Filium seu veritatem incarnari debuisse, ut reducat hominem. Via est enim et vita, prout supra dictum est. Sed charitas diffusa est per Spiritum Sanctum in cordibus nostris,<sup>3</sup> qui se communicavit nobis, postquam reducti sumus per veritatem seu Filium ad Patrem, a quo omnia per Filium creata in Filio seu veritate conservantur et per

<sup>1</sup> Cf. Ioan. 14,6.

<sup>2</sup> Deus.... 1 Ioan. 4,8.

<sup>3</sup> Cf. Rom. 5,5.

Spiritum Sanctum seu charitatem uniuntur et ad suum esse reducta in simplicitate manebunt in Patre. Per Filium cum Spiritu Sancto seu, ut repetam, in simplicitate veritatis amabunt se.

O adorandum verbum: Ego sum, qui sum, quod eras in principio et fuisti apud Deum, et Deus erat hoc verbum!<sup>1</sup> Nequivisti enim esse, quin sis veritas, hinc fuisti apud Deum, sed quia ab æterno fuisti, Deus fuisti. Jam porro dixi, quomodo omnia per te facta sunt. Hoc nomen: Ego sum, qui sum, est tibi in æternum et memoriale tuum (Deus Abraham, Deus Isaac et Deus Jacob) in generationem et generationem (15). Posteaquam enim adorandum hoc mysterium manifestatum est, te Deum Patrem, Deum Filium, Deum Spiritum Sanctum nominari præcepisti.

O Deus, quam clara sunt mihi omnia hoc iterum iterumque adorando Verbo manifestante, quæ contra divinitatem Filii detorquentur in Scripturis, in quibus dicit: Pater major est Filio!<sup>2</sup> Vere enim esse majus est, quam veritas in denominatione, sed non jure. Nec enim est, quod non in veritate subsistit, sed nec in veritate subsistere potest, quod non est. Hinc quod est, quia ab æterno est, ab æterno veritatem continet, et illam ab æterno generatam in principio genuit. Sed quomodo genuit? Dum esse suum per veritatem, in veritate creatis et ex nihilo eductis communicavit, et hæc est creata veritas. Hinc fides, quod Deus sit, hinc spes, quia vere est, hinc charitas, quia est veritas. Et quia nihil præter Deum per se est, ideo in omnibus Deus amandus est, quia omnibus Deus inest.

Ex his considerationibus eluescit, cur veritas jam Sapientia Patris, jam Verbum, per quod creavit omnia, appelletur. Sapientiae enim origo et fundamentum est veritas, ipsumque verbum veritas est. Nam prout dictum est, Deus omnia communicando veritatem creavit, cum creatis esse dedit.

Absit a me, Domine, ut his aliquid novi, quod nequid revelatum est, proferre vellem. Tu tamen es, qui revelata per has considerationes clariora reddere dignaris intellectui meo. Seu enim dixero, quod, Pater, ab æterno te cognovisti et per hanc cognitionem Filium generasti, seu dicam, quod siquidem es, quia in veritate, qui es, es, veritatem generasti, idem dico, sed Li<sup>a</sup> cognoscis inducit in intellectum meum instans, quod tua revelatio: Sum, qui sum [11:] illustrat et penitus excludit, numquam enim possum concipere, quod sis, quin in veritate sis. Quod enim est, in veritate est.

Sed, o Domine, in omni humilitate cordis mei dicam ego tibi cum Moyse: Quis sum ego, quod mentem meam taliter illuminare dignatus sis? Multa enim intelligere videor mihi, quæ in hoc adorando divinitatis mysterio hactenus in humili fide credidi, et ecce, nunc per convictionem clariorem veritatis quodammodo intrinsece sentio. Ama te igitur in me, et fac, ut in me te amans ego te per te diligam, ut sit tibi gloria ex me!

Posteaquam in præcitato versu (15), Quis sis et quod nomen tuum, Moysi edixisses, Domine, in quem finum eundum sit, illi edicis, et quid populo dicendum, doces (16. 17) prædicens illi scire te regem Ægypti populum non dimissurum (19), sed te Ægyptum in cunctis mirabilibus tuis percussurum (20), denique te populo gratiam daturum coram Ægyptiis, ne vacui exeant, nec illos potentibus quidpiam denegaturos (22). Justum est, Domine, ut tu jure Creatoris utaris in illos, quos justa tua

<sup>a</sup> *Li* ut „articulus”

<sup>1</sup> Cf. Ioan. 1,1.

<sup>2</sup> Cf. Ioan. 14,28.

condemnavere judicia, in quos mirabilia signa fortitudinis tuæ in salutem populi et demonstrandam omnipotentiam tuam exercere decreveras.

Adjuva me, quæso, ad contemplanda illa, ne in tam mirabilibus operibus tuis deficiam, sed charitate tua inflammatus rapiar in adorationem tuam Dei Creatoris et supremi boni mei!

#### SUPER CAPUT 4.

Quis est tam impius aut insipiens, qui non credit te potentem fuisse uno radio luminis tui ita illuminare mentem, confirmare cor fiduciamque Moysis, ut voluntate tua audita tot quæstionibus et quæsitis excusationibus sepositis promptus ivisset ad exsequendum mandatum tuum, sed procul dubio voluisti, Domine, ut seu debilitas seu pusillanimitas seu humilitas humana appareat in Moyse, qui prudentiæ suæ innixus suggestioni (1) dubitat, num fidem coram fratribus reperiet. Hinc primo ipsummet Moysen convincit bonitas tua miraculis, (2) in quorum aspectu ipsem horret et fugit (4) ad aspectum virgæ suæ in serpentem conversæ. Confirmas tamen cor ejus, et ad mandatum tuum caudam serpentis arripit, et in manu ejus rursum in virgam convertitur. Monstras illi, quod in virtute tua facere possit et debeat, instruis illum (5. 6. 7. 8. 9. 10), sed ille semper timidior (10) excusat se impedimento linguæ. Facis illum recordari, quis sis et quid possis, qui os hominis, cæcum, mutum et surdum formasti. (12) Perge, inquis, ego ero in ore tuo, et docebo te, quid loquaris. Ille tamen (13) obsecrat te, ut mittas, quem missurus es, eousque, ut te ipsi iratum fuisse (14) memoret Scriptura.

O Deus patiens et misericors, irasperis, sed non punis illum, qui non ex malitia, sed ex agnitione imbecillitatis suæ resistit tibi. Non potuit Moyses dubitare post miracula visa, sed nec dubitavit de potentia tua, [12:] sed omnibus illis visis siquidem exterius, non interius audivit vocem tuam, ne cum scivit humana ejus infirmitas confidere in te. Et ut hanc humani cordis debilitatem, quanta fuerit ante reparationem naturæ humanæ, eo magis agnosceremus, fors ideo voluisti manifestatam relinquere in exemplo hujus primi legislatoris, qui quamvis tot ac tanta portenta patraverit, tibi tam familiaris fidelisque fuerit, facies ejus resplenderit, tamen postremo per incredulitatem defecit et displicuit tibi. Abraham, Pater credentium ad solam vocem tuam contra spem speravit, Moyses ad tot reiterata mandata tua, ad ipsa miracula visa pusillanimisne an incertus ac fluctuans renitentia sua te ad iram provocat. Et quod longe mirabilius, ecce, promisisti illi te iturum cum illo, et se excusare voluit. Ecce, promittis Aaron, fratrem suum iturum cum illo (14) et ipsum locuturum pro illo ad populum. (18) Et vadit.

Unde hæc inter Abrahami fidem et Moysis debilitatem disparitas, nisi ut edoceamus gratuitam gratiam tuam fuisse, quæ firmavit fidem Abrahami, ut reputaretur in justitiam?<sup>1</sup> Sed in Moyse hic naturam humanam apparere debuisse, ut in infirmitate ejus appareat eo magis fortitudo brachii tui, et hic præfiguraretur te infirma mundi electurum, ut confundas sapientiam ejus.<sup>2</sup> Hic, inquam, figurat Moyses naturam

<sup>1</sup> Cf. Gen. 15,6.

<sup>2</sup> Cf. I Cor. 1,27.

debilem et per se omnibus his infirmitatibus subjectam, quæ assumenda erat ad operandam eliberationem generis humani, sed ut disparitas inter servum figurantem et Filium figuratum appareret, (17) Moysi virtus divinitatis quodammodo virgæ annexa data est in manus, ut repræsentaret virtutem divinitatis, quæ habitabit in Filio corporaliter.

Fuit igitur Moyses figura Christi respectu finis missionis suæ, ut autem in opere Christi duas naturas, divinam nempe et humanam acturam repræsentaretur, Moysi adjungitur Aaron; hic ut loquatur populo, sed Moyses ponebat verba Dei in os ejus (15). Aaron, inquam, naturam humanam figurans loquebatur pro Moyse ad populum, et erat os naturæ divinæ, natura autem hæc, prout Moyses erat in illis, quæ ad cælestem Patrem pertinebant. (17) Virga autem unionem repræsentavit harum naturarum. Hanc Moyses gestabat, fratri autem communicabat, et in ea uterque miracula et signa faciebat. Sed hanc representationem non ideo quis factam putet, ac si in Christo hæc unio aliquid distinctum fuisse a natura divina et humana et ideo particulariter figurari debuisse, sed ex ratione jam supra dicta, nimirum quoniam utrumque opus eliberationis populi ex generis humani virtutem divinam requisivit, sed hoc Filius, alterum servus, uterque homo perficere debuit, virtus divina in Filio naturæ humanæ unienda, ut in figura repræsentaretur, servo Moysi quodammodo virgæ annexa, in manus tradita est. Dicit enim Scriptura: Virgam quoque hanc sume in manu tua, in qua facturus es signa, sed quia hæc virga a Moyse gestata et Aaroni communicata quoque eandem virtutem habuit et aliunde duo fratres distinctas naturas figurarunt, ad hoc opus fuit in figura unionem naturarum figuratam per aliquid distinctum repræsentare, [13:] quod in virga præstitum est, ut sic virtutis operatio communis duobus hominibus hoc modo manifestaretur et Hominem Deum ex duabus naturis unum futurum hominem præfiguraretur et exprimeretur.

Abiit ergo Moyses ad sacerdotem, et dum illi secundo dixisses: (19) Vade et revertre in Ægyptum, non amplius se excusat, sed tollens uxorem filiosque suos (20) revertitur in Ægyptum obœditque tibi, Domine, quia locutus es ei ad cor.

Suavis est nimium hic tuus loquendi modus, Domine, et nimis dulce obœdire tibi. Procul dubio excusationes Moysis ex agnitione imbecillitatis suæ et ex humilitate provenerant, sed omnis humilitatis effectus obœdientia est. Tuum est, Domine, judicare, ad quid sit quis idoneus, et cum te affuturum promittis, diffidere est non obœdire tibi. Hæsito, Domine, nec scio, quid proferam de eo, quod mihi Scriptura repræsentat (24) occurrisse te Moysi et voluisse illum occidere, (25) tulisse Sephoram acutissimam petram et circumcidisse filium suum tetigisseque pedes, an Moysis, an pueri, ignoro (verbum enim ejus ad hunc et illum cadere potest), et dixisse: Sponsus sanguinis tu mihi es, (26) et dimisit eum, postquam dixerat: Sponsus sanguinum ob circumcisionem. Sed hinc non clare patet, num tu dimiseris Moysen, num Moysen uxor, cum illam cum filii suis, cum Jetro educto populo ad Moysen venisse in sequentibus referat Scriptura.

Mysteriosa videtur mihi hæc apparitio tua, sed et illud ignoro, unde Sephoræ ille instinctus, ut statim puerum circumcidat, sed Madianitæ Abrahami ex Cethura posteritas fors adhuc hunc usum conservabant. Sapiunt hæc figuram, sed, ecce, mutus et silens efficior, nisi bonitas tua indicaverit mihi, quid oporteat me referre. Possem dicere noluisse te, ut filius Moysis incircumcisus ascribatur numero populi tui, mortem te patri minatum fuisse, quia dixisti, quod homo, qui circumcisus non fuerit, eradicabitur anima ejus e numero populi, sed hoc statutum puerum, non autem pa-

trem ejus tangebat. In diversorio occurris, Domine, Moysi, et volebas occidere eum, nec tamen causam dicis, nec Moyses uxori, quid loquitur, sed illa illico tollit acutissimam petram, et circumcidit præputium filii sui.

O Domine, respice, quæso, infirmitatem meam, et jube me benedicere magnalia tua! Nullam hactenus observavi apparitionem tuam, quin mysteriosa fuerit. Propterea nec hanc carere aut simpliciter historicam esse imaginor, sed nec fallor, ecce enim, quodammodo per obscuras tenebras lumen facis me videre.

Sed redeundum est mihi ad jam dicta, et primo considerandum de novo Moysen missum hic esse ad eliberandum populum figuramque esse Dei Filii, qui a Patre mittendus erat ad eliberandum genus humanum et vocandas omnes gentes seu desponsandam hanc Ecclesiam gentium. Moyses peregrinus factus in Madian repræsentabit igitur mihi peregrinationem Christi super terram, et quia Madianitæ, quamvis gens fuit ex femore Abraham, ex Cethura (cujus nec originem nec statum, num libera aut ancilla fuerit, memorat Scriptura) cum nec promissiones semini [14:] ex Isaac factas ingressa fuerit, inter gentes reputatam fuisse reperio. Unde sequitur in matrimonio Moysis cum Sephora repræsentatam fuisse vocationem gentium, quarum desponsatio, quia in sanguine ab ipsismet gentibus effundendo decreta fuit, hic procul dubio mysteriose repræsentatur.

Primo missus est Christus ad domum Israel et cum illi prædicasset nec illa verbum receperisset, occurrit quodammodo ei justitia Patris, et volebat occidere eum, prout in hac figura repræsentatur fecisse Dominum Moysi. Et tunc Sephora seu gentiles effundentes sanguinem corporis humani desponsarunt Christum in sanguine, et dimiserunt<sup>a</sup> eum, prout Sephoram fecisse ex subsequentibus cognosco. Nec nisi completo omni opere redemptionis occurrerunt gentiles Christo, prout Sephora cum Jetro, patre suo occurrit Moysi, posteaquam populum ex captivitate eduxisset et quid ipsamet effusio sanguinis in circumcisione per Sephoram facta aliud denotat, quam futurum in sanguine Christi baptismum, cuius circumcisio indubitate figura fuit? Et hinc evidens et litteralis est sensus textus: (26) Sponsus es sanguinem ob circumcisionem, ac si Ecclesia gentilium diceret Christo: Sponsus es sanguinem ob baptismum.

Non quærar, Domine, alium sensum eventus in hoc capite Scripturæ mihi repræsentari, cum hic, quem, ecce, dignatus es demonstrare mihi, et ordini et rei convenit. Sit tibi, o Deus infinite misericors, laus ex ore meo, quod mihi per gratiæ tuæ auxilium pulsanti et quærenti hoc mysterium aperire dignatus fueris. O veritas, esca animæ,<sup>b</sup> quam dulcis es mihi super mel et favum!<sup>1</sup> Volum tuum seu cortex litteræ confundit intellectum hominis, sed cum Spiritus tuus illud removere dignatur, spiritus in spiritu, quem repperit, nimis *quam*<sup>c</sup> delectatur. Adjuva igitur me, Domine, ne deficiam, illumina me, ne diviem, conforta me, ut perseverem, et da mihi, quod placitum est tibi et convenit gloriæ tuæ!

<sup>a</sup> Correxit ex divisorunt

<sup>b</sup> anime sc. mee (cf. Ms. fr.: *de mon ame*)

<sup>c</sup> Delevit

<sup>1</sup> Cf. Ps. 18.11 sim.

Incipiunt Moyses et Aaron missionem suam et opus, ad <quod><sup>a</sup> misisti illos, Domine. (1) Annuntiant Pharaoni mandatum Domini Dei Israel, ut dimittat populum, sed ille surdus et ignorans Dominum interrogat: (2) Quis est Dominus, ut audiam vocem ejus et dimittam Israel? Nescio, inquit, Dominum, et Israel non dimittam. Hæc sunt primæ loquelæ cordis indurati regis, hoc est principium judiciorum tuorum, Domine, in reprobo, qui te ignorat, rejicit a facie sua Moy-sen et Aaron, (4) et ad opera sua jubet ire illos, et ecce, occasionem sumit, ut duplicatis laboribus aggravet populum (5. 6. 7. 8. 9), et sic graviorem in se provocat iram Dei Israel. Sic procedit cor peccato aggravatum, sic impletur mensura iniquitatis, a cuius pondere trahitur Pharao. Exeunt operum præfecti ad promulgandum regis mandatum, dispergitur per Ægyptum populus ad congregandas paleas, [15:] opprimitur labore, premitur fatigiis, nec ullam reperiit requiem corporibus et animabus suis. Vibrant flagella in illos præfecti operum (14), querelas suas regi exponunt (15), sed nullum malorum reperiunt remedium, quorum confirmationem ex ipso ore regio audiunt (17. 18). Querulantur de Moyse et Aaron, et te, Deum, qui miseras illos, appellant, ut judices, cur illos abominabiles reddiderint in oculis regis Ægypti (21).

Hæc sunt proprietates afflictionis in cordibus hominum, qui ignorant mirabilem conductum operum tuorum, Domine, nesciunt finem illorum. Non se tradunt, non se committunt tibi, et ideo nullam salutis reperientes spem præsentium malorum onere, futurorum prævisione torquentur, et homines innocentes accusant. Jam miraculis coram illis in virtute tua patratis convicerant illos Moyses et Aaron de veritate missionis suæ. Jam crediderat populus audieruntque, quod visitasset Dominus filios Israel, et quod respexisset afflictionem illorum, et prona adoraverunt. Et ecce, horum omnium tam cito delevit memoriam afflictio, et tam cito desperarunt de auxilio virtutis tuæ, quamvis propior fuerit salus illorum, quam crediderant. Sic procedit in te confidere ignara humana fragilitas, et propemodum ipsummet Moysen inducit ad dubitandum. (22. 23) Posteaquam querelas suas de missione sua edixisset tibi, Cur afflixisti, inquit, populum? Cur misisti me... et non liberasti eos?

Ex his me doces, Domine, quomodo affligi permittas, quos liberare decrevisti, et quam prona sit humana debilitas ad succumbendum, quam facilis ad conquerendum, quam proclivis ad dubitandum de promissionibus tuis. Quam sæpe dicit homo: Hæc et alia lubens paterer, si scirem voluntatem Dei, si possem sperare me adjutum iri. O insipiens homo, respice te velut in speculo in his, quæ Scriptura tibi de filiis Israel exhibet, qui voluntatem Dei de eliberatione sua scriverunt, crediderunt, et tamen sperare in Deo suo nesciunt!

Audivit Moyses hanc veritatem, quam de eliberatione populo annuntiavit, ex ore Dei, qui se illi manifestavit. Num fortior est ceteris? Crediderunt, dicit Scriptura (v. 31) præcedentis capituli, ac si diceret: fidem habuerunt, sed tamen sperare nesciverunt. Sed quid dico, Domine? Fors enim hæc ego dico tibi, sed non tu loqueris mihi. Numquid patres ab Adamo in spe venturi Messiæ salvati sunt? Nescio, Domine, quid respondeam, errare tamen non puto, si distinxero fidem in Deo et in promissionibus ejus habuisse, sed spem nonnisi per legem recepisse in

<sup>a</sup> Supplevit *quod* in margine

figuris, cuius veritas nobis data est in Christo. Non obstat, quin confirmet hæc illud, quod Paulus dicit sperasse Abraham contra spem.<sup>1</sup> Hæc enim ipsa spes contra spem fidei firmitatem exprimit et perfectionem ejusdem fidei manifestat, propter quam pater credentium appellatur. Fides quidem distincta est a spe, quod vel maxime patet in Diabolo, qui fidem Dei habet, sed non tamen per hæc dictum esse velim fidem patriarcharum similem fuisse fidei huic Diaboli. Absit a me hæc cogitatio; hi enim habuerunt fidem in Deo, quæ fides est salutaris, non tamen vereor dicere spem datam esse per legem [16:] confirmatam per prophetas et consummatam per passionem.

O Domine, vere timeo ego, ne hæc, quæ de spe dico, crude nimis et stricte sumantur a legentibus. Dicent enim, quomodo adusque legem patres credere potuerint in redemptions et non speraverint? Sed, o Domine, tu vides in corde meo, quod ego non loquar de hac spe, quæ non est distincta a fide et est propriæ desiderium, quod fides viva excitat. Potuerunt patres patriarchæ scire ex ipsa condemnatione serpentis contritum iri caput ejus,<sup>2</sup> quin immo Abraham etiam diem Christi vidit, sed in tantis et tam nebulosis figuris, ut ex illis objectum fidei et desiderii habuerint distinctum a spe illa, de qua loqui vellem, si me adjuvare dignaberis, Domine. Spes enim hæc salutaris distinctam notitiam objecti requirit, ut nimirum Messiam Deum hominem futurum scivissent, et hanc spem populo seu universalitati sub figuris datam fuisse dico per legem, confirmatam per prophetas et consummatam per passionem. Magna enim est differentia sperare in Messia venturo redemptions, quæ spes Israelitarum fuit, et sperare ex meritis Christi salutem, quæ spes Christianorum est.

Hæc est veritas, quam ego ex fluctuatione populi et ipsiusmet Moysis agnosco, et per gratiam tuam, Domine, in sequentibus meditationibus meis sedulo connotabo, ut eo magis pateat gratia et exaltatio filiorum tuorum, quos adoptasti per Filium, et differentia horum a servis legis. Hinc apparet veritas illa dicti Salvatoris mei ad Thomam: Quia vidisti,<sup>3</sup> Thoma, credidisti. Beati, qui non viderunt et crediderunt.<sup>3</sup> Hæc est beatitudo filiorum, illa fuit proprietas servorum. Hæc, inquam, differentia fidei videntium et non videntium distinguit ipsam spei perfectionem, quæ nobis demerita est.

O Domine, in omnibus, quæ hic (22 et 23) et in præcedenti capite legi, fluctuare videtur Moyses, irasperis, nec tamen punis nec illum nec populum. Nequit enim exigere justitia tua ab illis, quod necdum déderat misericordia, sed post legem datam ad apparentiam multo leviores dubitationes illorum punies, quia juste, quod dedisti, exiges. Et hæc ipsa veritas, quam mihi per gratiam tuam manifestare dignaris, heu, quam justum timorem incuteret mihi et configeret carnes meas, si spes data non consolaretur spiritum meum. Fac igitur, ut diligens sperem in te, ut caro<sup>b</sup> timeat, spiritus te diligit!

<sup>a</sup> Vidisti sc. me (cf. Vulgata)

<sup>b</sup> caro sc. mea etc. (cf. Ms. fr.: ma chair, mon esprit)

<sup>1</sup> Cf. Rom. 4,18.

<sup>2</sup> Cf. Gen. 3,15.

<sup>3</sup> Quia.... Ioan. 20,29.

Respondes, Domine, hic Moysi ad illa, quæ quodammodo exprobrative dixerat tibi: Cur afflixisti populum tuum, et quare misisti me? Et dicis: Nunc (1) videbis, quæ facturus sum Pharaoni. Non dubitavit Moyses de omnipotentia tua, nam et ipsam afflictionem populi non Pharaoni, sed tibi attribuit, Domine, sed fidem illius firma spes necdum firmaverat. Hinc oportuit [17:] illum videre et ideo dicis: Nunc videbis. Admiranda, adoranda ac diligenda sunt mihi, Deus, opera tua etiam propter mirum ordinem, per quem mihi manifestas profunditatem sapientiae tuæ. Promiseras et<sup>a</sup> pepigeras fœdus cum Abraham in possessio nem terræ Chanaan, sed antequam fœdus pepigisses, post primam promissionem peregrinari fecisti illum in Ægyptum, cujus rex Saram rapuerat. Flagellasti itaque regem plagis maximis et liberasti Saram, et hunc eventum figuram fuisse eductionis populi jam te adjuvante observavi, sed seposita figurarum figura hæc breviter rettuli.

Observavi tamen illa prodicia facta fuisse, ut præpararetur disponereturque fides Abrahami, et sic apparuisti Isaac et Jacob quoque in Deo omnipotente (3), sed nomen tuum, Adonai, non indicasti eis. Quam mysteriose mihi designat hæc expressio Apparui in Deo Omnipotente differentiam et ordinem operum tuorum respectu veritatum, quas designabant, ut agnoscam nullam talem apparitionem fuisse, qualis hæc manifestatio nominis tui admirabilis fuit. Redempturus eras enim populum in brachio excelsø et judiciis magnis (6).

O quam adoranda et stupenda est redemptio, cuius tanta et tam sublimis est figuratio! Egisti in brachio excelsø eliberationem populi, sed redemptionem generis humani Deus Filius in humilitate et in exinanitione divinitatis perfecit, ut in portentis et judiciis per Moysen factis agnoscamus potentiam brachii tui et in operibus Dei Nominis adoremus opera sapientiae tuæ et veritatis.

(9) Narravit Moyses omnia, quæ dixisti filiis Israel, qui non acquieverunt ei. Ipsem loqueris, Domine, (10) denuo Moysi, et jubes, (11) ut ingrediatur et loquatur ad Pharaonem, ut dimittat filios Israel. Et ipsem Moyses respondet: (12) Ecce, filii Israel non audiunt me, quomodo audiet Pharao? Quam mirabilia sunt hæc, Domine! Adonai loquitur et Israel non acquiescit. Moysi jubet et ille tergiversatur et se excusat. Vix non et ego dicerem: Quomodo audiet Pharao? Sed ne hoc dicam, ecce, subjungit Scriptura: (13) Locutusque est Dominus ad Moysen et Aaron, et dedit mandatum ad filios Israel et ad Pharaonem, regem Ægypti, ut educerent filios Israel de terra Ægypti. Locutus fueras ante, sed necdum dedisti mandatum.

Hic porro mandatum dedisti, nec amplius tergiversabitur Moyses, sed nec Pharao poterit nocere Moysi. Opportune importuneque (ut ita dicam) se præsentabit coram illo, irascetur, sed non mittet manum suam super ipsum. Mandasti, inquam, Moysi, ut educeret populum, sed necdum mandasti Pharaoni, ut dimitteret. Hinc omnia procedent secundum ordinem judiciorum tuorum, Domine.

Ex his itaque bene combinatis agnosco ego differentiam sermonis tui, dum loqueris, et dum mandas. Sæpe resistit homo voci tuæ, sed mandatum seu [18:] absolutam

<sup>a</sup> Ante et in margine: *Genes. c. 12.*

voluntatem tuam præterire nequit. Loquere igitur ad cor meum, Domine, sed fac, ut te loquentem audiam! Nisi enim te diligere dederis, te loquentem non audiam.

SUPER CAPUT 7<sup>um</sup>, 8<sup>um</sup> 9<sup>um</sup>

Exponitur, o Domine, per gratiam tuam ob oculos meos figura illorum, quæ in præcedentibus jam rettuli de hac missione ad educendum populum, Moysen divinam, Aaron humanam naturam Christi seu Dei Hominis repræsentasse. Et hoc est, quod in hoc capite clarius exprimitur (1). Vere enim Pater cælestis in sua sana consideratione ita fuit respectu Filii, sicut Moyses respectu Dei. Sed et divinitas Filii ita se habuit respectu humanitatis, prout Moyses respectu Aaron. (2) Loquebatur enim Filius omnia, quæ mandavit ei Pater, et humanitas loquebatur ad homines. Et in hoc sensu Aaron seu humanitas erat vere propheta Moysis seu divinitatis.

(3) Terribile est, Domine, quod dicis te induraturum cor Pharaonis, et ego timeo nimis de hac materia scribere. Tantis enim ambagibus explicant interpretes hunc textum (quem nec clarum, nec obscurum dicere audeo), ut si hominibus solummodo loquerer, mallem silere. Sed insanum esset subticere coram te, quod tu vides in corde meo. Eloquar proinde cogitationes meas, ut ex illis (si bonæ sint), sit tibi gloria, mihi vero confusio, si veritati non consentiant. Ipse enim ego retracto eas, si tales fuerint.

Dicunt igitur communiter doctores, quorum ego revereor sententiam, non posse dici Deum velle malum aut esse causam perditionis hominis. Sed si indurasset cor Pharaonis in sensu litteræ, fuisse causa perditionis. Ergo non te cognoscerem, Domine, si veritatem majoris controverterem in suo sensu. Procul dubio enim Deus non fuit causa, quod Pharao indurationem promeruerit per peccata præcedentia, sed justa judicia ejus indurationem cordis juste potuerunt causare tamquam poenam. In hoc sensu enim etiam submersionis<sup>a</sup> ejus in Mari Rubro causa fuit, quamvis enim cæcitate sua ductus Pharao insequendo Israel mare ingredi potuisset, nisi tamen Deus submersionem ejus absolute voluisset, non rediissent aquæ in locum suum. Quapropter in quantum mandante Deo Moyses aquas reduxit, quis poterit dicere Deum non potuisse aut non fuisse causam submersionis ejus? Profecto enim in hoc sensu ipsa justitia Dei omnino est causa omnium damnatorum, in quantum damnatio est executio justæ sententiæ Dei.

Quodsi igitur hunc textum sic consideravero, profecto nulla explicatione indigebit supposita veritate, quod Pharao hanc indurationis cordis sui poenam præcedentibus pravis operibus promeruerit. Secus enim adhuc minus possem capere, quomodo potuisses mandare, Domine, populo tuo excidium tot nationum [19:] et populorum, quod mandatum si populus tuus secutus non fuit ad litteram, ipse populus puniebatur. Et sic de omnibus poenis loquendum, quas infligendo earum causa omnino fuisti, sed nullo modo fuisti causa mali, propter quod peccator poenas promeruit, sicut causa suspendii furis judex est, in quantum suspendium pronuntiavit et mandavit, sed non causa est furti, per quod latro sententiam suspendii promeruit.

<sup>a</sup> Supplevit -nis supra lineam

His pro debilitate mea sic explicatis iterum dicam, Domine, cum littera Scripturæ indurasse te cor Pharaonis propter antecedentia peccata ejus, et sic objectum justitiæ tuæ factus est in hoc mundo et in altero, et sic manifestata est in eo fortitudo brachii tui. Omnia porro, ut sic fierent secundum justa, sed nobis impenetrabilia decreta tua, taliter disposuisti. Ordinasti seu disposuisti, inquam, ut non audiret illos Pharao, quos misisti. (4) Immisisti itaque juste manum tuam super Ægyptum, ut educeres populum tuum per judicia maxima. (5) Scient profecto Ægyptii, quia tu es Dominus, qui manum tuam extendisti super Ægyptum. Hanc veritatem enim mox ipsimet magi et incantatores Ægypti profitebuntur, et digitum tuum cognoscent. Ægyptus tamen non credit in te, ut agnoscamus donum fidei non portentorum et prodigiorum, sed gratiæ tuæ gratis datae esse effectum.

Agnosco ego, Domine, in omni humilitate fors defectum luminis mei esse, quod ego portenta tua a te in virtute virgæ per Moysen et Aaron facta explicare nequeam tamquam figuræ, sed tamquam veritatem respiciam eo fine factas, ut manifestetur omnipotens et dominium tuum super elementa et super universam naturam. Non inquiram proinde, in qua virtute sapientes et malefici Ægypti serpentes, ranas producere, aquam in sanguinem mutare potuerint, sciniphas porro et alia a Moyse facta imitari nequierint. Credo enim hæc te permittente ideo taliter facta fuisse, ut virtus tua omni virtuti superior esse manifestetur. Et ex hac ratione posuisti divisionem quoque inter populum tuum et inter Ægyptios, ut et illi et ex his nos agnoscamus omnia te posse modo et in mensura, in qua tibi placet agere seu directe seu per virtutem creaturæ communicatam et rei quoque inanimatæ (prout virga fuit) annexam.

Sed cor Pharaonis induratum resistit, nec tamen ideo credit quis reperiri posse creaturam, quæ voluntati tuæ absolutæ resistere possit. Sæpius repetis (22) hanc quoque indurationem voluntatis tuæ esse effectum. Commovetur tamen sæpe Pharao (c. 8. v. 8), vocat Moysen et Aaron, petit, ut orent Dominum, ut auferat ranas, dicit: (25) Ite et sacrificare! Confitetur se peccasse, (c. 9. v. 27) te Deum justum, se vero et populum suum impios esse, sed est sicut peccator, qui clamat ad te, tu vero non exaudiens eum (35) ingravas cor ejus et servorum illius nimis. Dixisti enim Moysi: (c. 9. v. 16) Idcirco autem posui te, ut ostendam in te fortitudinem meam, et narretur nomen meum in omnibus terris.

Absit, o Domine, [20:] quin hæc opera justitiæ tuæ scandalisent diligentes te. Sunt enim vere opera misericordiæ respectu illorum, quibus per hæc exempla manifestare voluisti judicia tua et nutrire in cordibus illorum timorem tuum salutarem, qui nos docet diligere exclusa præsumptione et sperando in misericordia semper respicere justitiam tuam, ut perseveremus in humilitate. Quodsi enim exclusa misericordia agere et judicare volueris, omnis homo Pharao erit in conspectu justitiæ tuæ, nec convertetur, nisi converteris eum. Nec tamen vis mortem peccatoris, sed ut convertatur et vivat.<sup>1</sup> Hinc vere perditio ex nobis, misericordia porro a te est, Domine, cui sit laus et gloria ex omnibus, quæ facis!

<sup>1</sup> Cf. Ezech. 33,11.

Typus est Pharao peccatoris et hominis sub lege peccati constituti. Tales enim fuisset, si misericordia tua nos a jugo ejus non liberasset. Quoties repetiisti, Domine, decretum justitiae tuæ in Pharaonem, (1) et hic de novo repetis te indurasse cor ejus et servorum illius; sed quare? Ut facias signa tua hæc in eo (2) et narrentur in auribus filiorum et nepotum Moysis. Scripta itaque tradidisti, ut perveniant ad illos, quibus instructionis loco hæc data sunt. Quoties misisti Moysen, et ecce, a quo dixisti te mandasse illi, ut educat populum, semper vadit, nec amplius respondet tibi. Et semper, quæ facturus eras, annuntias per ipsum Pharaoni, ne casu facta fuisse imaginetur (4. 5. 6). Et, ecce, videntur resipiscere servi Pharaonis (7), et ipsem et Pharao dicit: Ite, sacrificate Domino Deo vestro! (8)

O Domine, vere insipientis est dicere ita te retrahere a reprobis quoque, ut illos omni gratia destituas, sed vere ex his, quæ meditor, me reflecto ad parabolam semi-nantis, quam Filius tuus, Salvator meus me docuit, non germinare semen nisi respective ad terram, in quam incidit.<sup>1</sup> Considero itaque cor servorum Pharaonis et ipsius met regis et ex eo, quod dixerunt: (7) Usquequo patiemur hoc scandalum? Dimitte homines, ut sacrificent Domino Deo suo! Non vides, quod perierit Ægyptus?, agnosc cor eorum plenum fuisse timoris, et in hanc terram incidisse semen seu lumen resipiscentiæ. Sed hic timor non fuit timor tuus, sed malorum et scandalorum, et ideo nec germinavit, nisi in mensura prudentiæ humanæ majora mala timentis. Et ideo dicit Pharao: (10) Quomodo ego dimittam vos et parvulos vestros, cui dubium est, quod pessime cogitetis? (11) Non fiet ita statimque ejecti sunt de conspectu Pharaonis.

Quis est, qui ex horum consideratione non agnoscat te juste mandasse Moysi, (12) ut extendat manum suam, ut locusta ascendat super terram? Quæ, ecce, denuo terrent [21:] regem. (16) Festinus vocat enim Moysen et dicit: Peccavi in Dominum Deum vestrum et in vos, (17) sed nunc dimittite peccatum mihi etiam hac vice, et rogate Dominum Deum vestrum, ut auferat a me mortem istam. (18) Fecit Moyses, quod petiit, sed tu, Domine, qui vidisti dispositionem cordis Pharaonis, (20) quam juste induras de novo terram illam quandoque nonnisi a timore malorum superficiatiter emollitam, sed germinare penitus incapacem, et ideo renovatur plaga (22). Huic succedit (24) regis timor et resipiscentiæ falsæ motus, quem nova sequitur (27) cordis induratio ad finale tendens exitium, cum Moysen rex repellere jubet et mortem minatur, si in conspectu suo apparuerit (28).

Exercuisti, Domine, judicia tua super Ægyptum, demonstrasti te Dominum et Creatorem esse omnium elementorum et totius naturæ. Nec superest, nisi ut demonstres potentiam tuam super creaturæ cor, quod hactenus<sup>a</sup> restitit tibi, sed nequum bibit illa faciem calicis furoris tui. (1) Adhuc enim unam plagam superesse edicis, et tunc dimittet, quin expellet populum rex Ægypti. Ut tamen nihil supersit, unde agnoscere non possimus cor hominis esse in manu tua, ecce, promittis dare gratiam populo tuo in oculis Ægyptiorum, (2) ut cuique ab amico suo postulanti vasa aurea et argentea nihil denegetur.

<sup>a</sup> Ante hactenus in margine: *Sup. cap. XI.*

<sup>1</sup> Cf. Luc. 8,11–15.

Odio habuisse Hebræos populum Ægyptium jam ab exordio hujus historiæ apparet, tantas plagas et afflictiones hujus populi causa se passam esse omnis Ægyptus scivit, exitum ejus cum omnibus armentis<sup>a</sup> et substantia sua quis non potuit suspicari? Quis periculum omnium mutuatorum juste non potuit timere? Te tamen disponente nemo denegabit quidpiam petenti populo. Sic dirgis, Domine, cor hominis secundum vias tuas, sic reddis corda saxe a cera molliora, dum odium et abominationem convertis in benevolentiam et amicitiam.

Adorandus es mihi, Domine, in omnibus his tam stupendis operibus tuis. Sed ecce, longe majora dignaris exhibere mihi in ultima illa plaga, per quam imponis quodammodo coronidem tam mirabilibus operibus tuis. (4) Hæc dicit Dominus: Media nocte egrediar in Ægyptum, non amplius Moysen mittis et Aaron, non virtus tua operatur per virgam, sed tumet ipse acturus es (5) in morte primogenitorum Ægypti, redimis populum tuum.

Hoc est mysterium adorandum, ad quod bene contemplandum imploro gratiam tuam. Hæc est omnium figurarum in veritate per actionem Dei figurata figura, per quam quid Deus Homo facturus erat, Deus ipse demonstravit, hic, inquam, ipsa veritas veritatem futuram sub velo manifestat. Exsurge, anima mea, et petitio novo lumine contemplare, adora, lauda, nec umquam diligere cessab<sup>b</sup> opera justitiæ, misericordiæ et dilectionis Dei Creatoris tui!

## [22:] SUPER CAPUT 12.

Nescio, Domine, unde ordiar, sed nec quomodo contexam ordinem mirabilium tuorum, quæ dignaris adhuc tam confuse et in caligine repræsentare mihi. Omnia, quæ in hoc capite referuntur, video præparationes esse ad exitum et figuras ad repræsentandum sacrificium, quod Filius tuus Unigenitus oblatus erat tibi, Patri aeterno. Scio hæc omnia, quæ hic instituta sunt, illum ante oblationem sacrificii sui ad litteram observasse, nec explicatione indigere, quomodo completa sunt. Hæc enim ipsamet Ecclesia explicuit. Velum, quod hic latentes veritates tegebatur, ab oculis Christianorum ablatum est. Omnia hic contenta spiritualiter et litteraliter tam clare explicata sunt, ut aliquid addere velle illis, quæ jam a me sapientioribus dicta sunt, fors præsumptionis esset suggestio.

Si placitum est tibi, Domine, ut reflexione facta super illa, quæ jam super caput 24. Genesis rettuli, combinationem illorum, quæ ibi prophetice repræsentata dixi, reassumam. Da,<sup>c</sup> quæso, lumen, et adjuva me! Ego enim deficiam in tam profundis mysteriis, quæ tamquam per gradus ducunt ad mysterium mysteriorum, quod hic clarius indicatur, et quod aliunde sufficienter explicatum esse supra dixi.

Connotavi, Domine, in præmemorato capite de missione Eliezer ad quærendam Rebeccam prophetice repræsentatam fuisse spem seu Rebeccam per legem seu Eliezerum adducendam fore, ut Isaac (qui promissiones tuas, Domine, figuravit), matrimonio jungatur, sterilitatem Rebeccæ tempus captivitatis populi designasse, conce-

<sup>a</sup> Correxit ex *armatis*?

<sup>b</sup> Sic!

<sup>c</sup> da sc. mihi (cf. Ms. fr.: *donnez moy*)

pissem autem Rebeccam in exodo. Quapropter hic demonstrandum est, quomodo haec veritas completa sit.

Considerandum tamen prævie, quod ex illis, quæ in hoc capite Exodi, de quo agitur, referuntur, quædam solummodo hanc veritatem concernere videantur, major enim pars contentorum novas figuræ repræsentat, quæ ad subsequentia referenda sunt. Posset mihi objici, quomodo spes, quæ per legem danda seu adducenda erat, hic concipere potuit, cum in Exodo necdum lex, quæ spem dare debuit, promulgata fuit? Sed ad hanc objectionem solvendam spes distingui debet in spem exitus ex captivitate et in spem complendarum promissionum spiritualium, quam lex clarius manifestanda attulit.

Et his præmissis dicam in corde populi omnino spem exitus hic solummodo fructuosam redditam fuisse. Quamvis enim ab exordio missionis suæ Moyses saepè coram populo dixerit se a te, Domine, missum fuisse, ut illum educat et hanc missionem miraculis coram populo factis comprobaverit, Israel tamen semper anticipitem, dubitantem et fluctuantem fuisse observavi, sed respectu omnium, quæ Moyses hic declarat, dicit Scriptura: (28) Et egressi filii Israel fecerunt, sicut præceperat Dominus Moysi et Aaron, et per hanc obœdientiam demonstratur mihi fecunditas seu conceptus spei in cordibus illorum. Et in hoc sensu pro fetu habendi sunt illi omnes, qui præceptum Dei in [23:] immolatione agni adimplentes sanguine illius postes et superliminaria sua liniverunt (7). Hi sunt enim, qui in gemellos divisi collidentur in utero spei seu Rebeccæ. Nam omnes eadem spe freti edacentur ex Ægypto, sed hic creduli, alii increduli et murmurantes adhuc ante publicationem legis seu partum Rebeccæ collidentur quodammodo in utero. Haec sunt, quæ tamquam essentialia referuntur ad illa, quæ in Genesi quodammodo prophetice repræsentata fuere. Hic autem impleta sunt, cetera ibi memorata in subsequentibus connotanda erunt gratia tua adjuvante, Domine.

Inter illa porro, quæ subsecutarum veritatum figuram respiciunt, clare demonstratur percussorem angelum clare justitiam tuam, Deus, repræsentasse, quæ primogenitos percutiens demonstrat omnem massam humanam primum justitiam promeruisse et percussionem propter peccatum, eliberatum iri tamen per mortem Unigeniti tui, Deus, qui primogenitus est respectu Ecclesiæ tuæ seu filiorum adoptivorum. Ut autem salutem in sanguine acquirendam fore designetur, instituitur immolatio agni, cuius sanguine illinitas fidelium postes justitia Dei præteribit. Num autem tempus mediæ noctis non designet hanc eliberationem generis humani in medio temporum futuram, judiciorum tuorum profunditati et abyssῳ relictā sunto! De his enim aliquid statuere non meum est, quamvis hoc credere pronum me sentiam, et ex his mihi imaginari mundum a passione Christi tanto tempore, quantum ante, duraturum, cum hoc tempus transitus Domini præcisum et præcedentis capitil (v. 4) et in hoc capite (29) expresse connotet Scriptura. Unde mysterio carere mihi imaginari nequeo.

(27) Denique, Domine, agitur hic de victima transitus Domini, et haec fuit victimæ, quæ in cruce moriens tradendo Spiritum Patri transiit. Postquam percussisset mundum, carnem et Diabolum, percussit et ipsam Synagogam semen hic eliberatæ gentis, quæ sanguinem hujus victimæ non posuit super postes cordis sui tamquam januæ, unde exeunt, quæ coinquian hominem,<sup>1</sup> et in hoc sensu victimæ et percus-

<sup>1</sup> Cf. Matth. 15,11.

sor fuit. Sed quia a justitia divina percussus fuit, in hoc sensu per primogenitum Pharaonis, quinimmo per mortem omnium primogenitorum Ægypti præfiguratus est.

O Domine, quodsi ego me ad universalem hanc historiam eductionis populi tui et portentorum occasione illius factorum attentius considerandam converto, non credrem me errare, si dicerem hic non tantum relatas veritates repræsentari magis, quam figurari, et universalem illam exodus, per quam post diem illam magnam nimis Filii tui Unigeniti educetur omnis creatura ex captivitate vitæ hujus, in qua gemit tamquam parturiens dicente Apostolo.<sup>1</sup> Reflectens enim me ad portenta, quæ referruntur in Apocalypsi, fors magnam in illis cum his, quæ per Moysen facta sunt, combinationem reperirem. Sed illa ego, quæ necdum revelata sunt, et finem temporum, quæ tu, Pater æterne, habes in potestate tua,<sup>2</sup> concernunt, tangere non audeo.

(29) Percussisti, [24:] Domine, in medio noctis primogenitum Pharaonis et ab illo omnes primogenitos Ægypti usque ad primogenitum ancillæ captivæ, quæ erat in carcere, et omne primogenitum jumentorum. Quam stupendum, sed quam justum est hoc judicium tuum! Et ecce, in ipsa justitia est misericors! Quanta fuere portenta, quæ fieri voluisti, et ut fierent, cor Pharaonis propter peccata antecedentia ex consequenti ex justitia indurasti, ut hic demonstraretur per solam mortem primogenitorum potuisse emolliri cor hominis peccatoris (cujus character Pharao fuit).

Sed quid dico, Domine? Pone, quæso, custodiam ori meo,<sup>3</sup> ne quod nolo dicere, proferam! Nolo enim ego limitare his omnipotentiam tuam, nec dicere, quod facta portenta id præstare non potuissent. Quoties enim observavi Pharaonem dicere: Pec-cavi, sed ex consequenti decretorum et præcipue decreti redemptionis hæc ordinata fuerunt, ut videretur mortem primogenitorum ad educendum populum ita requisitam fuisse, prout mors Unigeniti tui requisita fuit ad eliberationem et redemptionem hominis.

Sed, o Domine infinite bone, parce meæ insipientiæ, si te in humili docilitate interrogavero, cur percusseris omne primogenitum Ægypti. Num non suffecisset solum Pharaonis filium percutere, ut dimitteret populum hac primogeniti sui morte territus? Suffecisse profecto, sed tu, Domine, hic manifestare voluisti rigorem justiæ tuæ, ut appareat magnitudo misericordiæ. In hoc opere tuo appetet neminem tam innocentem fuisse, quin poenam promeruerit, et ideo juste percussisti omne primogenitum Ægypti, inter quos secundum cogitationem et opinionem hominum multi innocentes infantes potuerunt reperiri, et tamen percussi sunt. Et quis dubitat ex consideratione horum etiam primogenitos Israel, quin et totum genus humanum huic poenæ non juste subjectum fuisse? Quia tamen elegisti Israel in hereditatem tibi, ecce, contentaris victimis primogenitorum Ægypti, ut miserearis Israel, et sic contentaberis victima unius corporis humani, ut in sanguine illius sanctificantur electi tui, redimeretur autem omnis homo.

Unde ex his video ego, cur hæc sola victima corporis humani non suffecisset justiæ tuæ, nisi sacerdos illam offerens tibi, Deus, fuisse. Percussi sunt igitur primogeniti Ægypti ex justitia, ut viverent primogeniti Israel ex misericordia. Percussus est Deus Homo omnibus langoribus et peccatis hominis oneratus ex

<sup>1</sup> Cf. Rom. 8, 21–22.

<sup>2</sup> Cf. Acta 1,7.

<sup>3</sup> Pone....: Ps. 140,3.

justitia, ut homo viveret ex misericordia. Et sic mors primogenitorum pro educatione populi, mors Dei Hominis pro laceranda scheda damnationis omnis hominis profuit.

O adorandum crucis mysterium, quam profundum, quam justum, quam misericors, quam amabile, quam stupendum, quam adorandum es mihi! Ex te enim et per te salus et omnis justitia nostra procedit. Est autem et alias exitus, qui per exodus populi e servitute figuratur et in veritate completus est per libertatem adeptam filiorum Dei, qui e servitute legis exiverunt. Mors enim primogenitorum omnis jumenti præfiguravit sanctificationem [25:] omnis naturæ in hac morte et abolitionem omnis legalis immunditiei, quæ commixtione immundorum animalium contrectabatur. Et profecto hæc omnia per mortem Unigeniti tui, primogeniti fratris nostri completa sunt.

(33) Urgebant Ægyptii populum exire, et hoc fecit Synagoga, dum apostolos et discipulos Filii tui, Domini nostri Jesu Christi e synagogis ejecit. (36) Hi sunt, qui spoliaverunt Hebræos omnibus divitiis gratiarum, quas tu, Domine, tamquam populo tuo dederas, quibus se indignos reddiderunt. (42) Nox resurrectionis est nobis observabilis, Domine, quando educti sumus e servitute peccati et legis. (43) Pro religione phase nobis sacramentum altaris relictum est, ex quo nemo alienigena manducare potest.

Hæ sunt, Domine, veritates illæ profundæ, quas in tam stupendis figuris velatas exposueras servis legis veteris, et in veritate revelare dignatus es filiis tuis, ex quorum numero cum me quoque indignum esse voluisti, adjuva me, Domine, ut ex hoc <admirabi><sup>a</sup> phase adorabili digne participare valeam et hujus victimæ sanguinem pretiosum te auxiliante ita applicem, ut me transeat rigor justitiae tuæ, quem peccatis meis in me provocavi. Educ me, Domine, e captivitate carnis hujus, dum placitum fuerit tibi et conveniens erit saluti meæ! Fac denique, ut ego diligam te, qui pro me, cum inimicus tuus essem, tanta fecisti diligens me!

#### SUPER CAPUT 13.

O Deus infinite bonus, quam admirabilis est modus procedendi sapientie tuæ cum hominibus! Quis est tam insipiens, qui noscens omnipotentiam tuam te omnia, quæ Scriptura repræsentat, breviori modo facere potuisse non agnoscat. (1. 2) Profecto omnia tua sunt, nec creatura cum Creatore jure contestari potest. Ecce tamen, tibi nonnisi primogenitos hominum et jumentorum sanctificari seu offerri præcipis, ac si ad illos tantum ideo jus praetenderes, quia morte primogenitorum Ægypti redimisti. Sed, o Domine, numquid totus Israel populus tuus est? Cur ergo se indiscriminatio non obligatur redimere, cum et illis profuit primogenitorum Ægypti percussio? Sed soli primogeniti redimuntur. Quid hoc mandatum aliud repræsentat, quain ut populus meminerit servitutis, sub qua illum esse voluisti? (3) Et procul dubio ideo inculcas illi per Moysen memoriam servitutis Ægypti, et demum præcipis universa, quæ agere debet, cum in terram Chanaan pervenerit. (6) Præcipis septem diebus manducare panem azymum tamquam panem viatorum et sic celebrare sollemnitatem tuam. Observaveram ab initio Scripturæ in omnes primogenitos te peculiare

<sup>a</sup> Delevit

exercuisse judicium, et præter Sem, primogenitum Noe omnes reprobos fuisse, ut designaretur in semine illius benedicendam fore primogenituram in Christo, Filio tuo, in cuius memoriam hic sanctificantur tibi omnes primogeniti Israel.

Sed quid dico, Domine, oblitus eorum, ad quæ me singulariter reflectere [26:] debui? In principio enim cap. 4. v. 22. Israel nominas primogenitum tuum. Quomodo ergo Christus primogenitus appellari potuit? Hic latet mysterium illud, quod in Isaac et Jacob præfiguratum fuisse jam suo loco memini.<sup>a</sup> Hic agitur de conceptu Rebeccæ, prout jam in præcedentibus rettuli; hic sanctificantur primogeniti Israel, et Jacob pelle agni seu hædi paschalis induendus occultatur, præripet tamen benedictionem jure primogeniturae empto.

Quod hic pro clarius contextu operum tuorum memorasse sufficiat, cetera hoc spectantia suis locis annexenda te, Domine, adjuvante non omittam. Superat, Domine, omnem captum meum illud, quod Scriptura (17) connotat: Igitur cum emisisset Pharao populum, non eos Deus duxit per viam terræ Philistium, quæ vicina est, reputans, ne forte pæniteret eum, si vidisset adversum se bella consurgere et reverteretur in Ægyptum, (18) sed circumduxit per viam deserti etc. Quis enim sibi imaginabitur post tanta portenta facta vel te non potuisse aut pacificum transitum procurare populo tuo, aut unico portento debellare ac delere omnem potentiam Philistium?

Apparebit præter hæc quoque ex sequentibus, sed et jam ex antecedentibus apparuit te jussisse Moysi et in signum eductionis populi dedisse, quod sit tibi sacrificaturus in Monte Sinai, unde colligere possum longe alias et maiores ratione allegata habuisse te causas, cur populum recta via ducere nolueris. In præcitato versu tamen penitus differens ratio refertur. Dicamne proinde te mutasse sententiam? Absit hoc a labiis meis! Satius est itaque mihi hæc omittere, quam de illis loqui, quorum sensus tam obscurus et a me penitus absconditus est, et meam mihi demonstrat ignorantiam, in qua te adorare in humili fide et te per hanc diligere cupio.

#### SUPER CAPUT 14.

Deus, in cuius manu sunt corda hominum et qui regis illa secundum beneplacitum judiciorum tuorum, quam mirabilia sunt opera tua! Fuit Pharao vas iræ in conspectu tuo et Israel vas misericordiæ. Ecce, quomodo agit justitia tua in illum, hunc autem dicit et præservat misericordia tua. Inquietum est cor peccatoris super terram, et cum indurationem promeritum est, non quiescit, donec perveniat in abyssum, centrum suum, quo trahitur ab iniuitate sua. Dimisit, quinimmo ejecit Pharao populum ex Ægypto, et morte primogenitorum quodammodo emollitum apparebat cor ejus. Sed quia nonnisi timore regebatur, non cessant judicia tua operari in ipsum et ecce, tu dignaris instruere Moysen de illis, quæ facturus eras, ne cursus naturalis rerum apparentias eventui imputemus. (1. 2. 3. 4) Secus enim deflexum populi a via recta versus terram Philistium in solitudinem Maris Rubri ignorantiae viarum imputare potuissemus, et Pharaonem hac occasione usum fuisse credissemus, ut coartatum ad Mare Rubrum populum circumveniens in servitutem reducat. Ad quod agendum

<sup>a</sup> Ut præteritum?!

ab ipsa prudentia humana [27:] incitatum fuisse dixissemus, nec quidem res se aliter habuit, sed hoc ipsum prudentiae dictamen sequela fuit indurationis cordis ejus, quam ex justis judiciis tuis promeruit.

(5) Nuntiatum itaque fuit Pharaoni, quod fugisset populus, et immutatum est cor ejus et servorum ejus super populo. (6) Junxit ergo currum et omnem populum suum assuipsit secum, (7) tulitque sexcentos currus, electos etc. Et postquam cor Pharaonis mutatum fuisse refert, subjungit Scriptura: (8) Induravitque Dominus cor Pharaonis et persecutus est filios Israel, qui quamvis in manu excelsa egressi fuerint, (10) cum appropinquasset Pharao, levantes filii Israel oculos timuerunt clamaveruntque ad Dominum, (11) et dixerunt ad Moysen etc.

Hæc fuit prima collisio gemellorum in utero Rebeccæ, cujus conceptionem dixi figuram fuisse illorum, quæ in exodo agebantur. Pars enim populi clamabat ad Dominum, pars exprobrabat Moysi, (12) et servitutem Ægyptiorum prætulit libertati. Confortare videtur populum Moyses dicens: (13) Nolite timere, et videte magnalia Dei, quæ facturus est hodie. Edicit illi decreta tua, Domine, (14) quod tu pugnabis pro illis, ipsi autem tacebant; (15) sed quia tu quodammodo objurgas Moysen, Domine, interrogans: Quid clamas ad me?, fors posset dici ipsuminet Moysen firmatatem monstrasse quidem coram populo, anxiatum tamen fuisse in corde, nec tam firmiter credidisse, quin timuerit. Hinc omni sollicitudine et anxietate seposita mandas: Loquere filiis Israel, ut proficiscantur. (16) Tu autem elevans virgam tuam extende manum tuam super mare et divide illud, ut gradiantur filii Israel in medio mari per siccum. Ecce, edicis consilia tua, et ne persequente per mare quoque Pharaone metuant, subjungis: (17) Ego autem indurabo cor non tantum Pharaonis, sed et Ægyptiorum, ut persequantur vos, et glorificabor in Pharaone et in omni exercitu ejus et in curribus et in equitibus illius (18).

Talis fuit bonitas tua, Domine, erga Israel, sic indulsti debilitati ejus, nec plus videris exegisse, nisi ut credant, quæ visuri erant, cum incapaces fuerint credere, quæ non viderunt. Ut autem nec momentum habeant dubitandi, ecce, (19) tollens se angelus Dei, qui præcedebat castra Israel, abiit post eos, et cum eo pariter columna nubis (20) stetitque inter castra Ægyptiorum et castra Israel, et erat nubes tenebrosa et illuminans noctem ita, ut ad se invicem toto noctis tempore accedere non valerent. His tam manifestis et visibilibus portentis firmas et fulcis debilitatem et hallucinatem ad fluctuantem fidem populi, et manifestas illi omnipotentiam tuam. (21) Vertitur mare in siccum divisaque est aqua (22) stans quasi murus a dextra et a sinistra, et ingressi sunt filii Israel per medium siccii maris.

O Domine, non mirabor ego in his audaciam Israel ausum fuisse ingredi viam maris per separatos fluctus et contra naturam suam in aqueos parietes induratos. Scivit enim hæc futura et hoc esse consilium tuum, ut salvaretur e manibus inimicorum suorum, sed stupendum est legere: (23) Persequentesque Ægyptii ingressi sunt post eos, et omnis equitatus Pharaonis, currus ejus et equites per medium maris. Quam stupendum est hoc exemplum [28:] indurationis cordis humani! Vedit Pharao et omnis exercitus ejus obœddivisse omnem naturam Deo Israel in tot ac tantis flagellis et plagis, quas sensit. Scivit hujus Dei voluntatem fuisse, ut exeat populus ex Ægypto, et ut dimitteretur. Actu videt mare huic populo iter præbere, et non horret ingredi tam periculosam viam, ut persequatur populum, cuius Deus tam potens est.

Magna est insipientia hominis peccatoris, et dum sibi relictus est, potest dicere in corde suo: Non est Deus.<sup>1</sup> Cæcitas enim naturalis dicit illum ad non credendum, quod non videt, sed, ecce, indurationis cordis proprietas est non credere, quod videt. Et hæc induratio statum naturalem excedit, nec nisi sequela est justorum judiciorum tuorum et absolutæ voluntatis tuæ, prout non credere, quod non videt, est sequela naturæ hominis sibimet ipsi relictæ. Et hinc agnoscitur fidem supernaturalium, id est, illorum, quæ non videmus, fuisse nobis demeritam et a te datam illis electis tuis, qui crediderunt, quod non viderunt, antequam hæc beatitudo nobis demerita fuisset.

Repetam igitur hæc denuo per gratiam tuam, et pro clariori intelligentia in triplicem statum subdistinguam: in statum scilicet 1<sup>o</sup> indurationis, 2<sup>o</sup> naturalem, 3<sup>o</sup> gratiæ, ut ex his appareant opera misericordiæ tuæ erga hominem. Non loquor, Domine, de electis tuis veteris testamenti, quibus ex gratia tua fidem dare dignatus es, sed de natura hominis et omnium hominum, qui in hoc numero electorum tuorum comprehensi non fuerunt. Post lapsum enim primi hominis in statu reprobationis, quæ viderunt quoque, non crediderunt homines de operibus tuis, ut in diluvio, Sodomorum poena, sed præcipue in Pharaone apparuit et in omni populo Ægypti, qui prodigia tua vidi et tamen non credidit. Elegisti tibi populum tuum, Domine, sed quia hæc electio tendebat ad recipiendas promissiones temporales, ut electionis character appareat, ex statu reprobationis naturæ positus est in statum naturalem et credidit, quæ vidit. Et pro illis credendis, quæ necdum vidit et prædicta sunt illi, signa expedit. Et tandem post redemptionem hominis dedisti omnibus vocatis ad salutem gratiam, fidem credere, quod non vident, elevans illos ex statu naturali. Et hic me denuo reflecto ad illud dictum Salvatoris mei apostolo suo: Quia vidisti, Thoma, credidisti. (Ecce, status Synagogæ naturalis.) Beati, qui non viderunt et crediderunt.<sup>2</sup> Ecce, status gratiæ filii<sup>a</sup> Dei demeritus! Jam porro quo ordine homo ad hunc statum pervenit, eo ordine ad hoc excellenti statu recedit. Ex statu enim fidei supernaturalis per peccatum, dum sibimet ipsi relictus fuerit, reincidit in cæcitatem naturalem, nec credit, nisi quod videt, et si in hoc statu persistit, cum mensuram iniquitatis impleverit, reprobatus in statum indurationis incidit. Hæc est condicio massæ humanæ, quæ postquam reprobationem promeruit, misericordiam tuam exercuisti, in quos voluisti, et ordine, quo statuisti.

Quid justius, quam facere justitiam in illos, qui recedunt a viis misericordiæ, quas demonstrasti illis? Hinc quis est, o Domine, qui te interrogare potest, cur (24) adveniente vigilia matutina? Ecce, interficiis Ægyptios, (25) subvertis rotas curruum illorum, et jubes Moysi, (26) ut extendat manum suam super mare, ut revertantur aquæ ad Ægyptios super [29:] currus et equites eorum.

Jam enim supra dixisti (4) te hæc facturum, ut glorificeris in ipsis. In hoc transitu Israel per Mare Rubrum (29) agnoscit proinde Ecclesia figuram regenerationis filiorum suorum per baptismum, in quo largiris nobis statum gratiæ per fidem illam, quam elevas ad credenda illa, quæ non videmus.

Confitebor tamen tibi, Domine, ingenuæ debilitatem meam. Quodsi hunc transitum Maris Rubri Ecclesia taliter non explicuissest, imaginatus fuisse mihi hinc transiit figurasse solummodo baptismum pænitentiæ Joannis. Prout enim hic transitus non duxit Israel statim in terram promissam, sed in solitudinem, ita et

<sup>a</sup> Correxit ex filii

<sup>1</sup> Non...: Ps. 13,1 sim.

<sup>2</sup> Cf. Ioan. 20,29.

baptismus ille non dedit gratiam, sed erat via et præparatio ad recipiendum baptismum Christi, quem circumcitione post transitum Jordanis per Josue instituta præfiguratum fuisse credidisset.

Audeo, Domine, hæc pro debilitate ingenii mei proferre coram te. Tu vides enim cogitationes cordis mei, quas doctrinæ Ecclesiæ seu tibimet ipsi sumitto. Sed et aliunde conformes esse sentio, et in illo sensu intelligo, quæ scribo. Sed cum methodice scribere et eloqui nesciam, quot voces, quot termini, quot propositiones male sonabunt in auribus illorum, qui me doctiores sunt et quæ ignoro, sciunt. Et quorum scientia versatur circa litteram, ex qua sæpe temerarie judicant Spiritum. Sed tu, Domine, parce illis, qui de me sinistre judicaverint, quia tu vides, quod in simplici ignorantia scientiarum loquar tibi, non hominibus, nec enim horum, sed tua vereor judicia. Dicent aliqui me superius dixisse Israelitas fidem Dei non habuisse, quia scripsi illos non credidisse, nisi illa, quæ viderunt, sed Deum numquam viderunt, ergo numquam crediderunt.

Hæc est consequentia ex his, quæ protuli, eruta, fateor, nec tamen cadit super spiritum, sed super litteram. Primo enim spiritus meus jam in præcedentibus distinxit statum populi Israel ante legem et post legem, seu, ut clariss dicam, in captivitate, quam sterilitatem Rebeccæ figurasse dixi. Et in hoc statu captivitatis quam obscuram fidem habuerint, ignoramus. In exodus, in qua spem libertatis concepit, et ab hoc tempore usque ad legem vere Deum nonnisi ex illis credit populus, quæ vidit, et post legem quoque in hoc statu fuit respectu pluralitatis. Semper enim miraculis revocavit illos Deus ex statu incredulitatis adusque tempus reprobationis Synagogæ et indurationis, quain promeriti sunt, in quo demum illa ipsa miracula Christi, quæ viderunt, non crediderunt, et audientes non audiverunt.

Dispar autem fuit status fidei ex auditu, quæ penitus supernaturalis est. Hæc per testes resurrectionis Christi praedicata ubique per auditum recepta est, et ideo gratiam nobis morte Christi demeritam requisivit, ut illam gentium pluralitas reciperet. Hanc porro fidem in Synagoga nonnisi paucitas electorum custodivit. Ille status, quem dixi, naturalis reddebat populum tam primum ad idololatriam, ut quam primum præsentiam sensibilem Dei non vidit in tabernaculo, posteaquam terram promissam recepit habitandam, statim ad idola, objecta visibilia defecit. Nec quidquam profuit illis memorare mirabilia Dei, quæ pro eliberatione illorum patravit.

Sed dispar est status hominum post gratiam demeritam, nam quamvis fide per auditum recepta multi ab illa defecerint, [30:] nulla tamen hæresis idololatriam renovavit, sed omnis hominum multitudo in fide Dei invisibilis persttit, nec subsistit idololatria, nisi inter illos, qui fidem necdum audierunt aut receperunt.

Hæc pauca sint dicta illis hominibus, qui litteram in prædictis examinaverint. Ego porro revertor ad te, Domine, et humillime imploro gratiam tuam, ut si hæc, quæ scribo, a te sunt et veritati tuæ conformia,<sup>a</sup> da mihi eloqui illa, et fac intelligere in eodem spiritu, in quo me proferre sentio. Agnosco etenim me non communia aut communi methodo tractata scribere, non quod super alios sapere cuperem aut aliorum scriptis non assenter, sed quia hæc meæ reflexiones<sup>b</sup> aut meditationes magis proportionatæ sunt debilitati intellectus mei hac methodo tractatae. Sæpe enim dixi me velle contemplari opera et magnalia tua, ut ex illis plus noscam et quo plus novero, plus diligam te. Adjuva igitur me, Domine, ne deficiam, sed proficiam in cognoscendo et diligendo te!

<sup>a</sup> ut... da.... fac (!)

<sup>b</sup> Corrigit ex reflectiones

Justum et dignum est, o filii Israel, ut cantetis canticum Domino, qui a tantis malis in brachio excelso liberavit vos! Deus omnipotens, justus et misericors, da mihi quoque hanc gratiam, ut in spiritu populo tuo junctus cantem mirabilia tua, ut ex lectione et fide illorum, quæ illi viderunt, præsterni tibi illa, quæ præstiterunt. Quamvis enim illa, quæ fecisti, oculis corporeis non viderim, dare dignatus es mihi fidem, per quam quæ non vidi, firmiter credo. Cognoverunt illi te, Deum esse ex illis, quæ viderent. Misericordia tua fecit me cognoscere te ex illis, quæ audivi et scripta esse voluisti, ut legerem et contemplarer. Hinc fides illorum tam titubans et fluctuans fuit, fides autem mea per gratiam tuam data eousque permanens est, donec me non tradideris mihi met ipsi. Tunc enim, prout dixi, dum in statum naturalem reincidero, non credam, nisi videro. In hujus veritatis confirmationem repræsentat igitur mihi Scriptura illa, quæ canticum hoc subsecuta sunt.

Quis non diceret ex lectione illius et agnitione tantorum mirabilium tuorum, Domine, populum tuum in fidem et cognitionem tam perfectam, quam homo vivens habere potest, divinitatis tuæ pervenisse? (2)<sup>a</sup> Cognoscunt te Deum et dicunt: Fortitudo mea etc. Laus mea Dominus et factus est mihi in salutem. Iste Deus meus, glorificabo eum, Deus Patris mei, et exaltabo eum. (3) Dominus quasi vir pugnator, omnipotens nomen ejus. Exaltare te, Domine, et in spiritu propheticō, (13. 14. 15. 16. 17) quæ futura sunt, tamquam facta recensent.

Quis, inquam, est, qui hæc ex spe firma futurorum facta non fuisse asseret? Et per consequens quomodo ego combinabo illa, quæ in præcedentibus fors temerarie rettuli super caput 5. de spe Israelitarum? Dice[n]<sup>b</sup> profecto homines me in illis spei, in illis porro, quæ super præcedens caput 14. rettuli, fidem illis dempsisse et me merito confundi debere [31:] ad lectionem hujus cantici et præcipue 11. versus dicentis: Quis similis tui in fortibus, Domine? Quis similis tui? Magnificus in sanctitate, terribilis atque laudabilis, faciens mirabilia.

Agnosco, Domine, jure merito hæc mihi objici posse ex consideratione superficiali prolatorum. Tu enim melius vides, quam et ego agnosco debilitatem meam. Sum enim (prout Moyses dixerat tibi) incircumcisus labiis et sine sermone. Vellem clariora reddere, quæ dixi. Omnia enim bene combinata reperio in mente per gratiam tuam, sed fors ad intelligentiam aliorum eloqui nequeo, et fors præsumptionis meæ esset effectus, si crederem me clara reddere posse, quæ non a me sunt, sed ego illa tibi debo.

Tu scis, Domine, non me hæc scribere pro doctrina aliorum, sed meditari pro utilitate mea propria, nec vocationis meæ esse doctorem agere, sed discipulum ac puerum tuum rudem et hebetem nimis. Non vereor igitur balbutire coram te, sed merito timerem hæc scribere pro hominibus, quorum fors pluribus scandalo possem esse propter inconsiderationem sermonis mei et malesonantiam litteræ. Propterea omnia, quæ hactenus scripsi, soliloquia sunt, ad te solum a me solo, seu, ut melius eloquar, absque omni adjuvamine librorum prolata. Quodsi proinde Spiritus tuus censor meus fuerit, quæ illo dictante scripsi, intelliget, quæ autem a me, sed me nolente irrepserunt tamquam rejicienda, melius est obscura manere, ut a nemine

<sup>a</sup> Correxit ex 12 (vel 1.2?)

<sup>b</sup> Supplevi -n-

intelligantur, ut appareat esse abortus ingenii mei. Quamvis enim sæpe et quodammodo pro terminis usitatis assumo verba te revelante, dictante aut inspirante, et his similia, tu scis, Domine, non me dicere velle, multo minus credere me dignum esse revelationibus illis, quæ his vocibus exprimi solent, de quibus ego nec loqui audeo, non ut<sup>a</sup> præsumptuose vellem illas attribuere mihi. Utor proinde terminis illis in illo sensu, in quo credo omnes bonas cogitationes a te venire, nec quid boni inesse mihi, nisi a te, et propterea illis expressionibus tibi volo reddere gloriam debitam et mihi confusionem ex illis, quæ, prout dixi, tamquam abortus ingenii mei illi attribui debent. Hac igitur humili declaratione repetita aggredior per gratiam tuam, quam humillime imploro loqui tibi in omni libertate cordis te solum diligere, tibi soli gloriam reddere, te solum his exaltare volentis.

Et his incitamentis excitatus quo plus meditor Scripturas tuas, eo majora reperio argumenta hæc præstare tibi. Et quo plus considero, eo minus possum assentiri illis, qui nullam aut valde exiguum differentiam statuunt inter statum veteris et novæ legis, et inter meritum effundendi ac effusi sanguinis virtutumque ejus, denique inter spiritum, quem per prophetas effusum iri annuntiasti, et inter ipsummet Spiritum per descensum Sancti Spiritus tui effusum. Unde dixisset enim Christus apostolis suis beatiores esse illos eo, quod viderint, patribus, qui videre desideraverunt diem suum. Quomodo Christus venisset adimplere legem, si lex nova veteris legis non esset perfectio? Quomodo posset quis sequi eam, si et Spiritus in excellentiori gradu non fuisset datus? Et demum quomodo diceremus: Abba, Pater,<sup>1</sup> si filii non essemus? Sed quomodo filii, si nobis nihil singularius datum fuisse, quam servis?

Non, non, Domine, nolo ego doctrinam [32:] contrariam auscultare doctrinæ apostoli tui, quem memini me legisse et audivisse multum distinxisse servitatem legis a libertate filiorum, et pro hac veritate nutrienda in memet ipso distinxii spem et modum credendi populi Israel a populo Christiano et fide hujus. Non contrariabor tamen his dictis servi tui Augustini,<sup>2</sup> qui ab origine mundi civitatem tuam, Deus, substitisse demonstrans omnes incolas ejus Christianos fuisse asserit. Sed quamvis res se sic habeat, non putabo me errare, si hunc gradum Christianitatis secundum differentiam effusi in nos Spiritus distinxero. Verum est enim omnia, quæ ventura erat, per eundem Spiritum annuntiasse prophetas, nec tamen exinde probatur ipsos prophetas intellexisse omnia, quæ dictante Spiritu prophetabant. Prophetavit enim et Caiphas,<sup>3</sup> sed quod prophetavit, non intellexit. Omnia enim, quæ scripta sunt, pro instructione nostra scripta sunt,<sup>4</sup> non pro illorum instructione data fuere.

Et ex hac consideratione agnosco illos omnes veteris testamenti sanctos patres adusque resurrectionem Christi salvari non potuisse, ut sanguis ejus effusus perficeret, quod in illis meritum effundendi sanguinis operatum fuerat separando illos in salutem. Potuerunt ergo esse et fuerunt ejusdem civitatis incolæ, sed vere diverso jure incolatus gaudebant, donec jus datum fuisse civesque advenissent, in quorum jus et illi adoptati sunt. Et illorum quoque diversa ratio habenda est, qui sub lege

<sup>a</sup> non ut fortasse ut Hungarismus (cf. Ms. fr.: *bien loin de...*)

<sup>1</sup> Cf. Rom. 8,15.

<sup>2</sup> Cf. AUGUSTINUS *De civitate Dei* (ubi?)

<sup>3</sup> Cf. Ioan. 11,50.

<sup>4</sup> Cf. Rom. 15,4.

naturæ adusque exodus et a publicata lege adusque Christum vixerunt. Quo major enim fuit misericordia tua, Domine, erga homines, eo major fuit sanctitas, eo major<sup>a</sup> distinctio<sup>b</sup> in operibus tuis.

Sed quid dico, Domine? Fac me bene intelligere, quæso, memet ipsum! Numquid sæpius dixisti filiis Israel te propter Abraham, Isaac et Jacob memoriam hæc et alia facere ipsis. Dicetur ergo mihi oportuisse illos sanctiores fuisse, quam illos, qui sub lege vixerunt, cum his propter illos benefeceris. Non meum est, Domine, in particuliari examinare sanctorum tuorum sanctitatem, quamvis in generali propositione prolatæ non videam me errasse. Ex hoc autem argumento nihil probatur. In principio enim missionis ipsiusnet Moysis (cap. 6. v. 5. 6) dicis te recordatum fuisse pacti tui, et mandas, ut ideo dicat ipsis te illos educturum ex ergastulo Ægypti. Quidquid ergo fecisti et facis, propter te fecisti, et fidem quoque Abrahamo, quæ si reputata est in justitiam, tu dedisti propter te, nec ex his et similibus potest deduci sanctitatis majoritas vel minoritas, cum a te sit omnis sanctitas, de qua das unicuique secundum mensuram beneplaciti tui in finem decretorum tuorum. Hoc porro ex operibus extensis patet Moysen Josue, Samuele, Eliam Elisæumque majorum gratiarum apparere fuisse participes, quam Abraham, Isaac et Jacob.

Hanc reflexionem<sup>c</sup> facere possum respectu donorum et gratiarum (prout appellantur) gratis datarum. Quod sufficit ad verificandam propositionem statutam, gratiarum autem sanctificantium discernere qualitatem tuum est, Domine, non meæ debilitatis. Et in hoc sensu consideratis denuo prophetis et apostolis, hos illis beatiores fuisse Christus edixit, cum viderint diem illum, quem ceteri videre desideraverunt. Ex his igitur consideratis et cum [33:] statu universalis generis humani ante, sub et post legem collatis denuo appetit differentia apparitionum, miraculorum et per consequens manifestationum tuarum. Jam enim super cap. 6. observavi differentiam apparitionum tuarum adusque tempus, quo revelasti nomen tuum Adonai, quod patriarchis non revelaveras, in Ægypti plagis voluisti glorificari, nec antea illis similia omnipotentiae tuæ signa patrayeras. In conductu populi tui continuasti eadem mirabilia, sed post publicatam legem et ordinatum cultum divinitatis tuæ longe alio modo manifestasti te.

Et ex his bene enucleatis apparebit homines secundum differentiam manifestacionis tuæ habuisse cognitionem divinitatis tuæ, et exinde concepisse spem, quam a lege promulgata quomodo dederis et nutriversis, ex sequentibus apparebit, et si propositio mea vera est, confirmabitur populum Israeliticum respectu pluralitatis in statu naturali fuisse, id est, fidem naturalem habuisse credere ex illis, quæ viderunt. Et his præmissis, ecce, redeo te adjuvante ad considerationem textuum Scripturæ.

Vix cecinit canticum Moyses et populus, ex cuius citatis versibus supernaturalis apparentia effulsit, ecce, (23) incredulitas populi subsequitur. (24) Murmurat populus contra Moysen, et pro aqua ad hunc, non ad te, Deum, recurrit. Et postquam te instruente (25) siti illorum dulcoratis aquis subvenit, dicit Scriptura: Ibi constituit ei præcepta et judicia, et ibi temptavit eum (26) dicens etc.

Nequeo ego ex textu Scripturæ concludere, quod hæc constitutio præceptorum et temptatione cadat super te, Domine, sed refertur ad Moysen, quod ipsum verbum

<sup>a</sup> Correxit ex mgo (?)

<sup>b</sup> Correxit ex distinxio

<sup>c</sup> Correxit ex reflectionem (?)

dicens pro connexione sequentis textus prolatum confirmare videtur, et sensum claram efficit temptasse Moysen per hæc (quæ procul dubio te inspirante proposuit) docilitatem et et dispositionem populi ad recipiendam legem, quam datus eras. Et hæc mira ordinatio tua et modus procedendi cum populo penitus naturalis indicat mihi statum et dispositionem populi, a quo non plus exigebas, quam illa, ad quæ præstanta capax erat.

Vere ad tam magna mysteria nobis manifestanda et pro instructione nostra exinde elicienda voluisti, Domine, hæc nobis constare. Non sunt hæc figuræ, sed representationes vivæ, quid fuerit homo ante effusam gratiam, ut agnoscat, quid sit homo post redemptionem et demeritum statum gratiæ. Profecto ex consequenti annotationis meæ, quam salva communi interpretatione rettuli posse dici transitum Maris Rubri baptismum Joannis ad pænitentiam figurasse dicerem (23) per aquas amaras, quas in solitudine et peregrinatione sua in prima statione populus repperit, figurari amaritudinem lacrimarum pænitentiæ, quas Deus Homo docuit dulcorare signo crucis, sine cuius impositione sunt impotabiles et nulli usui deservientes. In hac statione pænitentiæ ad has aquas amaras ejus constituis nobis, Domine, præcepta atque iudicia et probas nos dicens per os Ecclesiæ: Si audieris vocem Dei tui, et quod rectum est coram eo, feceris, et obœdieris mandatis ejus custodierisque omnia præcepta illius, cunctum lang[u]orem,<sup>a</sup> quem posui in Ægypto, (id est, sub servitute [34:] peccati), non inducam super te. Ego enim Dominus, sanator tuus.

Ex castris in Mara venit populus in Elim (27), ubi repperit 12 fontes aquarum et 70 palmas, et in continuationem hujus applicationis posset dici hos fontes 12 figurasse apostolos, quorum doctrina tamquam aqua viva refocillantur illi, qui pænitentiæ aquas amaras signo crucis reddunt potabiles.

Verum, o Domine, tu vides hoc quoque in interioribus meis, quod his doctrinæ apostoli et Ecclesiæ nullo sensu contraire cupiam, sed te diligere propter bonitatem tuam, per quam me ad has pias reflexiones ducere dignaris, ex quibus omnem gloriam tibi soli attributam esse velim.

#### SUPER CAPUT 16.

Deus longanimis et patiens nimis, ecce, vix, ut ita dicam, passum facit populus, quem elegisti tibi, vix in aquis dulcoratis dedisti illi signum protectionis tuæ, (1. 2) denuo omnis congregatio filiorum Israel murmurat contra Moysen et Aaron, et prorsus stupendum est mihi (3) audire verbum ejus: Utinam mortui essemus per manum Domini in terra Ægypti! Recordatur insanæ multitudinis humanus instinctus judiciorum tuorum, quæ fecisti in Ægypto, sed oblivioni tradit signa misericordiæ tuæ, quæ fecisti in salvando illo, et ideo Moysi et Aaron attribuens eductionem suam, non tibi, interrogat illos: Cur eduxisti nos in desertum istud, ut occideretis omnem multitudinem fame? Hi sunt fidei humanæ fructus, quæ solummodo ex illis credit, quæ videt, et eventus rerum hominibus attribuere solet, et hominum, non tuum implorat auxilium. Ad Moysen et Aaron recurrit, et spe destituta in te optat potius, ut periisset.

Sed tu, Domine, videns infirmitatem ejus, ne cum punis impium murmur ejus, (4) sed dicis: Ecce, ego pluam vobis panes de cælo. Egrediatur populus et colligat,

<sup>a</sup> Supplevit -u- sub lineam

quæ sufficiunt per singulos dies, ut temptem eum, utrum ambulet in lege mea. Verum quæ fuit adhuc tunc lex tua, Domine, quam nequum publicaveras? Insidens sum, parce mihi, quæso.

Ecce enim, hoc, quod dicas et quod subjungis (5), lex est, et quotidiana temptatione seu probatio, num obœdiat tibi? Lex est, ne plus colligat, quam sufficit ipsis per diem. Lex est, ut sexto die duplum colligat. (6) Revocat populo Moyses in memoriam te fuisse, qui eduxisti illum ex Ægypto, (7) et mane visurum<sup>a</sup> promittit gloriam tuam. Corripit murmur illorum et explicat illis illud murmur per ipsos ad te, Domine, referri: (8) Nos enim, quid sumus, inquit? Nec contra nos est murmur vestrum, sed contra Dominum. (9) Citat itaque per Aaron populum coram te, (10) et cum loqueretur Aaron ad omnem cœtum filiorum Israel, ecce, gloria tua apparuit in nube, et (11) loqueris ad Moysen dicens: (12) Audivi murmurations filiorum Israel, loquere ad eos: Vespere comedetis carnes, et mane [35:] saturabimini panibus scietisque, quod ego sum Dominus Deus vester.

Hæc fuit, o Deus, bonitas tua in illos, quod volueris, ut sciant te et scientes credant, quæ proprietas est fidei (si fides dici potest) naturalis. Et ideo apparuisti, fors enim et subsequentia, quæ facere decrevisti miracula, naturali eventui attribuissent, fors, inquam, credidissent (13) ventum casu attulisse coturnicem<sup>b</sup> et rorem cælum pluisse. Sic solet etenim judicare humana natura de mirabilibus tuis, nisi tu reddas attentam illam ad illa, quæ facis. (15) Explicat illis Moyses miraculum. (16) Edicit sermonem seu mandatum tuum de colligendo man, (17) fecerunt ita filii Israel, alius plus, aliis minus colligit, nec hic tamen minus, nec alter plus recipit isto. (18) Et quamvis miraculo superaddatur miraculum, ut edicti tui appareat veritas (18. 19), ecce, ad primam temptationem succumbit populus. (20) Sunt enim, qui non audiunt Moysen, sed dimiserunt quidam ex illis usque mane et scatere coepit vermis et computruit. Iratusque est eis Moyses, tu tamen, Domine, non es indignatus eis propter istam prævaricationem, sed exprobras illis, quod non custodierint sabbatum, (27) qui egressi fuerant, ut colligerent manna, dicens: (28) Usquequo non vultis custodire mandata mea et legem meam?

Adorandum est mihi, Domine, mysterium illud, quod hic panis de cælo ipso Filio tuo, Jesu Christo, Domino nostro manifestante figuravit. Cibus fuit viatorum manna, et cibus est viatorum panis vivus, qui de cælo descendit. Illum manducavit populus, et mortuus est, qui autem hunc manducat, vivet in æternum.<sup>1</sup> Sed donec homo viator est et peregrinatur in hoc mundo, oportet, ut se nutriat fortificeturque hoc pane.

In hoc sensu reperio hanc figuram applicabilem suæ veritati, cetera præcepta autem de collectione mandata ipsi soli manna convenire puto, ut probares obœdientiam populi et observantiam sabbati, et continuum inter illos hoc superesset miraculum, quod nec plus colligentes plus receperint mensura illis destinata, sed nec minus comparantes minus habere reperti sunt. Et hæc quoque proprietas pani nostro cælesti divine convenit, cum in parva seu in magna quantitate panis idem corpus, eadem virtus continueatur.

<sup>a</sup> visurum sc. illum

<sup>b</sup> Corrixi ex cortunicem

<sup>1</sup> Cf. Ioan. 6,48-52.

(33) Dixisti, Domine, Moysi, ut repositum manna coram Domino servetur in generationes. Et hoc practicat Ecclesia quoque, cui hunc panem cælestem, quem manna figuravit, in generationes servandum reliquit Filius tuus, ut hoc sacramentum esset pro perpetuo mysterio fidei, per quam non tantum credimus, quod non videamus, sed quod videmus in accidentibus, non credimus respectu substantiæ, ut verbis ejusdem Filii tui integrum, simplex et adæquatum fidei obsequium præstemus. Hoc nobis est in continuum memoriale mirabilium tuorum et reale mysterium fidei nostræ, quod ex gratia tua largiri dignaris et in tam sublimem gradum elevas, ut sensibus nostris contraria credamus et profiteamur illud, quod non videmus, modo longe alio, quam videmus, realiter ac invisibiliter et tamen visibiliter adesse confitentes.

O mysterium incomprehensibilis<sup>a</sup> fidei, tu præmium es [36:] fidei et pretium ejus. Quis non agnoscat ex consideratione tui differentiam gratiarum Synagogæ et Ecclesiæ ad credendum datarum vere tam differentem esse, prout figura differt a realitate aut, ut melius dixerim, a figurata veritate.

Adoro igitur te, verum manna peregrinationis meæ, verum corpus Salvatoris mei, corporalibus sensibus<sup>b</sup> meis, accidentibus visibilibus panis velata, fidei tamen meæclare revelata mysteriosa, realis tamen veritas. Tu cibus, tu panis, tu fortitudo, tu salus, tu Deus meus es, te manducare, te nutrir, te confortari, te possidere, te diligere cupio. Duc me super terram, quo vis, dum mihi dederis te sequi, prout sequi tu vis!

#### SUPER CAPUT 17.

(1) Progreditur omnis multitudo filiorum Israel per mansiones suas, et cor suum durum circumfert in solitudine. Vix pro pane et caribus murmurare cessavit, (2) jurgatus contra Moysen ait: Da nobis aquam ad bibendum!

O insana horum multitudo, quæ gloriam Dei vidisti potentiaque ejus signa expertus es, quare non converteris ad Dominum Deum tuum? Cur non petis ab illo aquam, qui tibi quotidianum tribuit panem? Numquid non<sup>c</sup> audisti<sup>d</sup> non Moysen eduxisse te ex Ægypto? Numquid non vidisti fortitudinem brachii Dei, qui te ducit? Quid murmuras, quid temptas? (4) Non miror profecto Moysis angustias lapidari timentis, sed quid dico? Non miror, cum et ille vere mirandus est mihi in pusillanimitate sua. Ignorat confidentiam fluctuans fides, cuius fructus metus est et timor. Populus siti se periturum, Moyses se lapidatum iri metuit, clamat ad te, cui vere proprium est miserari et parcere, et exaudis illum, (5. 6) largiris aquam, et petra Horeb obsequentior appetit mandato tuo, quam ipse populus, qui murmurare et temptare te vix cessat (7). Videt ante se die noctuque ductricem columnam nubis et ignis, miraculosum edit panem, et adhuc inquirit: Estne Dominus in nobis, an non? Hæc est hodie loqua hominum, qui per scelera et carnalitatem obscurato intellectu suo a fide viva et supernaturali deficientes traduntur sibimet ipsis, et saepè querunt: Estne Dominus nobiscum vel non? Sed fides supernaturalis viva, quæ

<sup>a</sup> Rectius fortasse *incomprehensibile* (cf. Ms. fr.: *O mystere incomprehensible de soy*)

<sup>b</sup> Correxit -ns-(?)

<sup>c</sup> Numquid non fortasse ut Hungarismus

<sup>d</sup> Correxit ex *vidisti*

statui gratiæ demerita est, hanc quæstionem ignorat, famem, sitim et omnia vitæ mala tolerat, nec te, Deum suum temptare novit.

Exemplo sunt mihi apostoli et discipuli Filii tui, tot martyrum millia, sanctorum confessorum agmina, tenellarum virginum cœtus, tanta monachorum et eremitarum multitudo, qui pro te patiebantur et hodie patiuntur in gaudio, delectantur in crucibus, quamvis nec miracula, nec gloriam tuam corporeis viderint oculis, sed panis illorum, in quo vivunt, fides est Spiritu Filii tui animata et charitate ejus flagrans. Cor eorum confidentia in te plenum simile est in firmitate petrae Horeb, super quam te stetisse refert Scriptura, et dum a te in humilitate aquam salientem in vitam æternam<sup>1</sup> petunt, [37:] satiantur a te.

Hæc est, o Domine, differentia inter populum, quem vocasti ad possessionem terræ viventium, et illum, quem ad terram lacte et melle fluentem duxeras; populum, inquam, illum te sequentem in patientia, hunc te temptantem absque intermissione. Quis est, o Domine, qui ex hac diversitate status attente considerata non reddet tibi gloriam, non discernet fidei et gratiarum differentiam? Hæc comparatio posset fieri inter fidem Israelitarum et Christianorum, sed, o Domine, si respectu generalitatis ad comparationem fidei Christianorum primitivorum et postremorum temporum descendederem, vix esset sensibilis differentia inter horum et Israelitarum incredulitatem; illa tamen semper remanebit disparitas, quod hæc Israelitis omnibus numquam data fuit fidei perfectio, sed tantum electis, qui jam tunc Christiani fuerant, quæ a pravis Christianis propria culpa amittitur.

Domine, tu vides, in quanto timore hæc scribo, ne quis scandalizetur in verbis meis. Quodsi enim sensus et textus truncare quis voluerit aut terminos non sane intelliget, mirabiles et fidei meæ prorsus alienas opiniones eruet. Hinc tu solus es consolatio mea in tam obscuris viis, per quas me ducis. Tu scis enim, quid est in corde meo, et quod Spiritui Ecclesiæ et doctrinæ, quam ego ex tot approbatorum librorum spiritualium lectione te adjuvante hausí, sano et in sensu meo intellecta non contrariantur.

Agnosco ego præterea (6) in figura petræ Horeb Christum, Salvatorem meum, qui se ipse petræ et fonti aquæ vivo in primo colloquio cum Samaritana<sup>2</sup> et in prædicationibus suis in Cenopagia habitis<sup>3</sup> assimilavit. Repræsentatur hic petra illa, quæ militis arundine percussa aquis illis cælestibus animas nostras irrigavit. Et in omni docili humilitate assentiens explicationi sanctorum patrum, qui Moysen in monte manus per formam crucis extendebat Salvatorem nostrum crucifixum figurasse dicunt, in Amalec devicto triumphum crucis agnosco. Prout enim in cruce sacerdos Deus victimam humani corporis tibi, Patri expansis brachii obtulit, ita hic Moyses expansis manibus vincere fecit pugnantem populum in virtute virgæ erectæ, quam unionem divinitatis figurasse jam rettuli.

<sup>1</sup> Cf. Ioan. 4,14.

<sup>2</sup> Cf. Ioan. 4,7 sqq.

<sup>3</sup> Cf. Ioan. 7,37 sqq.

Historiam, non figuram sapere videntur, quæ in hoc capite continentur superficialiter considerata, sed siquidem si possibile foret mihi, ne verbum quidem Scripturarum tuarum inconsideratum præterire vellem. O Domine, dum illa, quæ referuntur, considero, magna me reperiire mysteria credo. Videtur itaque mihi jam in præcedenti capite (prout rettuli) repræsentata victoria crucis in Amalec hic subsequi clariorem, quam hactenus figuram institutionis Ecclesiæ et hierarchiæ illius, et ex hoc consequenti dicam (1) Jetro, cognatum Moysis repræsentasse naturam humanam, quæ in suo sensu potest dici parens Ecclesiæ militantis, in quantum illa ex hominibus constat. Et in hac consideratione Sephora, sponsa Moysis videtur mihi repræsentare [38:] illam tamquam sponsam veri Moysis, Christi, qui nos ex captivitate eduxit. Desponsata fuit Ecclesia a principio per decreta æterna et generatio quoque ejus tunc facta est, sed quodammodo sicut Sephora remissa fuit usque ad tempus educationis populi (2), posteaquam hæc despontatio et generatio figurata fuit in cap. 4. Hic vero populo educto et victoria de Amalec obtenta adducitur Ecclesia cum duobus filiis, quorum unus advena fuit in terra aliena, et hic figuravit electos in Synagoga, qui tamquam advenæ vixerunt in illa sub lege (3). Alter autem vocabatur Eliezer, (4) id est, Deus adjutor patris mei, adjutor meus et eruit me de gladio Pharaonis. Et hi fuere gentiles, qui de gladio Pharaonis seu dæmonis eruti sunt. (7) Egressus est Christus in occursum naturæ humanæ, et per reconciliationem tecum, Deus, osculatus est eam, et vere patefecit illi omnia mirabilia, quæ fecisti, Domine (7. 8).

Quæ autem in subsequentibus in hoc capite referuntur, ad contextum figuræ sub historia Jetro repræsentatæ relata dicam usque ad (v. 21), in quo designari videtur mihi sub figura Jetro humanæ naturæ fragilitatis rationem quodammodo suggessisse Christo, ut hierarchiæ subordinationem in Ecclesia institueret, non quod illam absque hac subordinatione regere non potuisset, sed ut in omnibus pateat ordo et spiritus, qui regit<sup>a</sup> sub apparentia subordinationis (captui humano proportionata) occultentur.<sup>b</sup> Unde idem ipse Spiritus dicente Apostolo<sup>1</sup> in tam differentia dona suo sensu repartitus Ecclesiæ hierarchiam in tam differentes vocationes et secundum illas data dona subdivisit, (27) et hoc opere peracto dimissus est Jetro, qui abiit et reversus est in terram suam. Et quid hic aliud designatur, quam status humanæ naturæ ut sic consideratæ? Quæ non obstantibus omnibus operibus tuis pro salute ejus factis reversa est in terram condicionis suæ, et manet in illa.

Vere, Domine, per gratiam tuam litteralis appareat mihi hujus figuræ applicatio, pro cuius intelligentia ego indignus debitas tibi præsto gratias, quod nec a duobus propemodum mensibus in stupiditate mea naturali relictum denuo ad meditationem Scripturarum tuarum revocare dignatus fueris. Connoto, Domine, hæc, ut eo magis appareat incapacitas mea et bonitas tua, et tu lauderis pro bonitate et opere misericordiæ tuæ!

<sup>a</sup> regit sc. illam (cf. Ms. fr.: *qui la gouverne*)

<sup>b</sup> recte -er (?)

<sup>1</sup> Cf. 1 Cor. 12,4 sqq.

Propemodum trium mensium spatio circumduxisti populum tuum, Domine, antequam perduceres ad locum, in quo adorable nomen tuum Moysi de rubo ardenti locutus revelaveras. Probasti eum et cognovisti eum,<sup>1</sup> sed nec unicam passus est temptationem, in qua non succubuisset et cervicis suæ duritiem non demonstrasset. Bonitas tamen tua, o Deus infinite misericors, oblita prævaricationum ejus non murmura et infidelitates ejus, sed misericordiæ<sup>2</sup> et [39:] beneficiorum opera repræsentat ipsi per Moysen, qui a te accersitus, Domine, montem ascenderat. Quis fuit umquam hominum, qui a te innumera beneficia non recepisset non obstantibus ingratitudinis suæ operibus, antequam justitiam exercuissest in illum, ut tua appareat longanimitas et pateat donorum tuorum gratuitas? Non oportet mihi hujus dignationis tuæ exemplum in Scripturis tuis quærere, cum egomet ipse sim opus misericordiæ tuæ, quem non tribus mensibus, sed tot annis per desertum mundi duxisti, antequam pervenire fecisses in locum, in quo decreveras manifestare mihi legem tuam. Et heu, tot annorum curriculum quot operibus misericordiæ tuæ, quot operibus prævaricationis meæ repletum fuit, demonstrat tibi confessio mea, et connotata sunt in libris illis, ad quorum revelationem tremet quondam anima mea, et in eorum recordatione nunc quoque gemit, sed non in tantum gemit, in quantum gemere oporteret.

(4) Video, Domine, quomodo me portaveris super alas aquilarum, qui unguibus justitiæ tuæ arripi meruisse, nam omnes mundanæ afflictiones, quibus visitare dignatus es me, profecto sunt alæ misericordiæ tuæ; et vere misericordiarum, ut ita dicam, misericordia est, quod hanc misericordiam agnoscere feceris me. Durum est homini agnoscere omnia opera tua, quæ in hac vita sua facis cum eo, opera esse misericordiæ tuæ, si resipiscit, sed gratiæ tuæ sit attributa omnis laus et gloria, quod me sensualitati meæ tam duram quondam vocem intelligere fecerit. Hæc demonstrat omnia opera tua, sed hanc celant ab oculis hominum cupiditas et carnalitas eorum. Hanc recordationem requiris per Moysen a populo tuo, et ideo repræsentas in versu præcitatō, quomodo portaveris illum. Ipsi viderunt, quæ feceris Ægyptiis; et hæc cur enumeras et repræsentare facis, nisi ut bonitatem bonitate accumules? (5) Si ergo audieritis, inquis, vocem meam, et custodieritis pactum meum, eritis mihi in peculium de cunctis populis. Mea est enim omnis terra, (6) et vos eritis mihi in regnum sacerdotale, et gens sancta. Et hæc sunt verba, quæ loqui præcipis ad filios Israel, qui hactenus vocitare non desinerunt, sed nec desinent te.

Revoca, obsecro, Domine, in mentem meam, si placitum est tibi, illa, quæ hactenus in meditatione Scripturæ tuæ manifestasti mihi, quæ ad combinationem horum, ad quæ te miserante perveni, cum illis, quæ jam protuli, necessaria sunt, ut apparent miræ ordinationes operum tuorum. Nam te misericorditer illuminante credo me protulisse super Genesim (cujus repetendi jam sæpe occurrit occasio) Isaac et Rebeccam promissionum et spei in illis habendæ fuisse figuræ, tempus captivitatis per sterilitatem Rebeccæ fuisse figuratum, Rebeccam in exodo concepisse seu, ut clarius dicam, conceptionem ejus spem eliberationis designasse, et hanc per Rebeccam repræsentatam spem per Eliezerum (seu legem) adductam ad Isaac in publicatione

<sup>2</sup> misericordiæ sc. tuæ (cf. Ms. fr.: *de votre misericorde*)

<sup>1</sup> Cf. Ps. 138,1.

legis peperisse Esau seu filios promissionis temporalis et Jacob in filiis promissionis spiritualis.

Et ecce, hæc combinanda occurunt mihi. Da lumen proinde, Domine, si convenit gloriæ tuæ, ut ego hæc præstare valeam! Nimis enim involuta videtur mihi met ipsi hæc applicatio. Sed, o Domine, parce [40:] debilitati meæ, quæ tanta mysteria ad ordinem rerum temporaliter gestarum et modum captui suo magis proportionatum redigere nititur, nec recordatur hæc in historia Isaac prophetice repræsentata fuisse et ideo ordinem eventuum non requirere. Veritas enim illa, de qua agitur, quod promissiones datæ per spem, adductæ per legem fecundabuntur et per illam expleto sterilitatis tempore generabunt filios promissionis temporalis et promissionis spiritualis, quorum postremi seu secundogeniti (quamvis sint gemelli) præripient jus primogeniturae per benedictionem patris adipiscendam. Non requirit, ut in repræsentatione eventuum hunc ordinem teneat, cum sit repræsentatio prophetica, non eventuum, sed veritatis. Alioquin ego mihi met ipsi objicerem non potuisse per Eliezerum legem figurari et Rebeccæ partum per legem publicatam designari.

Et his te adjuvante, Domine, taliter enucleatis videtur mihi in hac præparatione populi ad publicandam legem figurari partus Rebeccæ per promissiones tuas populo factas in præcitatis versibus. Vere enim nonnisi peculum tuum dici poterat populus Israel, quem in fortitudine brachii tui eduxisti, amplificasti et dilatasti, custodivisti et magnificasti ita, ut omnes promissiones temporales in eo impletæ fuerint. Sed regnum sacerdotale et sanctitas non potest convenire illi, sed illi populo, qui ungitur in regale sacerdotium in baptimate et veri sacrificii hostiam omni die offert tibi pro peccatis. Huic characteri convenit sanctitas, et in hanc sanctitatem cadit æterni regni et bonorum spiritualium promissio.

Conjunctæ videntur in his textibus hæc promissiones, ut repræsententur gemelli in eodem utero concepti et simul nati, sed examinata promissionum natura patet disparitas. Expressio et sensus unius est metaphoricus et temporalis, nihil enim stricte et litteraliter sumptum peculum tuum esse potest præter temet ipsum. Sensus autem alterius in litterali sensu solummodo potest verificari, cum regnum tuum conveniat esse æternum et sacerdotale, ut æterni regni tui incolæ sint in æternum sacerdotes et hostiæ tui sacrificii se tibi incessanter offerendo et sic æternum adorationis homagium præstanto. Hic est Jacob, quem dilexisti, alterum autem tamquam Esau ab æterno odio habuisti. Hic fuit rufus victimarum sanguine conspersus et tot per se inutilibus et infructuosis observantiis pilosus. Et quis est, qui dicere potest huic ex justitia demptam benedictionem misericordi promissione præcedente alteri non fuisse datam ex justitia?

(7) Venit Moyses et convocatis majoribus natu populi exposuit omnia, quæ mandavit Dominus. (8) Respondit omnis populus simul: Cuncta, quæ locutus est Dominus, faciemus. Ecce, nascuntur gemelli, sed unde? Ex spe promissionum harum, quam quia populus concepit, cuncta, quæ dixit Dominus, se facturum promisit. Sed quis adduxit hanc spem? Mandatum Domini seu lex. Moyses enim [41:] exposuit cuncta, quæ mandavit Dominus. Ecce, Eliezer, cui mox in subsequentibus adjungentur cameli onera portantes et donaria aureæ armillæ et complures promissiones temporales spei tamquam Rebeccæ datæ. Hæc est prima divisio filiorum Isaac seu promissionis, quam subsequetur subdivisio filiorum Liæ et Rachel seu veteris et novi testamenti. Filii promissionis repræsentantur et fuerunt gemelli, filii testamentorum divisi et in diversas families repartiti, prout jam de his dictum est. (9) Refert tibi,

Domine, Moyses responsum populi, ut demonstres te nihil violenter agere cum homine, sed illum promissionibus ex misericordia factis ad ipsum bonum suum libere et suaviter alicere (9) promittis, Deus, te venturum. Ad quem? Ad Moysen. Quomodo? In caligine nubis. Ad quid? Ut audiat populus te loquentem ad Moysen et credat ipsi in perpetuum.

Veritates hæ sunt respectu populi Israel, sed magna in se continent in vero Moyse, Christo patefacta mysteria. In isto venit enim Deus in caligine humanitatis, ut credat homo in perpetuum, et hæc vox, quæ pro Hebraica expressione sumitur, perfunctorie lecta hoc mysterium revelat, nec verificari potest in alio sensu in Moyse, cui non tantum populus in perpetuum non credit,<sup>a</sup> sed nec ipse Moyses in credendo fideliter perseveravit. Sed verificatur divine in Christo, cui credet in perpetuum populus, cuius ille duxtor est.

O Deus, Creator meus, quam mirabilia sunt opera tua, in quorum attenta consideratione fac, quæso, ut in humilitate attonitus perseverem! Repperi enim hactenus complures apparitiones, in quibus apparere dignatus es hominibus, inter quas jam per gratiam tuam connotavi postremam in rubo ardente fuisse ceteris manifestiorem, sed hic longe alia sunt mihi consideranda, quæ natos gemellos seu filios temporalis et spiritualis promissionis concernunt. In hoc monte deserti Arabiæ manifestasti et te Moysi et nunc populo, procul dubio, ut agnosceremus 1º totum genus humanum tam plenum fuisse iniquitate, ut inter illos manere nolueris, 2º ut appareat te quodammodo expulsum fuisse per peccatum et tandem misericordia tactum descendisse de novo inter populum, quem elegisti tibi in peculium, 3º ut per objecta visibilia figeres vagas cogitationes cordis populi de exsistentia deitatis tuæ, ut assuescat credere illa quoque, quæ non videt, 4º ut solidius instituatur spes in cordibus illorum per impressionem visibilis majestatis et sensibilis existentiæ tuæ, 5º prout ipsem dicis, ut credant Moysi, et demum 6º, prout mox ipse Moyses declarabit, ut impressione timoris concepta perseverent in mandatis tuis, sed hæc omnia oportuit peragi in deserto, quia non nisi populo tuo ad hæc noscenda electo voluisti manifestare illa.

A peccato Adami hucusque modis sensibilibus manifestasti primo misericordiam [42:] tuam in conservatione Noe cum tam exiguo numero familiæ suæ, sed hic ordiris proprie opera misericordiæ tuæ erga totum genus humanum, et descendis in caligine, ut habites et maneas cum populo tuo in obscuritate, donec advenerit tempus gratiæ et misericordiæ respectu totius generis humani, ut descendas in corda hominum per gratiam tuam et maneas cum ipsis in perpetuum. Hic incipiunt igitur opera misericordiæ tuæ, quorum concatenata series semper clarius et clarius fecit te cognoscere, timere et tandem diligere te. Omnes igitur circumstantiæ, omnia propositum verba mysteriosa sunt procul dubio in his, quæ mihi Scriptura repræsentat, et credo referri ad illa, quæ facturus eras.

(10) Jubes, Domine, Moysi, ut descendat ad sanctificandum populum hodie et cras laventque vestimenta sua, (11) et sint parati in diem tertium, in quo descensurus eras coram omni plebe. Scio, Domine, sanctificationem, quam præcipis, hic ad purificationem reduci et purificationem ad lotionem vestimentorum referri. Hoc enim et subsequens textus (14) clarius exprimit. Sed cum omnia hic acta mysteriosa sunt,

<sup>a</sup> Correxit fortasse ex credit

fors non errabo, si dixerim te voluisse, ut se populus per desiderium te videndi et audiendi vocem tuam sanctificet, cum in genuino sensu futura sanctificatio per hoc opus gratiae tuae suum exordium sumere debuit. Lotio porro vestimentorum futurum baptismum Joannis in paenitentiam designavit, quae respectu hominis interni non nisi lotio vestimentorum fuit, cum non nisi opera externa paenitentiæ præsupposita desiderii sanctificatione requisiverit. Nec igitur secus se habuit respectu animæ, sicut vestimenta se habent respectu corporis. Moyses hic mittitur, ut præstet repræsentando, quae verus Moyses et missus præstiturus erat ex operando.

Ad hæc autem perficienda tres dies concedis, Domine, per quos tres annos conversationis Filii tui designatos fuisse reperio. Tunc enim apparuit Dominus in Monte Calvariæ coram omni plebe. (12) Mons erat mysterium, quod ibi agendum erat, ad quem nemo ultra terminos præfixos ascendere debet, nisi morte moriturus. Quæ duplicitis mortis designatio damnationem corporis et animæ exprimit, et hunc mysterii crucis montem ne ultra (uti dixi) terminos ascendamus, cautum est. (13) Non tangit illum manus, quae secus facit, sed tot ac tantis erroribus tamquam lapidibus obruitur aut jaculis justitiæ tuae confoditur.<sup>a</sup>

Hæc sunt, quae mihi referri videntur designantia illa, quae futura erant. Hæc in Monte Sinai agebantur in repræsentatione majestatis, quae futura erat in exinanitione Deitatis. Sed, o Deus incomprehensibilis nimis in operibus tuis, quo major fuit in Monte Sinai gloriæ tuae manifestatio, eo profundior facta est in oculis carnalibus populi tui subsecuta in Monte Calvariæ Dei Hominis humiliatio. Respiciebat prima filios promissionis [43:] terrestris et temporalis, quos sensibus eorum proportionatis objectis repræsentatis ad spem erigere voluisti. Concernebat altera filios promissionis spiritualis, quos objecto tantæ humiliationis spe dilectionis præmiare et per illam in hac ducere decrevisti. Clangor buccinæ invisibilis in Monte Sinai præsentiam tuam manifestans populum accersivit. Voce solis offuscati, voce tenebrarum et terræ trementis ad adorandum Deum Hominem totum genus humanum vocasti.

Tam stupenda, tam adoranda, tam diligenda fuerunt, o Deus, in hoc et in altero monte opera tua, ex quibus combinatis appetet, quomodo processeris in ducendo homine ad agnitionem tuam. Repræsentasti gloriæ tuae majestatem, ut agnoscamus humilitatis bonitatem, ut illa esset timoris objectum, quo carnis populus duceretur. Hæc dilectionis fundamentum, per quod perveniret ad te genus humanum, (14) descendit Moyses ad populum, sanctificavit illum, cumque lavisset vestimenta sua, (15) ait ad eos: Estote parati in diem tertium, et ne appropinquetis uxoribus vestris! Observavi, Domine, te in præcedenti (10) versu sanctificationem et vestimentorum lotionem præcepisse, sed postremum (certo tempore lege mox statuendum, necdum tamen statutum), cur hic Moyses populo præceperit, aliam rationem non repperit ignorantia mea, nisi ut edoceamur etiam ipsos actus licitos carnales et sensuales nos vitare debere, dum ad te accedere volumus.

(16) Jamque advenerat tertius dies et mane inclarerat etc. Omnia appropriata sunt hæc spectacula, quae exhibes, Domine, populo tuo, et ipsæ adventus tui circumstantiae statum futurum populi designant; tonitrua publicandam legem, fulgura veritates quasdam inter figurarum tenebras fulgoris tantummodo adinstar lucentes, nubes densissima ipsam figurarum obscuritatem, clangor buccinæ perstrepentis voces

<sup>a</sup> -o- cum correctione

prophetarum repræsentabant, et in his consistebat incomprehensibilis et invisibilis majestatis ac potentiae tuae in elementa sensibilis repræsentatio, caliginosa cognitio, ex quibus natura humana sibimet ipsi relicta nonnisi timorem concipere poterat.

(17. 18) Totus Mons Sinai fumabat eo, quod descendisses super eum in igne, et ascenderet fumus ex eo quasi de fornace eratque omnis mons terribilis. Sed ex his non colligo, num populus ignem viderit, unde in consequenti prolatorum confirmante me præcitatō versu, (9) in quo te in caligine venturum edixeras, et hic Scriptura similitudinem fornacis refert populum ignem non vidisse, sed tantummodo fumum imaginor, et sic exprimitur in hac visione, quomodo veritas latuerit in obscuritate figurarum, quae nobis manifestanda erat te semper et ipsis et nobis invisibili permanente. Ignis enim latebat in caligine et fumo, et tu eras in igne. Taliter hæc acta fuere in visione Israelitarum, [44:] sed in visione nostra caligo divinitatis est Christi humanitas, ignis in humanitate latens est veritatis charitas, et in hac charitate latet nunc nobis occultata divinitas. Visibilis fuit humanitas, visibilis in cruce charitas, sed invisibilis supermanet in hac vita divinitas.

(19) Quo magis appropinquabant tempora, paulatim crescens in majus et prolixius tendebatur buccinæ prophetarum sonitus. Moyses loquebatur, Deus repondebat: ecce, status populi Hebræi; (20) descenditque Dominus super montis verticem, et vocavit: ecce, status populi Christiani. Descendit Deus, et vocavit Moysen seu humanitatem in incarnatione, et hunc Moysen misit, (21) ut diceret humano generi, ne mysteriorum sibi revelatorum montem ultra terminos ascendat ad videndum Dominum, ne pereat ex eis plurima multitudo. (22) Sacerdotes hic nominantur, quamvis sacerdotium legis necdum institutum fuerit, ut designetur clarius, quod prout sacerdotes a Moyse instituti ad montis verticem ascendere prohibentur, ita et sacerdotes legis arcebuntur.

(23) Videtur hic mihi repræsentari Moysis Hebraici humana fragilitas dicentis ad vocem Dei descendere jubentis: Ad quid descendam, ut hoc novum mandatum tuum, Domine, reiterem? Jam enim tu testificatus es, et jussisti, ut ponerem terminos et sanctificarem populum, quod jam feci. Nec amplius poterit publicato iam edicto ascendere, (24) sed oportuit Moysen descendere, ut repræsentaretur futura veritas jubeturque ascendere montem et secum assumere Aaron, ut repræsentaretur oportuisse Christum descendere in caligine humanitatis ad populum, ut ascendens montem Calvariae secum assumat characterem sacerdotis per Aaron repræsentatum. Prout enim Aaron cum montem ascenderit, sacerdotium necdum habuit, ita et in suo sensu intellectus nostri debilitati appropriato fors potest dici nec Christum fuisse sacerdotem, dum montem Calvariae ascendet, sed sacerdotium, quod in cena sacramentum instituens coram discipulis exercuit,<sup>a</sup> in oblatione cruenta<sup>b</sup> corporis humani in facie cœli et terræ<sup>c</sup> manifestavit, quamvis illud habuerit in sensu illo, in quo Agnus ab origine mundi occisus fuit. Repetitur tamen in textu: sacerdos autem et populus ne transeat terminos etc., ut clarius designetur non sacerdotio et populo Judaico hoc dandum fore, ut ad Dominum ascendat, sed sacerdotio secundum ordinem præstantiorem et populum, ut omnia narraret illis; sic descendit Christus de Monte Calvariae crucis, ut omnia scriberentur cordibus nostris.

<sup>a</sup> quod exercuit: supplevit in margine

<sup>b</sup> Supplevit cruenta supra lineam

<sup>c</sup> in terræ: supplevit in margine

Scribe igitur, o Christe, Redemptor meus, in cor meum legem tuam, quæ charitas est! Perifice opus tuum, quod inchoasti in me, et si convenit gloriæ tuæ, fac me loqui magnalia tua! Fac me semper reperire te in Scripturis, cum de te scripserint Moyses et prophetæ. Tu fuisti objectum, tu finis omnium, quæ Pater fecit a mundo condito, tu fecisti per te, et propter te facta sunt omnia. Tu proinde, qui plasmasti me, fac, ut vivam per te, moriar tecum, ut vivam in te in æternum!

[45:] SUPER CAPUT 20., 21., 22., 23<sup>um</sup>

Impresseras, o Deus, Creator hominis, legem veritatis in cor creaturæ tuæ, quam ad imaginem tuam creaveras, et hanc semper retinuit, et propterea lex naturæ appellatur. Hæc jubet alteri non facere, quod nobis fieri nolumus. Sed postquam primus homo per peccatum a te devians,<sup>a</sup> posteritas ejus servus peccati facta est, cupiditas, quæ omnia agit pro se, hanc veritatis legem ita corrupit, ut genus humanum devians<sup>b</sup> ab illa, soli electi tui per misericordiam tuam ab universalis corruptione præservati vixerint in illa, donec tandem fide Abrahami in justitiam reputata<sup>1</sup> ex misericordi promissione tua semen ejus elegisti in populum (aut prout te dixisse supra annotavi), in peculium tuum, et ex hac ratione, ecce, bonitas tua legem dare decrevit ipsi, ut sit tibi in populum, et tu ipsi in Deum.

Et hanc legem in moralem et cærimonialem subdividi fecit me agnoscere misericordia tua. Lex moralis, quæ ad conductum morum spectat, verum sensum prædictæ legis naturæ et veritatis tuæ in charitate fundatae declarat et extendit. Lex cærimonialis cultum tuum respiciens veritatem veri cultus tui figurat, spem redemptionis confirmat et in obscuritate sua Salvatorem demonstrat. Ducere debuit hæc et illa ad illum, ut per illum populus tuus ducatur ad te. Hic fuit effectus misericordiæ tuæ erga illum, sed effectus corruptæ naturæ ejus effecit, ut hanc ipsam legem loco Salvatoris statuens sibi justitiam in operibus legis quaesierit, figuras pro veritate statuerit, verum Salvatorem præterierit, et taliter per suam spem illusorianam deceptus fuerit.

Prævidisti, Domine, hæc futura, et ideo, ut satisfiat justitiae tuæ, legem tuam populo liberæ voluntatis per Moysen, mediatorem exposuisti et denuntiasti, uti jam connotavi, promissionibus tuis liberum consensum ejus requisivisti; et eo processit bonitas Creatoris erga creaturam suam, ut pactum cum illa statuere voluerit. Observavi, Domine, per gratiam tuam cum Abrahamo quoque duplex pactum tuum intercessisse. Primum, quod concernebat promissiones temporales et promissionem terræ Chanaan in sanguine victimarum, alterum, quod sub figuris concernebat benedictionem omnium gentium in semine ejus et possessionem terræ viventium, in sanguine humano per circumcisioñem effuso confirmatum. Sed unius et alterius longe differens est ratio ab illo, de quo hic (cap. 24) agitur. Abrahamo enim nihil exigendo promittis ex justitia misericorditer datæ fidei, hic autem populo exigendo promittis dicens (supra cap. 19. v. 5): Si ergo audieritis vocem meam et custodieritis pactum meum etc.

<sup>a</sup> Nota structuram (gérondif!)

<sup>b</sup> Nota structuram (gérondif!)

<sup>1</sup> Cf. Gen. 15.6.

Fidelis es in promissionibus tuis, Domine; non [46:] potuisti non recordari seminis Abraham, quia promisisti, et ideo, prout jam dixi, misericors promissio conversa est in justitiam, quam gratuitate data fides obtinuit, sed eadem justitia tua exigente<sup>a</sup> quodammodo non potuisti non punire populum, qui condiciones pacti tui non adimplevit. Eo tamen non obstante promissio tua Abraham facta effectuata est, quia illam semen Abrahami in Christo et per Christum obtinuit. Verum est non potuisse legem tuam salvare, nec enim ideo dedisti, ut salvaret, sed ut ad Salvatorem duceret, et ideo te docente dixi legem spem solummodo dedisse, quæ fidem per Salvatorem datam ad salutem obtinuisset, si in legis justitia, id est, in operibus legis spem solummodo suam, non fidem collocassent. Tunc enim eandem, quam electi ab origine mundi habuerunt, anticipatam ex meritis Christi fidem obtinere potuissent. Hæc spes reddebat sanctos sub lege viventes tam fideles in observantia legis, non ut per eam salvarentur, sed ut his pellibus induiti per extrinsecam repræsentationem Esau benedictionem seu salutem obtinerent in Christo et per Christum. Hanc peregrinationem eorum sub lege (tamquam in domo Laban) figuravit peregrinatio Jacob, qui quamvis benedictionem prævie obtinuit, ut hæc exprimerentur, peregrinatus est.

Ex his apparet spiritum legis spem in Redemptorem fuisse, et sine hac litteram onus grave fuisse, quinimmo et occidisse, quia sine spe prædicta causa fuit lex, quod sequaces litteræ spem suam in falsa justitia operum suorum collocaverint. Et hi fuerunt Esau, qui primogenita sua pro edulio rufo sacrificiorum in hoc spiritu factorum vendiderunt.

Clare me instruere dignaris, Domine, nunc de hac veritate, quam in contemplatione Genesis magis involutam rettuli credens hanc figuram in Josue et Chaleb impletam fuisse, sed cognosco te illuminante modo nunc relato distinctius explicari posse. Sit igitur tibi laus et gloria et de his, quæ nunc dedisti, et ex ipsa debilitate<sup>b</sup> et ignorantiae tenebris, quæ has veritates,<sup>c</sup> quamvis in hunc sensum redigibiles tunc clarius explicare non valuit. Ex his me agnoscere facis, Domine, veritatem doctrinæ Apostoli, quam te adjuvante semper credidi, sed tam distincte capere non potui, quomodo lex fuerit causa peccati, quomodo salvare non potuerit. Ex his, inquam, apparet aut potius confirmatur, quod in præcedenti capite rettuli super (v. 5) populum Israel omnino solummodo peculium fuisse præ certis omnibus nationibus terræ, sed regnum sacerdotale ex illis electis tuis constitutum fuisse, qui figuras sacrificiorum in spe veri sacrificii offerebant tibi. Illi enim per spem in fide vere sacrificabant tibi, sed his non obstantibus tantummodo segregabantur in salutem, quia Apostolo docente omnia conclusa fuerunt sub peccato.<sup>1</sup> Non fuit integra eorum salus, [47:] antequam veritas sacrificiorum impleta et verum sacrificium peractum fuisse per sacerdotem secundum ordinem Melchisedech, cuius sacerdotium Aaron solummodo figura fuit. Unde denuo apparet legem nullo modo salvare potuisse et ipsummet spiritum legis imperfecte salvasse, sed ad salutem tantum disponere, ducere, sed perducere non potuisse.

<sup>a</sup> Correxit ex- ex ?

<sup>b</sup> Correxit ex *debilitate*?

<sup>c</sup> Correxit ex *virtutes* (?)

<sup>1</sup> Cf. Gal. 3,22.

Agnosco proinde respectu jam dictorum Moysen omnino figuram Christi fuisse, sed jam accepta lege ignoro, Domine, quid debeam dicere, donec dignatus fueris docere me. Quod proinde legem in prænotatis capitibus scriptam attinet, agnosco non esse instituti mei contemplari versiculatim, cum illa vel per legem novam jam aboleta, vel per evangelium, quod perfectio legis est, perfectius docentur. Lauderis itaque et benedicaris pro omnibus tuis tam justis et communi vitæ mundanæ hominum tam adæquatis legibus, per quas homini demonstrare dignatus es, quæ sunt opposita veritati et charitati tuæ, quæ vitare debet et quæ sunt conformia illi, quibus ut se conformet, præcipis. Veritatis enim est proprietas, quæ bona sunt, declarare, charitatis est, quæ mala sunt, inhibere. Ex his consistit, o suprema veritatis charitas, universa lex tua, quam homo ante demeritam gratiam sub servitute peccati adimplere non potuit. Ideo dixit Salvator noster, Christus non venisse<sup>a</sup> solvere legem, sed adimplere.<sup>1</sup> Hominem Deum esse oportuit illum, ut Dei veritatis et charitatis legem exemplo doceat et adimpleat. Hinc appetat legem adimplere esse veritatem in charitate sequi, quod idem est ac Christum imitari. Ille est finis et objectum legis, quia veritas est in charitate patris. Hinc legem solvere nec voluit nec potuit, in quantum illa in veritate et charitate Patris fundata fuit.

Hæc sunt, quæ de lege morali dicta sunt. Lex enim cærimonialis longe aliter consideranda est; quamvis enim et illa ex eodem fonte veritatis et charitatis tuæ, Deus, emanaverit, quia hanc et illam tantummodo indicavit et figuravit, posteaquam veritas et charitas per meritum passionis cordibus hominum insculpta fuit, subsistere nec potuit nec debuit, quia peccato (quod in cordibus hominum regnabat) deleto, sublata causa (propter quam veritas et charitas videri non potuit) sublatus est effectus, quem peccatum causaverat. Hinc non erat necessarium, ut Christus mandaret onera legis seu legem cærimoniale abrogari. Sufficit enim descensus Spiritus Sancti, per quem charitas confirmata et veritas insculpta est in cordibus fidelium, ut cœtus illorum cum apostolis congregatus diceret: Placuit nobis et Spiritui Sancto etc.<sup>2</sup>

Sic delevit veritas figuram, sic fugavit charitatis lucens ignis umbram, quam peccatum causaverat. Demonstravit, docuit, manifestavit Christus veritatem, insufflavit Spiritum Sanctum, Spiritus charitatis insculpsit in cordibus, quia illam amare fecit. Aliud enim est cognoscere steriliiter, aliud est amare veritatem. Haec impressio amoris confirmata data est [48:] apostolis per descensum Spiritus Sancti in forma ignis, hæc confertur hodieum per sacramentum confirmationis, quod confirmat in veritate, quam recipimus in baptimate. Non aguntur hæc per distinctum veritatis et charitatis Spiritum, qui unus idem est, sed per distinctam operationem et differentem charitatis gradum. Ubi enim est veritas tua, o Deus, ibi est charitas, quia nequit vere cognosci veritas tua, quin ametur vel saltem in aliquali gradu. Hinc quo plus cognoscitur, eo plus amatur. Deum ergo confirmas in veritate per sacramentum, et plus cognoscere et plus amare das, quia in veritate et amore confirmas. Hinc Spiritus Sanctus docuit omnia, quia confirmando amare fecit veritatem, quam tu manifestasti, Jesu mi. Hinc credere veritatem in charitate suprema lex est in corda filiorum Dei insculpta, et omnem perfectionem continet. Hi enim sunt, qui non ex sanguini-

<sup>a</sup> venisse sc. se

<sup>1</sup> Cf. Matth. 5,17–18 sim.

<sup>2</sup> Cf. Act. 15,28 sim.

bus, neque ex voluntate viri, sed ex Deo nascuntur.<sup>1</sup> Credere veritatem in charitate est te, o Sanctissima Trinitas, in corde habere et tecum uniri. Cognoscere das, o Pater, veritatem seu Filium, et veritatis agnitione producit amorem veritatis seu Spiritum Sanctum, et quo plus augetur cognitio veritatis, eo major efficitur dilectio charitatis. Fac igitur, o adoranda Trinitatis veritas, te plus cognoscere, ut plus diligamus, da<sup>a</sup> te diligere, ut te plus cognoscam.

Legis tuae, Deus, essentia taliter per gratiam tuam enucleata redeo, Domine, te ducente ad statum populi tui contemplandum, et ex iam prolatis adhuc clarius manifestas mihi, quod ante eliberationem hominis e servitute peccati nequit homo habere luminosam cognitionem veritatis et per consequens nec diligere potuit illam, quia non cognovit. Legem dedisti in tabulis, sed non in cordibus scriptam, quae continebat veritatem, sed quia haec cognitio legis in tabulis scripta erat tantummodo extrinseca, ideo nequivit esse salutifera per se, sed tantummodo ducere debuit ad cognitionem veritatis intrinsecam. Hinc extrinseca manifestatio tua, o Deus, in monte Sinai extrinseca manifestationem veritatis produxit, et haec extrinseca manifestatio fuit figura extrinseca seu, ut me melius exprimam, visibilis manifestationis veritatis tuae subsecuturæ per hominem (ut ita dicam) intrinsece Deum.

Tria proinde fuerunt necessaria ad salvandum hominem seu uniendum cum Deo: incarnationis veritatis, sacrificium corporis humani, resurrectio seu glorificatio ac manifestatio veritatis. Primum ad docendam veritatem, secundum ad satisfaciendum iustitiae Dei, tertium ad manifestationem veritatis. Hinc oportuit esse testes resurrectionis, videri, palpari post eam Christus, ut manifestetur veritas modo hominum captui sensibili, et sic rediit, unde venit, ad Patrem videntibus discipulis elevata incarnata veritas, manet tamen in cordibus fidelium per Spiritum veritatis, cuius esca est realis caro veritatis, quae nutrit veritatem in cordibus nostris, sanctificat corpus in veram resurrectionem, ut in veritate, per veritatem et cum veritate uniamur Deo, et vivamus in charitate [49:] in æternum.

His proinde per gratiam tuam taliter consideratis manifeste appareat differentia fidei sanctorum patrum veteris testamenti et populi promissionis temporalis et promissionis spiritualis. Cum enim fides consistat in cognitione veritatis, non verebor dicere sanctorum patrum cognitionem veritatis revelatam, prout sunt revelationes propheticæ, sed sterilem per se ad perfectam salutem populum Israëliticum cognitionem veritatis scriptam habuisse, ut ducantur ad veritatis cognitionem, quam dedit incarnata veritas per Spiritum veritatis filiis Dei, populo nempe promissionis æternæ.

Tu vides, o Domine, nolle me per haec dicere contrarium illis, quae jam protuli: fuisse legem veritatis scriptam in corde creaturæ ad imaginem tuam creatæ, quam per peccatum non amisit, sed in lege naturæ retinuit. Nec nunc aliud dicam, sed haec lex, prout dixi, per concupiscentiam ita offuscata fuit, ut in illo statu reprobationis, de quo jam balbutivi, non nisi cognitionem illius veritatis habuit, quod tu, Deus, exsistias, et ideo te in objectis sensibilibus semper quæsivit, sed reperire non potuit. Et ideo reprobationis hujus status non in illo consistebat, ac si hominem per absolutam voluntatem te cooperante damnare voluisses (hoc enim proferre impium foret), sed quod in pœnam peccati clariorem revelationem veritatis non dederis. Et ideo

<sup>a</sup> da sc. mihi (cf. Ms. fr.: donnez moy)

<sup>1</sup> Cf. Ioan. 1,13.

quia te non cognoverunt, nec illa portenta tua, qui viderunt, crediderunt, populo tuo autem, quia te sensibiliter manifestasti, ideo quæ sensibilia et visibilia fuerunt, crediderunt, quia legem scriptam visibilem habuerunt, et hic fuit status naturalis. Sed in statu, in quem per gratiam tuam elevatus est homo, et ipsi infideles, qui a veritate quocumque modo recesserunt, longe distinctiorem cognitionem veritatis retinent, quam illi habuerant, qui ante demeritam hanc gratiam notionis veritatis sine lege vixerunt. Et hinc agnoscimus te veritatem æternam pro omnibus venisse in mundum, pro omnibus satisfecisse, te omnibus manifestasse, sed te non in omnium corde æqualiter impressam et confirmatam fuisse.

Hæ sunt, Domine, manifestationes differentes veritatis, quæ te respicit, sed supererat<sup>a</sup> adhuc manifestatio veritatis, quæ hominem concernit. Ut te, Deus, creatura noscat distinctius, oportuit, ut et se cognoscat. Concupiscentiæ et legis duræ peccati proprietas est se amare et quærere in omnibus et ideo omnia pro se facere. Oportuit igitur hominem sibi ipsi monstrare, ut dum se nihil posse agnosceret, ad te, Deus, eo ardenter recurreret et remedium mali eo ferventius quæreret. Et hanc veritatem ut demonstres, Domine, populo, lex data est, quæ illum tot impuritatibus aggravavit, hæ autem quanto in observantia leviores et faciliores videbantur, tanto difficiliores esse manifestabantur per continuas transgressiones et purificationum necessitates. Onera enim fuerant intolerabilia superbiæ naturali hominis et concupiscentiæ ejus, ut quo sæpius caderet, eo frequentius suam agnoscens infirmitatem liberari desideraret per illum, quem venturum speraverat.

Sed hæ quoque impuritates legales figuræ fuerant impuritatum nostrarum spiritualium, quas illi noscere non potuerunt, quia stolam candidam in sanguine Christi dealbatam<sup>1</sup> et filiis Dei in charitate gestandam datam necdum [50:] receperant, in qua vel minimæ sordes apparere solent. Per hanc igitur cognitionem infirmitatis duci debuerant ad humilitatem, quam Homo Deus tamquam veritatem hominem concernentem exemplo suo demonstraturus erat, sed populus carnalis nec hanc veritatem agnovit, ipsum enim Christum, veræ humilitatis exemplum propter humilitatem contempsit. Populus autem, qui per gratiam vocatus Redemptorem suum in humilitate agnovit, hanc quoque veritatem se concernentem edoctus figuræ sepuit, sed de veritate misericordiarum et infirmitatum suarum in spiritu veritatis gemere non cessat, sed a veritate incarnata sibi demonstratam viam, crucem suam bajulando et illam præeuntem sequendo calcat in patientia.

Hæ sunt, o Domine, quæ te adjuvante de lege morali observata connotavi, sed de lege cæremoniali adhuc ad plura eloquenda petam gratiam tuam. Quamvis enim omnibus, quæ de his et de illis, quæ jam rettuli, legi in sapientiorum me scriptis et sanctorum patrum explicationibus adhæream, adhuc tamen escam quæro, quia me esurire facit gratia misericordiæ tuæ. Quia ergo denuo famem reduxisti, quomodo possem cessare petere panem a te?

(18)<sup>b</sup> Cunctus populus videbat voces et lampades, audivit sonitum buccinæ viditque montem fumantem, et hæc fuere objecta pavoris ac timoris sensuum ejus. Quam differentes sunt visiones hæ ab illis, quas Deus Homo incarnatus ex dilectione descendens et dilectionem hominis desiderans exhibuit nobis! Ista te, Deus, manifesta-

<sup>a</sup> Supplevit -er- supra lineam

<sup>b</sup> Ante (18) in margine: Cap. 20.

<sup>1</sup> Cf. Apoc. 7,14.

vit ut Patrem, coram cuius caliginoso aspectu tremens populus dicebat: (19) Loquere tu nobis, et audiemus, non loquatur nobis Deus, ne forte moriamur! Terribilis appares, o Deus, populo tuo, sed in hoc ipso terroris argumento misericordiam et bonitatem tuam vidisset populus, si claram et plus quam in sensu suos cadentem notionem veritatis habuisset. (20) Nam tum sensisset te ideo terribilem apparere, ut illum præservares a peccato.

Verum hinc agnosco omnia hæc pro instructione nostra facta fuisse, ut illis te non diligentibus terribilem fuisse noscamus, quia veritatem tuam non neverunt, dilectionis gratiam necdum habuerunt. Illi idcirco petierunt, ne tu loquaris illis, et nos per gratiam tuam adjuti dicimus et te rogamus, ut loquaris tu nobis, non Moyses et prophetae. Illi steterunt a longe (21), nos autem dignaris invitare, ut ad te accedamus, qui laboramus et onerati sumus.<sup>1</sup> Novit omniscia bonitas tua interiora populi, et ideo non suffecit tibi primo edicto tuo mandare, ne sibi faciat populus deos aureos et argenteos, repræsentas denuo (22) vidisse illos, quod de cælo locutus fueris, (23) et propterea non debere sibi deos fingere super terram.

(24) Quod porro in hoc et subsequentibus hujus capititis versibus mandare dignaris, credo, Domine, te mandasse de altari ad interim tibi ædificando, donec mandatum tuum accipiant de exstremo mysterioso illo tabernaculo et altaribus, per quæ figurare voluisti veritates nobis revelatas. Ne ergo sequantur interea quoque gentium figmenta, tu, Deus, qui summa simplicitas es, in cultu quoque tuo simplicitatem requisivisti in altari terreo aut e lapidibus [51:] rudibus constructo; et quia hic cultus figuralem in subsequentibus institutum cultum præcessit, fors referri potest ad cultum adorationis simplicem, quia internum, quem populo tuo spiritualium bonorum heredi præcepisti.

Quam justa, quam accommodata sunt statui suo præcepta, quæ in sequentibus capitibus dare dignaris populo Israel, quæ novis promissionibus tuis concludere dignaris, ut nihil desiderare possit ad temporalis vitæ suæ felicitatem! Omnia, quæ Scriptura refert a (cap. 23. v. 20) usque ad finem, referri possunt tamquam figuræ ad subsecutas veritates in sensu spirituali. Excellentiorem nobis dedisti angelum, cuius vocem audire præcepisti. Hinc te in omni cordis mei humilitate rogare non cessabo, ut mihi vires dare digneris ad audiendam vocem ejus, ut in patientia et charitate sequar illum durante peregrinatione mea super terram!

#### SUPER CAPUT 24.

Parce, Domine, ignorantiae meæ, si in primis 4 versibus contentas figuræ suis veritatibus applicare non quæro supponens contenta in illis solum populum concerne. Fateor enim insipientiam meam; quodsi Apostolus tuus non revelasset sacrificium, quod Moyses (5) per juvenes missos ad immolandum obtulit, figurasse novi testamenti sacrificium illud in suo adorando mysterio ineffabile, ex omnibus circumstantiis illius credidisse non posse ad illud referri. Illud enim nec ipse Moyses (quem hactenus Christum figurasse te adjuvante observavi) obtulit, sed per selectos juvenes (nec scio, an sacerdotes) offerre jussit, et formale pactum inter populum et

<sup>1</sup> Cf. Matth. 11,28.

te, Deum continet, quod inter populum tuum ex misericordi promissione tua ad fidem vocatum non intercessit. Propterea sacrificium crucis, per quod genus humanus ex captivitate Dæmonis et populus ex servitute legis liberatus est, per immolationem agni paschalis repræsentatum fuisse credidisse, in eo enim nullum intercessit pactum, sed pure gratuita appetat misericordia tua, per quam conservatos voluisti illos, qui sanguine illius postes suas illiniverunt.

Scio quidem omnia sacrificia hanc veritatem indicasse, dixisse tamen cetera quodammodo quotidiana memorialia fuisse sacrificii, sed phase Domini solam fuisse figuram repræsentativam, ad quam celebrandam omnis populus convenire debet. Sicut nunc quoque semper communicantes in memoriam passionis sacramentum sumimus, mortem tamen Domini et memoriam passionis<sup>1</sup> proprie in sacrificio missæ annuntiat et repræsentat Ecclesia. Sed Apostolo [52:] docente silet mea ignorantia et debilitatem suam agnoscens doctrinæ ejus se submittit cogitationibusque suis impositos limites transcendere nolens sibi silentium imponit. Quodsi sensui meo adhærere vellem, possem dicere Apostolum in epistola sua ad Hebræos cap. IX. v. 18. non specifice tantum de hoc sacrificio locutum fuisse, sed de omnibus cruentis sacrificiis, per quæ fiebat expiatio, cum de aspersione voluminis legis et tabernaculi per Moysen facta loquatur, sed tabernaculum necdum constructum fuit, dum Moyses hoc sacrificium, de quo hic agitur, obtulit, sed similes dissertationes non decet meditationibus privatis immiscere, ad quas textuum et sensus combinationes requiruntur, sed nec in alio spiritu fiunt plerumque, nisi in confirmationem sensus proprii.

Confido, Domine, in gratia tua me hactenus, quamvis extraordinario modo non ordinaria scripserim, non tamen aberrasse a sana doctrina, nequeo tamen esse, quin tremat et timeat cognita mihi ignorantia et debilitas mea scribendo meditans de tam altis mysteriis et a tot sanctis patribus et scriptoribus tractatis, de quorum doctrina et sententiis miser ego omni memoria et scientiæ tinctura carens vel multum superficialem vel plane nullam notionem habeo. Quo plus progredior per gratiam tuam, eo plus ventillata et explicata occurront. Hinc te, Domine, in omni humilitate oro, ut vel mentem meam ab opere in confidentia luminis tui incepto revocare velis, vel lumen dare dignare.

Ex consideratione enim jam relatorum et hactenus timui, sed ecce, adhuc plus timeo. Quodsi enim casu ne[c]<sup>a</sup> ante ordinante, nec enim me quærente textus Apostoli præcitatius legendus mihi non occurrisset, ego multa de hac re protulisset, quæ doctrinæ Apostoli opposita apparuissent, in te tamen neutiquam contraria fuissent. Sed fors totum opus similibus involuntariis ignorantiæ meæ erroribus refertum est, quos scio, Domine, quod tua mihi parcer bonitas interiorum meorum conscientiarum. Sed scandalio fors aliquando legentium potero esse occasio. Hæc considerans, o Domine, timeo non judicia hominum, sed occasiones scandalorum. Hoc sentio me non posse meditari, qui scribam, sed nescio, num scripta conservare, num potius comburere satius esset.

Loquor, Domine, in simplicitate cordis mei coram te, instrue, quæso, me! Quodsi enim me sapientiorum in scientiis eruditiorum, in statu vocationis et in vita sanctiorum, ex professione doctorum scripta cum tanta scioltate (non acceptata ipsiusmet authoris explicatione ac submissione in audito ipso) solent censurari, prout factum

<sup>a</sup> Correxī

<sup>1</sup> Cf. I Cor. 11,25–26.

fuisse constat, quid fieri poterit de his, quæ tibi soli in simplicitate cordis absque doctrina, absque eruditione, sæpe absque consideratione relata sunt? Si tamen in his multa gloriæ tuæ prodesse possent, et a te mihi data sunt. Nolle, Domine, te defraudare aut data mihi sepelire. Hinc in tam differentibus cogitationibus, ecce, anxius subsisto. Velle, hæc communicare, [53:] alios me doctiores consulere, sed hominem non habeo;<sup>1</sup> cum quibus enim confero in his, quæ profero, non spiritum, sed terminos aut latinitatis errores censurant, arguant, quæ appropriatis et scholasticis terminis expressa non sunt aut in aliis auctoribus scripta non reperiuntur. Sed his satisfacere non possum, quia scholasticam theologiam penitus ignoro. Si autem aliorum referrem scripta, non meditationes, sed lectiones essent et transcriptiones librorum, hæc autem non nutrit animam meam. Non enim meditor ideo, ut alios oppugnem aut plus sciam vel idem<sup>a</sup> cum approbatis authoribus non sentiam, sed ut modo debilitati ingenii mei proportionato ex fonte veritatis tuæ veritatem hauriam, quia taliter faciens sentio gustum dulcis hujus aquæ et ciborum palato animæ mæ accommodatorum.

Loquere igitur mihi, Domine, et si non sunt gloriæ tuæ aut saluti meæ conformia, fac me nauseare cibum, quo hactenus (te famem meam causante) delectari credidi! Si autem fames mea a te est, defende me a spiritu erroris et lecturos a scandalis, ut tibi et a me, et ab illis præstetur gloria! Arguant, censurent, condemnent me; lubens consentio, cum aliunde sciam nullam me ex bonis in scriptis meis reperiendis mereri laudem, sed te, Deum, a quo bona cuncta procedunt, cui sit laus et gloria in sæculo-rum sæcula!

#### SUPER CAPUT 25.

Redeo, Domine, cum gaudio ad contemplanda arcana Scripturarum tuarum, quia non obstantibus præmissis considerationibus meis sentio, quod voces me, quia animare dignaris me. Loquar igitur tibi libere in humili confidentia, quod errare non permittes me, quia in te solo confidens te quero. Ecce, instituis cultum tuum inter populum carnalem, cui visibiliter manifestasti gloriam tuam, et quia hujus signa proportionata fuere sensibus ejus, hæc quoque institutio cultus tui cadit in illos, et ideo miro ordine operum tuorum ita exigente veritas tua extrinsecus manifestata ex-trinsecum cultum instituit, ut sub hujus velo lateret.

(1. 2) Exigis, Domine, a populo tuo, (sed ut bonitatis tuæ proprietas et voluntatis ejus libertas appareat, ab homine, qui ultroneus offert, accipere jubes), ut intrinseca offerentis voluntas sanctificet oblationem extrinsecam, et sic lateat spiritualis cultus sub figura cultus extrinseci, ut dum ille refertur ad latentem sub figuris veritatem, iste respiciat visibiliter manifestatam majestatam. Sed quid petis, Domine, a populo tuo carnali? Profecto illa, quæ sensibus suis grata fuerunt (3. 4. 5. 6. 7) et quæ natura hominis pro pretiosis<sup>b</sup> reputabat, ut jam tunc demonstrares verum cultum tuum ex libera et voluntaria [54:] spoliatione oblectamentorum sensuum carnalium consiste-

<sup>a</sup> Correxit i ex j

<sup>b</sup> Correxit ex pretiosas (?)

<sup>1</sup> Cf. Ioan. 5.7.

re, et ex inanitione illorum in obsequium tui construi debere (8) sanctuarium cordis puri, in cuius medio habitat invisibilis majestas tua.

Sanctuarium proinde visibile visibilis gloriae tuæ construitur (9) juxta omnem similitudinem tabernaculi, quod ostendisti Moysi, et hujus habitaculum, ut sensu humano et carnali quodammodo proportionatum appareat, (prout dixi), sensibus delectabilem, æstimabilem, gratam et appetibilem materiam requirebat, ut extrinsecum habitatoris repræsentet dignitatem. Tabernaculum et vasa corpus populi spiritualis repræsentant, arca cor illius designat. (10) Hæc arca exstrui debet ex ligno nulli putredini malitiæ subjecto. Hujus mensura ordine tuo, Deus, præfixa est, et longitudo, latitudo ac profunditas decretis tuis conformis, ut gratiarum illi destinatarum capacitetur. (XI) Hæc arca auro puritatis intus et foris vestitur, quam superimposita perseverantiae corona ambit, (12) circuli hujus per quatuor angulos dispositi mansuetudo, humilitas, patientia et obœdientia sunt. In hos inducuntur adversitatum vectes, per quos portatur, (15) semperque manent in circulis, nec umquam extrahuntur ex eis. (16) In hanc arcam ponitur testificatio fidei, quam tu, Domine, dare dignaris, (17) propitiatoriumque ejus charitas est, cuius pariter mensuram tu ordinare dignaris. Hoc charitatis propitiatorium fovent et alis suis tegunt justitia et misericordia velut aurei Cherubim, quos propitiatorio superimponi jussisti (17. 18. 19. 20. 21. 22). Hinc loqueris, hinc præcipis e medio horum Cherubim populo tuo spiritualia, sed quidquid hic de corde profero, non de corde carnali intelligo, sed de corde animæ spirituali, quod voluntas est, quam tu, Deus, desideras ab homine, et hanc solam dare potest, quia libera est.

Omnia hæc opera, quæ fieri jussisti, seu spiritualiter seu materialiter considerem, majestatem exprimunt, et in tantum digna sunt te, in quantum creatura Creatore digna esse potest. Nihil enim homini carnali auro pretiosius, nihil lapidibus pretiosis ea colorum varietate visui delectabilius, nihil odoratui aromatibus suavius, nihil tactui byssῳ et purpura sensibilius. Et ut gustus quoque suam quodammodo oblationem habeat, mox adipem et meliorem victimarum partem tibi offerri jubebis. Ex his igitur sensuum humanorum oblectamentis tibi, Deus, sponte et libera oblatis voluisti construi tabernaculum tuum, et in signum futuræ veritatis, quod Deus homo mansurus erat cum populo suo, instituisti, ut usque ad impletionem temporum materia panis (cujus visilibus accidentibus velandus erat) figuraret jugem præsentiam et oblationem populi in conspectu tuo. Sub figura panis altaris proinde futuri Ecclesiæ tuæ figura fuit mensa, (23) quam fieri jussisti, in qua exponebantur duodecim panes quotidie renovati (ad repræsentationem mysteriosam duodecim tribuum Israel) [55:] perennem oblationem futuræ victimæ repræsentantes, et ejus sacrificii meritum repræsentabatur per candelabrum ex opposito mensæ expositum, super quod incensæ et perenniter ardentes septem lampades septem dona Spiritus Sancti per sacrificium demerenda et semper permansura in Ecclesia præfigurarunt.

Omnia in hoc capite relata et ad cultum exteriorem requisita instrumenta, quin et ipsius candelabri constructionis norma suas mysteriosas habent significationes, quæ jam a me sapientioribus et majori lumine tuo illustratis interpretibus exposita sunt, quibus ego quoque in simplici humilitate adhærens adoro mysteriosas has institutiones, Domine, et gratias ago tibi, quod me ex numero illorum esse volueris, qui non

jam figurarum, sed tantarum veritatum participes facti sunt. Attonitum me reddit profunditas et sublimitas sapientiae tuæ, quæ tantas spirituales veritates sub objectis sensualibus tam appropriate velavit, ut populus ille veritatum adhuc needum capax et extrinsecum sensum adorationis haberet objectum, et electi tui intrinsecæ spei haberent argumentum, ut, inquam, ille tam visibili magnificentia cultus tui retinetur in obsequio tibi debito, hi in contemplatione visibilium persisterent et firmarentur in spe futurorum. Nec igitur tunc quoque defuisti illis omnibus fini tuo deservientes largiri gratias statui illorum appropriatas, ex quibus et tua manifestaretur misericordia et suum finem obtineret justitia, nobisque, quibus hæc instructionis loco constare voluisti, eo clarius innotesceret servorum et filiorum differentia ex illis, quæ sanguis Filii tui effundendus ex virtute antecedenti operatus est et effusus ex efficacia consequenti obtinuit.

O Domine, habet hodie quoque cultus tuus suas extrinsecas magnificentias et sensuales apparentias, sed nemo filiorum tuorum est, qui illis tibi satisfieri reputat, prout populus ille carnalis, qui extrinsecis operibus legis in tantum adhæsit, ut propter illa intrinseca neglexerit. Veritate enim incarnata docente scimus nos omnes vivos esse lapides templi tui<sup>1</sup> et corda spiritualia fidelium tuorum arcas esse, in quibus conservantur veritates tuæ inscriptæ illis, denique charitatem tuam esse propitiatorium illud, quod misericordia et justitia tamquam (prout dixi) Cherubim tecum est habitaculum Spiritus tui, unde sua edit oracula et tua docet præcepta. Videamus omni die altare tuum per mensam præfiguratum, et super illud cernimus, quin et sumimus panem illum, qui de cælo descendit<sup>2</sup> et super illud celebramus memoriā sacrificii cruentī veramque facimus oblationem victimæ nosmet ipsos offerentes cum illa, quæ incessanter offertur et se offert tibi, o Pater æterne, ut tuam impenetrans misericordiam avertat a nobis justitiam tuam, quam quotidianis delictis in nos provocamus, et hæc est fides tantarum visibiliter [56:] invisibilium veritatum, quam nobis sanguis effusus efficaciter obtinuit, quam sancti veteris testamenti te revelante viderunt, speraverunt, sed in differenti gradu habuerunt ex virtute ejusdem sanguinis antecedenter ab origine mundi operantis.

Populus autem carnalis harum veritatum figuras tantummodo vidit, objecta spei habuit, sed a vero sensu et intelligentia illorum et sic ab ipsa veritate deviavit. Commune fuit tunc omnibus figuras videre, sed particularis gratia fuit illarum significationem intelligere. Nunc autem commune est omnibus fidelibus, populo nempe spirituali intelligere et credere, particulare est electis sibi applicando veritates intelligere ad salutem, per charitatem operari et perseverare.

In hoc sensu vides, o Domine, me rettulisse omnia antecedentia, quæ de differenti fide et statu populi carnalis et spiritualis electorumque tuorum veteris et novæ legis memoravi. Sensui igitur meo et spiritui, sed fors non litteræ injuriam impinget, si quis illa aliter intellexerit; mihi enim sufficit, quod tu cor meum scruteris et videas, quia tuum, non hominum timeo judicium. Quisquis igitur veritatem intellexerit, tibi, o æterna veritas, reddat honorem et gloriam!

<sup>1</sup> Cf. I Petr. 2,5.

<sup>2</sup> Cf. Ioan. 6,50.

Ipsa humanæ condicionis ratio videtur mihi exegisse a justitia tua, Domine, et impetrasse a misericordia tua, ut Moysi et tabernaculum facere juberet, et illum, quid faceret, instrueret. Decretum erat misericordiæ tuæ, ut te populo tuo clarius, quam ceteris hominibus manifestares, sed secundum jam dicta, quia necdum advenerat tempus, ut hæc manifestatio esset intrinseca, ideo omnia agebantur extrinsece modis captui et sensui populi carnalis proportionatis. Promiseras te habitaturum in medio illorum. Quodsi locum habitationis tuæ non designasses, veritatem dicti tui credere necdum capax fuit populus, qui fidem ex auditu<sup>1</sup> non receperat, et sic nubem, montem etc., unde loquebaris, potuisset assumere in objectum adorationis suaे, sed quam primum dici potuit, Deus habitat in tabernaculo et loquitur de propitiatorio arcæ, hæc sensibilis repræsentatio veritatis fixit humanum intellectum, aut [57:] deflexit potius, ne sibi alia objecta adorationis quæreret, et ne de Deo idola fingeret sibi. Quapropter ex consequenti hujus bonitatis tuæ ipso populo peregrinante habitatio tua, Deus, tabernaculum esse oportuit illius ordinationis et architecturæ, quæ ordinatorem et architectum solo intuitu indicassent et habitatoris majestatem repræsentassent.

Quapropter in hac descriptione tabernaculi non sensus mysticos seu spirituales quæro, sed miram ordinationem sapientiæ tuæ admirans adoro. Nisi enim de tabernaculo exstruendo data sibi præcepta Moyses tam exacte rettulisset, unde operum novitatem, fabricæ singularitatem, materiae nobilitatem, splendorem, magnificenciam scire potuissemus, ut ex his, sed vel maxime ex institutione ordinis cultus horum omnium non Moysen, sed te Deum authorem fuisse agnosceremus non jam ex oculari visu (prout populus), sed ex sola lectione tam mirabilium et tam exacte institutorum operum? Nihil hic deest ad magnificantiam, nihil ad splendorem, nihil, quod ad soliditatem et habitationis tuæ, Deus, ut ita dicam, portabilitatis commoditatem desiderari potest.

Tabernaculo proinde taliter ordinato, ut omnia fini suo corresponderent et visibili majestati tuæ sensibiliter conformari viderentur, sapientia tua se in operibus suis humanis sensibus conformare volens instituit, ut ordo cultus tui non ab universo populo administraretur, sed suos selectos haberet ministros, et sic cultus tui extrinseca majestas populo carnali majorem imprimeret respectum et occultatorum in illo mysteriorum eo dignius esset velum, quo sub majori apparentia majestatis velaret illa. Jam tunc abstrahere voluisti et quodammodo desuescere humanum sensum a visibilibus fidei objectis, et ad hoc erat necessarium, ut ordo sacerdotum instituatur, cui administratio cultus tui esset propria, et inter hos quoque ita distribuerentur functiones per gradus distinctæ, ut et in vestitu exteriori appareret singularitas et in diversitate mysteriorum exprimeretur veritatum majestas.

Sed præter hæc quoque sacerdotalis ordinis in hoc capite XXVIII. præcepta distinctio præfiguravit statum regni Filii tui in temporale et spirituale repartendum, quorum primo præesse voluisti sæculares principes, huic sacerdotes; sed hæc clarius figurabantur per subsequentia. In Moyse enim et Aaron duas naturas Christi figuratas fuisse jam me rettulisse [58:] memini, et in harum sequela dicam hic figurari in

<sup>1</sup> Cf. Rom. 10,17.

Aaron, sacrificio <peracto><sup>a</sup> cruento crucis peracto humanitatem Christi hoc charactere sacerdotii insignitam iri, per quod tibi, Pater æterne, perpetuam oblationem corporis sui et Ecclesiæ suæ offerret intercedens pro nobis. Postquam igitur Deus sacerdos corpus humanum obtulisset et sacrificasset in cruce, humanitas a natura divina semper inseparabilis jugiter se offert cum corpore suo mystico, et hoc exprimitur (1) per præceptum Moysi datum: Applica ad te Aaron, fratrem tuum cum filiis suis de medio filiorum Israel. Sic enim applicuit quodammodo divinitas Christi humanitatem ad hoc sacrificium cum populo suo regali et sacerdotali, quod in visibili Ecclesia militanti subsistit invisibiliter separatum in electis, qui quamvis extrinsece uniti sint cum vocatis, intrinsece tamen in conspectu tuo separati sunt, prout filii Aaron apparenter separantur a populo.

De hoc mysterioso sacerdotii instituto agitur hic, ubi tantummodo filii Aaron consecrantur, et non hic, sed infra instituetur separatio totius tribus Levi, quæ ordinem ecclesiasticum universum figuravit. Fuit in Moysis figura repræsentata divinitas (2) vestem humanitati Christi in corpore ejus glorificato faciens, in quo intravit sanctuarium semel et manet in æternum. Fors possent ad proprietates corporis hujus glorificati et corporis mystici Ecclesiæ referri ornamenta vestis Aaron et pro 12 lapidibus rationalis statui apostoli, qui tamquam patriarchæ carnaliter, ita hi spiritualliter populum tuum spiritualem genuerunt. Hic sacerdos Christus portat verum illud rationale judicii, in quo doctrina et veritas insculpta[e]<sup>b</sup> sunt, et reliqua quoque taliter (prout dixi) fors explicari possunt, sed sufficit mihi pro alimento animæ meæ principalis veritas, quæ hic figuratur, cum et aliunde videatur mihi non omnia hic figuratas fuisse, sed te, Domine, pro decentia cultus tui majori ex parte instituisse, ut per cultus tui extrinsecam majestatem in obsequio contineretur nimis<sup>c</sup> vaga populi carnalitas, quam nunc in obsequio fidei gratiæ tuæ retinent, tunc autem hæc extrinsecæ repræsentationes futurarum veritatum in spe permanere adjuvabant, et quamvis per se inefficaces, fuerunt tamen statui eorum proportionatæ gratiæ.

Miro et sane adorando mihi ordine hæc procedunt, et [59:] figurarum series veritatis correspondet. Duplicis enim exodi habenda est ratio: prima e servitute Pharaonis, et hæc designavit servitutem peccati seu regnum Diaboli, qui in figura post transitum Maris Rubri in stricto sensu peractus; sed si bene considero, fors non aberrabo dicens, quod populus tunc proprie e servitute aliena exiit, quando tuus, Domine, esse incepit, quod proprie post pactum tecum initum, post libere acceptatam legem tuam factum est in figura et in veritate post peractum sacrificium crucis deleto per illud regno Diaboli et peccati dominatione effectum. Alter exodus est exitus ex peregrinatione, quæ duravit usque ad ingressum terræ promissæ, et figuravit duplarem peregrinationem Ecclesiæ usque ad tempus integræ pacis et stabilitimenti ejus et peregrinationem super terram militantis, prout suo tempore hæc deducam per gratiam tuam. Unde apparet, quod sacerdotium novæ legis hic per sacerdotium Aaron institutum hic in suo ordine præfiguretur.

Sed ad hæc clarius deducenda transeo, Domine, te adjuvante ad caput subsequens, in quo de consecratione Aaron agitur, invocato lumine tuo et gratiis tibi actis pro illis, quæ mihi hactenus dare dignatus es.

<sup>a</sup> Delevit

<sup>b</sup> Supplevi -e

<sup>c</sup> Post (?) nimis delevit quam?

Da mihi lumen et verba, Domine, ut distincte eloqui valeam, quæ intellectui meo representare dignaris. Oportuisset mihi horum partem super præcedens caput XXIV. referre, sed quia ignoravi, connotare non potui. Non poterat insipientia mea capere sacrificium illud, de quo ibi agitur figuram fuisse sacrificii Filii tui ex eo, quod illud non ipse Moyses obtulerit, sed per juvenes de filiis Israel immolari fecerit victimas, ipse tamen respersit sanguinem super altare et super populum. Sed nunc mihi clare dignaris demonstrare hæc ita figurari debuisse et hæc ipsa demonstrare Moysen naturam divinam Christi repræsentasse, quæ corpus Christi, quod obtulit in victimam, non ipsa occidit, sed sicut Moyses [60:] repræsentatur non per sacerdotes Judæos, sed per juvenes respectu ministerii sacrificiorum extraneos et qua tales gentiles repræsentantes occisam esse voluit, sed sanguinem victimæ ipse Moyses seu divinitas dispensavit, tulit dimidiæ partem fuditque in crateras seu in vasa electionis, partem autem residuam fudit super altare figura et veritate clare demonstrante, quod dimidia pars sanguinis effundenda super populum erat conservata in crateris, ut exprimatur prima et directa intentio Dei de salvanda domo Israel, nec nisi residua pars est effusa super altare, sed super quod altare? Profecto super tale, (prout in precedenti capite X[X]<sup>a</sup> v. 25. ædificari jussisti constructum ex lapidibus, quod culter circumcisionis non tetigit, qui repræsentabant gentiles. In hoc altare effusi sanguinis sacrificium ascendit coram te, qui conspersus est super populum, mansit super illum et super filios illorum, non tamen infructuosus, quia antequam respersus fuisset in populum, fusus fuerat in crateras, seu, prout dixi, in vasa electionis.

His peractis ascenderunt 70 seniores populi cum Moyse in montem et viderunt Deum Israel, nec super eos, qui procul recesserant de filiis Israel, misit manum suam videruntque Deum et comederunt et biberunt; et quid his clarus denotatur, quam quod per hoc sacrificium reserabuntur portæ cœli, in quod electi populi intrabunt, ceteri sub lege remanentes Deum a longe videbunt seu veri Dei agnitionem retinebunt, sed in mentem non ascendent?

O Deus infinite bonus, quam clara sunt hæc, dum tu mentem hominis illuminas, sed quam obscura fuerunt, dum ego nuper meditabar illa! Ita quidem, ut Apostolo tuo docente intellectum meum incaptivare coactus fuerim per obsequium fidei verbo tuo per ipsum revelato debitum. Sed ecce, nunc non amplius incaptivo, sed veritati, quam mihi sensibilem reddere dignatus es, adhæreo suaviter et delectanter. Manduco cibum, et ecce, nutritur illo et epulatur in conspectu tuo anima mea.

His proinde per gratiam tuam deductis redeo ad caput 29, cuius meditationis occasione ad hæc denuo ruminanda me revocaveras, et hæc clariora reddunt mysteria sacrificii in ordinatione Aaron tibi oblati, prout jam rettuli in figura Moysis. Applicat hic sibi natura divina humanitatem et corpus Ecclesiæ electorum in Aaron et filiis ejus repræsentatum, ut tibi, Pater æterne, (1) consecrentur in sacerdotes. Duo sunt, Domine, ad quæ præprimis [61:] consideranda mentem meam elevare dignaris. Primum de persona sacerdotum, alterum de victimis, quas in consecratione immolari jubes. Et hæc duo in humanitate et populo sacerdotali quoque reperio. Nam Christus et Ecclesia est respectu corporis sui sacerdos et victima, quia in cruce seu in cruento sacrificio divinitas sacerdos humanitatem obtulit in victimam. Sed hoc

<sup>a</sup> Supplevi

peracto humanitas sacerdotium acquisivit, ut se offerat cum corpore suo mystico in propitiationem, et in hujus sacerdotii virtute Ecclesia quoque se in Christo, cum Christo et per Christum offert in quotidiano sacrificio. Ut proinde haec in figura exprimerentur, ecce, requiris victimas occasione consecrationis Aaron et filiorum ejus. Requiris, inquam, hostias duplicitis speciei, ut et futurum cruentum sacrificium repræsentetur in animalibus et propitiatoria hostia figuretur (2) in panibus.

Hæc autem considerata in differentibus speciebus victimarum diversitatem hostiarum veteris et novæ legis exprimunt, unde fors audeo dicere per vitulum de armento figurari Synagogam, per arietes (animalia sæpe extra gregeum divagantia) designari gentiles, quorum hi et Synagoga nonnisi effuso sanguine coalituri erant in hostiam novæ legis per panem designatam. Fors enim non temerarie statuo semper et ubique hæc ita repræsentari in sacrificiis et nonnisi in sacrificiis agnorum figurari solum sacrificium humanitatis Christi, per quod ceteræ victimæ et sacrificia seu corporis Synagogæ seu Ecclesiæ repræsentantia efficaciam seu meritum suum acquisiverunt.

Ex his colligo causam, cur primi sacrificii, quod Moyses offerre fecit per juvenes, victima vitulus fuerit, ut nimirum sequens repræsentatio prophetica clarior esset, futurum nimirum, ut Synagoga pro se oblatam victimam per gentiles immolari faciet, cuius sanguis respergetur super populum et super altare ex crudis, non sectis lapidibus ædificatum, per quod designatur gentilium Ecclesia, super cuius altari oblatus sanguis est sacrificium gratum tibi, a virtute hujus sacrificii efficientur electi ex Synagoga (per 70 senes repræsentati) capaces videre Deum, quem reliquiis populis a longe videbit in fide obscura.

Ex his itaque clare patet sub figura vituli repræsentari sacrificium, quod particulare pactum (quod tu, Deus, cum semine carnali Abrahæ seu cum Synagoga pepigisti), concernebat, ex cuius consequenti [62:] Christus primo ad domum Israel missus illis primo evangelium annuntiavit,<sup>1</sup> prædicari jussit, et hoc sacrificium appellabo ego deinceps sacrificium pacti, quod per vitulos, tauros et vaccas repræsentatum est, ut distinguatur a sacrificio promissionis, in quantum hoc omnibus gentibus promissum fuit et præcise in sacrificio agnorum aut hædorum figuratur qua cruentum et sub specie panis, similæ etc. designatur qua propitiatorium novæ legis. In utroque repræsentatur Christus, sed sub diversis rationibus, in quantum nimirum sacrificium ejus Synagogam seu semen Abrahæ carnale per virtutem antecedentem et in quantum Ecclesiam seu semen ejusdem Abrahæ spirituale, per virtutem consequentem operans respiciebat, et demum in quantum sacrificium ejusdem Filii sui in nova lege perpetuatum est.

Et hæc considerationes denuo se manifestant in hac consecratione Aaron et filiorum ejus. (4) Applicuit Moyses seu divinitas Aaron et filios ejus seu humanum corpus et Ecclesiam ad tabernaculum testimonii seu crucis, et lavit eos in sanguine et aqua e latere Salvatoris profluente, et sic (5) induit Aaron vestimentis suis seu humanitatem proprietatibus corporis glorificati. Non me extendo, Domine, super deductionem explicationis vestium Aaron, a potiori enim considero illas prout jam dixisse memini, propter decentiam et impressionem respectus ministerii institutas, sed magna mysteria latere video in sacrificiis victimarum, quæ ad jam dicta referuntur. Imprimis ergo considerare me facit bonitas tua victimas vituli et duorum arietum in tres classes dividi et vitulum immolari debere pro peccato, unum arietem esse victimam Domini et alterum arietem consecrationis.

<sup>1</sup> Cf. Mauth. 15.24.

Confiteor tibi, Domine, infirmitatem meam, et tu vides insipientiam et ignorantiam meam, propter quam non valeo<sup>a</sup> progredi in explicatione seu applicatione horum, nisi tu digneris novo lumine adjuvare me. Scio, Domine, hæc jam a sapientioribus me explica ta esse, et tu vides me illis contrariari nolle, sed in consequenti horum, que te adjuvante rettuli, fac me, quæso, eloqui mirabilia tua! Deberem dicere secundum contextum præcedentium vitulum repræsentare sacrificium pacti seu Synagogam, sed tumet ipse revelas (14) esse pro peccato. Unde colligo in his, quæ aguntur, species animalium designare, quæ jam rettuli, sed sacrificii virtutem restringi ad personas offerentium, id est, pro peccatis Aaron et filiorum ejus offerri vitulum seu, ut me clarius explicem, Aaron et filios ejus non hic amplius repræsentare figuræ.

Sed, ecce, ignoro, quæ dico, quoniam non Aaron offert victimas, sed Moyses, quem naturam divinam repræsentasse toties dixi, et ex hoc consequenti appetet [63:] triplex virtus characteris sacerdotii humanitatis Christi per ipsum Ecclesiæ quoque communicata, prima propitiatoria seu peccata remittens per vitulum pro peccato oblatum repræsentata, secunda regenerans, quæ præviā annihilationem veteris hominis per combustionem totius arietis indicat et victima Domini appellatur, et tertia consecrationis, per quam sacramenta administrandi et hostiam offerendi confertur potestas in ariete consecrationis figurata. Sed quia hæc omnia per effusio nem sanguinis acquisita sunt, ideo respectu effusionis sanguinis eodem modo repræsentantur. Ut tamen peccatorum remissionem, sanguinis in cruce factam effusionem exoperatam fuisse repræsentetur, (12) sumptum digito sanguinem vituli cornibus altaris illinire jubes.

Apostolus autem tuus illud quoque explicuit, cur victima pro peccatis extra castra comburi debuerit, ut nimirum Christum extra urbem immolandum fore repræsentetur.<sup>1</sup> Quid autem ex his tribus sacerdotii virtutibus, nonnisi purificatio externa erat propria sacerdoti Synagogæ, hæc per vitulum, cetera per arietes figurantur, quos gentilium Ecclesiam designasse jam dixi, cuius sacerdotio regeneratio et sacramen torum et per illa gratiarum dispensatio per sanguinem demerita est.

(20) De sanguine arietis consecrationis sumitur, ut illinitus auriculæ digito et pollici repræsentet in virtute sanguinis recipiendam fore fidem ex auditu,<sup>2</sup> dandam gratiam per applicationem signorum visibilium et virtutem ambulandi in viis tuis, Domine. Sed ut sacerdotio novæ legis data singularis potestas consecrandi eo clarius figuretur, (23) panem quoque materiam sacrificii, quod figurabant omnia sacrificia, sumi jubes, (24) et imponi manibus Aaron et filiorum ejus dicens: Et sanctificabis eos elevans coram Domino, (25) suscipesque ea de manibus eorum, et incendes super altare.

Quid clarius, o Domine, quam his designari adorandum nobis immolationis et consecrationis mysterium, in quo Deus et sacerdos ita agit, prout Moyses et Aaron naturam divinam et humanitatis sacerdotium representantes egerant in figura. Sumitur panis, qui per oblationem coram te, Deus, positus erat, elevatur per te, Deus, in manibus sacerdotis existens, et tu suscipis illum, ut incendens super altare holocausti dilectionis tuæ consumatur, et in alteram corporis nempe Christi transmutetur substantiam odoremque suavissimum in conspectu Domini. Quare? Quia oblatio

<sup>a</sup> Correxit ex *volo*

<sup>1</sup> Cf. Hebr. 13,11–13.

<sup>2</sup> Cf. Rom. 10,17.

ejus (id est, Domini) est; [64:] sed quia Aaron sacerdos legis veteris parte in hoc novæ legis sacrificio habere non debuit, (26) non datur illi et filiis suis pars de pane, quem obtulit, sed de ariete consecrationis et de panibus, qui sunt in canistro in vestibulo tabernaculi, ut nutriatur figuris, quarum veritates nobis reservaverat gratia et bonitas tua, Domine.

(35) Sentio, o Domine, mysteriosam significationem 7 dierum consecrationis Aaron, sed ego illam combinare nequeo. Potest in illis seu sacerdotii Judaici in semine Aaron durationis tempus per annorum septimanas exprimi vel ad totius Ecclesiæ durationem referri, ut perpetuitas sacerdotii, per quod Agnus ab origine mundi occisus oblatus est, adusque finem mundi permansuri designetur, et in hoc sensu hi 7 consecrationis dies cum 7 diebus creationis et quietis tuæ, Domine, connexionem et relationem suam reperient. Sed quidquid supputationes chronologicas concernit, nimirum erroribus subjectum esse puto, jam enim Christus nos docuit non esse nostrum scire tempora,<sup>1</sup> quorum incertitudinem in illa confusione supputationis jam elapsorum temporum placuit sapientiæ tuæ celare ignorantiae humanæ, quæ si in prædicto calculo certitudinem haberet ex prophetiis, subsequendorum temporum notitiam erueret. Sed placuit tibi, Deus, illa ita revelare, ut scientes ignoremus et legentes non intelligamus.

Sint igitur hæc relicta in profunditate scientiæ et in abyso consiliorum tuorum! Confirmat me tamen in opinione posteriori (30. 39. hoc est, quod facies etc.), per quos instituitur juge sacrificium agni, quod (prout jam dixi), ab origine mundi suum sumpsit exordium, et ejus veritatem nobis revelatam novo velo specierum visibilium panis et vini tectum iri (40) versus designat. Sic futuri cruenti sacrificii agni immolatione instituitur figura, de qua sacerdotium Judicum non participabat. Sic sacrificii jam in veritate peracti fractio panis est veritatis repræsentatio et memoriale, de quo totum corpus plebis sacerdotalis participat. Simila oleo conspersa et vinum offertur cum agno et unum idemque sacrificium repræsentat, ut simila et vinum materiam, oleum unctionem spiritualem designet. Non enim sacerdotio Christi, sed sacerdotio Aaron conveniebat ex oblata simila panem conficere et illum in escam porrigere, ut figura figuram, figurata autem veritas dispensaret veritatem.

(44) Promisisti, Domine, et habitabas in medio filiorum Israel, et hanc perpetuam præsentiam repræsentabant panes propositionis non immolati in figura, sed omni die renovati, et jam tunc indicaretur Dèum cum populo suo sub specie panis mansurum et in unum corpus cum populo suo coalitum. Numerus panum 12 tribus repræsentans præfigurabat.

(46) [65:] Hæc instituisti, Domine, ut sciret populus tuus te esse Deum eorum et te eduxisse illos de terra Ægypti, sed quanto majora sunt, quæ fecisti, ut nos sciremus te eduxisse nos ex captivitate peccati et Diaboli.

Adorandus es mihi, Domine, ex institutione tam stupendarum et miro ordine sapientiæ tuæ velatarum figurarum, sed longe magis diligendus ex revelatione tam adorandarum veritatum. Nec enim convenienter adoraris, cum non diligenter, sed nec digne diligenter, cum non adoraris. Adorabar, sed non diligebar a populo, cui figuræ instituisti pro objecto, sed adorari vis in veritate dilectionis a populo, cui veritatem dedisti pro objecto adorationis et dilectionis. Da igitur mihi, quæso, illam

<sup>1</sup> Cf. Act. 1.7 (Mt. 25.13?).

dilectionis adorationem, quæ vera adoratio est in Spiritu et veritate,<sup>1</sup> te enim, quem adorat, noscit et sentit.

#### SUPER CAPUT 30.

Dignare, Domine, loqui mihi, et ego repetam, quæ per gratiam tuam intelle-xero. Loqueris enim mihi in Scripturis, sed ecce,<sup>2</sup> ego hebes et insipiens absque intelligentia sum. Jam in præcedentibus mensam fieri jussisti, cui superimpone-rentur panes propositionis 12 procul dubio, ut sint juge memoriale populi tui coram te et figura unionis Ecclesiæ cum Christo. Præcepisti fieri altare et hic denuo novum altare fieri mandas. (1) Prima appellatur mensa, cetera altaria procul dubio ideo, quia de illa non participabat sacerdotium Synagogæ, nec in illa immolabantur, sed offerebantur panes propositionis. Cetera sunt altaria, quia in uno immolabantur victimæ et in altero incendebatur thymiana, et quid his aliud denotatur, quam triplex, ut ita dicam, in uno cultus unius et tamen in tres classes subdivisæ Ecclesiæ militantis, patientis et triumphantis. Mensa illa, quæ fuerat mensa respectu Synagogæ, est facta altare Ecclesiæ militantis, a quo enim Christo instituente panis convertitur in corpus,<sup>3</sup> hic panis propositionis, qui exponitur semper in conspectu tuo, immolatur tibi, participat ex eo tota Ecclesia, et est verum sacrificium legis novæ. Altare holocausti altaris crucis figuram fuisse jam supra dignatus es revelare mihi, et ex hoc altari participat Ecclesia patiens, atque in hujus memoria unit se tibi, Deus, omni tempore passionis suæ. Altare proinde, de quo hic agitur, altare illud est, per quod repræsentatur [66:] incensum quotidianum orationum militantis et thymiana adorationis charitatis triumphantis Ecclesiæ.

(10) Sed ut hæc omnia ex virtute effusi sanguinis efficacia futura designetur, dicit Scriptura: Et deprecabitur Aaron super cornua ejus semel per annum in sanguine, quod oblatum est pro peccato et placabit super eo in generationibus vestris. Thymia-ma figurat veræ adorationis in spiritu et veritate<sup>3</sup> homagium, quod nonnisi tibi con-venit præstare et propter hoc prohibitum fuerat compositionem aromatum in alium usum convertere, prout ultimo versu denotatur. Explicatum est mysterium composi-tionis hujus thymiamatis a sanctis patribus; quod reliquum in hoc capite est, etiamsi ob decentiam solummodo cultus institutum fuisse dicerem, fors non errarem, mira-bile tamen esse appareat mihi hic referri (12. 13. 14. 15) ea, quæ ad commemoratio-nem et exigendam redemptionem pecuniariam spectant, nec credo hæc absque my-storio contexta esse inter illa, quæ ad consecrationem Aaron et filiorum ejus per-tinent, nisi dixero per hæc exprimi dominium illud theocraticum, in cuius signum tributum hoc temporale exegisti a populo tuo in signum præcedentis et jam dicti homagii spiritualis, quod in regno tuo spirituali ab unoquoque exigis jure Creatoris et supremi Domini.

<sup>1</sup> Ante ecce margine: Cap. 25. v. 23.

<sup>1</sup> Cf. Ioan. 4,23.

<sup>2</sup> Cf. Matth. 26,26 etc.

<sup>3</sup> Cf. Ioan. 4,23.

(16. 17) Labrum aeneum ad munditiem institutum esse nec figuram fuisse exinde autumo, quod usus ille et in primitiva Ecclesia conservatus fuit, et hujus loco postmodum aquæ benedictæ aspersio ad spiritualem emundationem pertinens Spiritu tuo suggestente institutus est. Hic institutæ lotioni succedit unctio, quam subsequentibus versibus per Moysen fieri jussisti, ut unctionis spiritualis et unctionis humanitatis Christi esset figura, ita quidem, ut illa non tantum ad personas sacerdotum, sed et ad illa, quæ ad cultum spectant, extenderetur, quem a te institutum usum hodie dum quoque observat Ecclesia per hæc signa visibilia filii suis invisibilem gratiam tuam dispensans.

Hæc sunt, Domine, quæ te adjuvante de consecratione Aaron et filiorum ejus connotavi, per quod sacerdotium humanitatis Christi et populi tui sancti et sacerdotalis, qui cum capite suo unum idemque corpus constituit, figuratum autumo. Nec tamen per jam prolata dicere volo hæc particularius restringi nequire ad ordinem ministrorum Ecclesiæ tuæ, quibus dispensatio sacramentorum et gratiarum tuarum concredita est, et per quorum manus verum sacrificium offeratur tibi ab Ecclesia. Hic enim character sacerdotalis in suo sensu ad totum populum extensus et in figura et in veritate ad ordinem sacerdotalem restrictus fuit et est te instituente, et ideo hodie quoque per particularem unctionem et consecrationem confertur, et prout jam [67:] dixi, per segregationem totius tribus Levi præfigurabatur. Patet hinc mirus ordo sapientiæ tuæ, quam manifestare dignatus es, a quo populum tuum segregasti in peculium tuum et docuisti illum cultum divinitatis tuæ, et profecto ipse majestatis tuæ requirit dignitas, ut adoreris ab omnibus, sed ut adorationis cultus extrinsecus administretur a segregatis et ad hunc cultum particulari modo consecratis ministris, ex quibus sacra illa ecclesiastica componitur hierarchia, quæ regnum Filii tui spirituale regit et administrat sub visibili capite, vicario invisibilis capitnis sui, quod Aaron præfiguravit per vestes functiones sibi proprias.

Adorem igitur et diligam te ex hoc tam adorando opere et ordine sapientiæ tuæ, qui in omnibus, quæ facis, semper adorandus, laudandus et diligendus es, quia dignus es, denique, quia Deus es.

#### SUPER CAPUT 31.

Ecce, Domine, ordinasti omnia, quæ ad exstruendum tabernaculum, arcam et vasa sacrificiorum cultusque tui spectant, et horum figuram quoque demonstrasti servo tuo, Moysi in monte. Præcepisti illi, ut faceret omnia secundum normam illam, hic tamen (1. 2) dicis vocasse te ex nomine Beseleel, (3) et implevisse eum Spiritu Dei, sapientia, intelligentia et scientia in omni opere (4. 5) ad excogitandum etc., et huic dedisti socium Ooliab. Moysi demonstrasti omnia, et hi facere debent, quæ alter viderat. Profecto sic conveniebat agere illis, quos Spiritu Dei, sapientia, intelligentia et scientia replere dignatus fueras, ut populus illa, quæ Moyses te præcepisse rettulit, non adinventiones suas esse manifeste videret, cum ad illa exsequenda illi seliguntur, qui Moysi repræsentata non viderunt, et tamen per artium necdum hominibus notarum scientiam omnia opera completere potuerunt, nam si ea, quæ Moyses te jubente fieri mandavit, ipsemet construxisset, inventioni suæ attribui potuissent, sed Beseleel et Ooliab tam mira et illatenus necdum visa auri, argenti, æris,

celaturæ et polymitaria opera exsequi potuisse non ipsis, sed sapientiæ tuæ justo jure attribui debuit. Sed, o Domine, vere Spiritus, quem his artificibus operum ad cultum tuum pertinen[ten]tium<sup>a</sup> dedisti, typus est Spiritus, quem Christus dedit Ecclesiæ, quem ille posuit in corde omnis eruditæ, ut faciant cuncta, quæ præcepit. Hic est Spiritus Dei consistens in sapientia, [68:] intelligentia et scientia in omni opere, quod ad præcepta ejus pertinet, qui subsistit et adusque consommationem<sup>b</sup> sæculi subsistet in Ecclesia.

(13) Justum est, Domine, tibi cunctos dies vitæ nostræ consecrare, et quidni digne hoc exegisses a populo quoque tuo, inter quem memoriam sabbati statim post transitum Maris Rubri occasione dati panis mannae instituisti, postmodum lege statuisti, et hic denuo toties repetis. Procul dubio ideo, ut in memoriam sex dierum operi et labori vocationis suæ impensorum hunc septimum diem tibi consecret populus in recordationem quietis tuæ ab opere creationis, quod sex diebus patrasti. Tendebat hæc tua institutio potissimum in illum finem, ut populus ad idolatriam tam pronus te creasse omnia recordaretur, nec alium Deum præter te quereret.

Hanc creationis suæ memoriam exegisti, Domine, a populo, cui nonnisi figura regenerationis data fuerat, sed ab illis, quos hujus regenerationis seu recreationis participes esse voluisti, ex consequenti hujus mysterii recordationem in aliud diem transferri te inspirante jussisti. Omnis enim fidelium Ecclesia, quæ redemptionis opus agnovit et beneficia, dignius illius, quam ipsiusmet creationis suæ recoluit memoriam. Quid enim nobis nasci profuisset, si redimi non contigisset? Et quia hoc mysterium respectu satisfactionis in cruce, sed respectu manifestationis in resurrectione consummatum est, ideo tam digne et juste Ecclesia Spiritu tuo illuminata hujus sacri diei coluit memoriam, et illum requiei capitum sui Christi consecrat in generationibus suis. Tunc enim ille quievit ab opere suo, cum resurrexit, et tunc nos quoque quietem exspectare debemus, cum in virtute resurrectionis ejus resurgemus.

(16) Hoc sabbatum memoriale resurrectionis est pactum sempiternum inter te et filios (non amplius Israel), sed tuos, signumque perpetuum. Sex enim diebus creasti cælum et terram, sexta die, uti dixi, satisfactionis opus perfecit Filius tuus, septima die requievit, prima die septimanæ gloriam suam manifestavit et sic creata regeneravit, aut potius dicam, recreavit.

(18) Completis proinde hujuscemodi sermonibus in monte prædictas veritates respondentibus dedisti, Deus, tabulas testimonii Moysi scriptas digito Dei. Hæc sunt, o Domine, quæ mihi occurrunt te adjuvante <ex><sup>c</sup> occasione reiterationis mandati tui de sanctificando sabbato. Nec est mandatum, quod in lege toties repetitur, unde procul dubio exorta sunt tot superstitiones pharisæorum observantiae circa cultum sabbati, quæ quia charitati, ideo tibi, Deus, oppositæ fuerant. Sustulit has libertas filiorum Dei in sanctificatione diei Domini, sed pravitas temporum in vicem strictarum et scrupulosarum observantiarum relaxationes Christiano homine indignas causavit. Alii hanc diem in conviviis et compotationibus, alii in venationibus, alii in deambulationibus, alii in [69:] itineribus levi

<sup>a</sup> Correxí

<sup>b</sup> Sic!

<sup>c</sup> Delevit

ex causa susceptis, transigunt, et omnem cultum diei ad obvie et negligenter audiendam missam restringunt.

Dignaris, o Domine, monere me, ut ego hic memorans confitear tibi peccata mea, quæ contra hoc præceptum Ecclesiæ fundatum in lege et toties repetitum commisi. Tu tamen nosti illa plus ex ignorantia, quam ex malitia causata fuisse et ex usu communi processisse. Cum dolore refero, Domine, esse Christianas regiones, in quibus heterodoxi cultum hunc strictius observantes, quam orthodoxi, irridentur, exploduntur eo, quod a choræis, a compotationibus abstinent, phariseisare dicuntur, et in suo sensu hoc quidem verum est, in quantum dogmaticis et essentialibus religionis contrariantur, optandum tamen esset, ut in illis, quæ in erronea fide benefaciant, non irridarentur.

Non me excuso, Domine, coram te de peccatis meis per ignorantiam obligationis meæ commissis, sed a te humillime veniam peto et lumen<sup>a</sup> gratiæ tuæ pro illis, qui in eadem ignorantia communi et populari perseverant. Da lumen pastoribus, da docilitatem ovibus eorum, da mihi gratiam et charitatem, ut omnes dies et omnia momenta vitæ meæ sanctificem, omnia, quæ facio agendo pro te!

#### SUPER CAPUT 32.

Accedo, Domine, ad contemplandam profunditatem mirabilium tuorum, et in lumine hujus capitinis tam densam reperio caliginem, ut eam penetrare nequeat ignorantia mea. Incomprehensibile est, quod mihi repræsentatur, et omnem naturæ humanæ naturalem perversitatem, omnem rationem, omnem sanum sensum transcendent. Vidi sæpiissime visis fulguribus, auditis tonitruis ipsa animalia tremere et latebras quære-re, sed ecce, in contemplatione hujus historiæ stupendum exhibetur mihi spectaculum. Ecce, populus tuus, ecce, peculium tuum, quem selegisti tibi, Deus, et in brachio fortí, in portentis ipsam naturam subvertentibus eduxisti, cui majestatem tuam et gloriam tam visibilem et sensibilem reddidisti, ut præ timore montem accedere, sed nec vocem tuam audire ausus fuerit, in eadem præsentia visibili majestatis tuæ oblitus tui, oblitus feederis, oblitus pacti, denique oblitus suimet ipsius (1) eo, quod Moyses redire tardat, consurgit adversus Aaron, et petit, ut faciat deos, qui præcedant eos.

O Israel insipiens, tu dicas in corde tuo: Non est Deus,<sup>1</sup> et ideo petis ab homine, ut faciat deos! Confiteor tibi, Domine, quod nisi verbum tuum et a Spiritu tuo dictata historia hæc referret, vix crederem humanam intellectum tantæ [70:] cæcitatis capacem fuisse. Non mirabar hactenus genus humanum in tenebris peccati ambulasse in via carnis et te, Deum intrinsece sentiens extrinsece quæsivisse in creaturis, et ne-sciens, quis sis aut ubi sis, finxisse sibi deos, sed dispar est hujus populi ratio, cum te manifestasti modis tam gloriose, tam tremendis et tam sensibilibus. Locutus es ei de cælo, ut sciat, ubi sis, ministerio omnium elementorum usus es, ut agnoscat omnipotentiam tuam, et adhuc visibilia signa præsentia tuæ videt in monte, et ecce, tamen obliviscitur tui. Minus stuperem, si ipsum Aaron, quem in virtute virgæ tanta

<sup>a</sup> Corrigit ex tamen

<sup>1</sup> Cf. Ps. 13,1 etc.

portenta fecisse vidit, pro Deo recognosceret et ab illo duci peteret, sed incomprehensibile est mihi quodammodo audire dicentem ad Aaron: Fac nobis deos!

Revertor ad me, et considero, num mihi facilius fuerit credere portenta, quæ te fecisse legi in eductione populi, quam hanc cæcitatem hominis, quia ipsamet ratio dictat mihi existentiam et omnipotentiam tuam credere. Sed quo hæc magis me convincit de ea, eo incomprehensibilior appetet insipientia populi tui, nec mihi imaginari valeo, quid sit vidisse et videre tanta portenta, et non credere in te, aut quomodo quid sibi imaginari possit fictiles deos fortiores et potentiores futuros te. In consideratione magnalium tuorum oportet mihi incaptivare intellectum in obsequium illorum, sed ecce, hic incaptivandus est ad credendam insipientiam humanæ rationis et cæcitatem ejus tam repugnantem sano sensu.

Nullus appetet in tam numeroso populo, qui tam insano instinctui contrarietur, et ecce, ipsem (2) Aaron, quem antea in virtute virgæ prodigia patrasse te coram Pharaone prædicasse vidi, infatuatum et in communem insipientiam consentientem video. Sic loquitur tibi spiritus meus, Domine, nec se agnoscit in speculo, quod tu ei repræsentas in hoc exemplo. Incredibilis appetet mihi filiorum Israel insipientia, sed unde incredibilitas, nisi a credulitate, unde autem hæc, nisi a fide, quam dare dignatus es mihi? Ratio humana potest hominem convincere de existentia tua, Deus, sed si tu illum non adjuvas, illa ipsa ratio in adinventionibus suis quærerit te, et hæc quo ducunt illum, in exemplis illorum, quos antiquitas gentilis pro sapientioribus ac scientiarum magistris agnoscit et venerata est, facile agnosco.

Unde concludo omnino non humanam rationem abolevisse idolatriam, sed illum, qui regnum Sathanæ destruxit, et quia tunc necdum contriverat hujus Serpentis caput,<sup>1</sup> ideo populus, quam primum Moysen tardare vidit, dubitavit, et in fide vacillans ac fluctuans in dictamen naturalis pravitatis suæ et in tenebras cætitatis pœnæ peccati relapsus est.

Exemplum est hujus veritatis hæc historia, non figura, ut videam ego, prout jam dixi, virtutem passionis [71:] Christi, non virtutem humanæ rationis dare fidem illum homini, quam etiamsi per infidelitatem quis amittat, potest te abnegare, dubitare de existentia tua, denique citius insipiens effectus dicet: Non est Deus,<sup>2</sup> non tamen finget sibi deos in idolis.

Scio in primitiva Ecclesia temporibus conversionis gentilitatis fuisse relapsos et apostatas, sed utrum hi omnes baptizati fuerint, non solummodo cathecumeni aut te ita corde, prout propter metum, ore abnegaverint et ad idola conversi fuerint, nescio, non ut exinde concludam illos salvatos fuisse, scio enim ex doctrina Salvatoris mei, quod qui illum abnegaverit coram hominibus, abnegabit ille eum coram te, Patre cælesti,<sup>3</sup> sed ut ex his, quæ referto, pateat destructio regni Sathanæ.

Revertor igitur ad te, Domine, in agnitione humili virtutis tuæ, a qua procedit fides et docilitas mea, nec amplius mirabor populi cæcitatem, sed gratias agam tibi pro donis, quæ mihi largiri dignatus es, ut sit tibi gloria ex fide mea. Da, quæso, ut vivam in illa, ut autem vivam, fac, ut diligam te!

Hæc populi pravitas veritas fuit respectu duritiæ cervicis illorum, figura respectu idololatriarum et abominabilium fornicationum cum diis alienis posteri-

<sup>1</sup> Cf. Gen. 3,15.

<sup>2</sup> Cf. Ps. 13,1.

<sup>3</sup> Cf. Matth. 10,33.

tatis ipsorum, sed particulariter videtur respicere posteriora tempora Synagogæ, in quibus per pravam Scripturæ intelligentiam delusa et Messiam talem, qualem sibi fingebat, exspectans moramque adventus ejus arguens recurrebat ad summos sacerdotes Scripturarum interpretes per Aaron hic figuratos, qui falsos Christos et Messias et externis operibus eorum et observantiis legalibus tamquam inauribus extrinsecus ornantibus conflarunt illis vitulum aureum ex traditionibus et falsa justitia, (3. 4) cui attribuebant illi salutem suam. In hoc spiritu justitiae legalis publicabantur sollemnitates, (5. 6) et offerebantur victimæ, (7) et tunc dixisti, Domine, ad Moysen (Filium tuum): Vade, descendere, peccavit populus tuus, quem eduxisti de terra Ægypti etc.

(8) Omnes hi subsequentes versus applicabiles sunt in sensu litterali Christo per Moysen figurato. (9) Sed, o Deus infinite bonus, ecce, dignaris me reddere attentum ad considerandas expressiones, quibus hic Scriptura utitur, et attribuit tibi: Cerno, quod populus iste duræ cervicis sit. (10) Dimitte me, ut irascatur furor meus contra eos, et deleam eos faciamque te in gentem magnam! Quæ sunt et quam stupenda hæ loquelæ in ore tuo, tu, qui Creator omnipotens et omniscius es! Quid aliud præter duritiem cervicis ejus vidisti in populo isto, quem elegisti tibi in peculium, a quo illum ex captivitate Ægypti eduxisti. A quo enim egressus est, propemodum in omni statione [72:] murmuravit, dubitavit, Moyses irascebatur, conquerebatur, tu autem indulgebas et bonitatem exercebas, providebas necessitatibus ejus; nec nisi insipiens ille, qui te non noscit, posset dicere te hæc, quæ facturus erat, non prævidisse, antequam eliberasses eum et elegisses in populum. Cur igitur hæc dicis? Cur a Moyse dimitti petis? Num ille te tenet, qui immensus es?

O Deus, qui et in ipso furore misericors es, quomodo doces hominem discernere mysteria tua, qua jam velas, jam revelas, ut distinguantur adoranda opera justitiae et misericordiae tuæ et mirus ordo sapientiae tuæ. Loqueris, Domine, et prædictas expressiones proferens condescendis quodammodo et accommodans intellectui hominis. Hinc et ego audeo humanitus loqui tibi et dicere convenisse taliter agere justitiam tuam. Dum enim populum eduxisti, neandum te populo visibilem reddidisti, neandum pactum cum illo pepigisti, per quod mutua (ut ita dicam) inter te et illum successit observationis obligatio. Ideo parcebas et indulgebas illi, sed jam ei locutus es, majestatem tuam reddidisti ei visibilem, jam legem tuam acceptavit, jam se ad illam observandam libere obligavit.

Ecce, et debilitas intellectus mei agnoscit, quam juste irascaris. Et hic ipse modus agendi justitiae tuæ speculum est, in quo ego memet ipsum video. Ego enim etiam inii pactum tecum in baptismate, et heu, quoties violavi illud, et quoties occasionem dedi furori justitiae tuæ dicere de me, quod de hoc populo ad Moysen dixisti! Dimitte me, dicis ad Moysen, sed quomodo te tenet, nisi per temet ipsum, cum tumet ipse miseras illum, ut dicat populo te propter Abraham, Isaac et Jacob datas promissiones velle liberare ipsum de captitiate, ut induceres in terræ, quam promiseras illis.

Hoc est vinculum, quod te tenuit, et ex his, quæ mihi hunc contemplanda exhibes, confirmor in explicatione mysteriosæ luctæ Jacob cum Phanuel, quam te adjuvante protuli. Jam enim ille confortatus per fiduciam in promissionibus tuis habitam fortis factus fuit contra te. Hinc quam primum (13) arma promissionum tuarum assumit Moyses (ut ita dicam) contra te, sedat furorem tuum, (14) et placaris, ne faceres

malum, quod locutus fueras, adversus populum. Et sic me quoque docet misericordia tua contra provocatum furorem justitiae tuæ recurrere ad arma passionis et sanguinis Christi, Salvatoris mei, quem fudit pro me, et illius amor erga me factus est fortis contra te, unde hæc spes et fiducia reducit tranquillitatem meam et persuadet mihi placatum te fuisse, ne faceres malum, quod ego promeritus sum.

Duplicia sunt arma, quæ Moyses assumit contra te, sed quia in eadem [73:] virtute operantur, (v. 12) præterii. Etiamsi enim populum delevisses, faciens Moysen in gentem magnam promissionibus patribus factis satisfecisses, sed fors promissiones huic populo per Moysen in virtute præcedentium factæ frustratæ<sup>a</sup> fuissent. Hinc utitur ille argumento in versu prædicto (12) allegato, ne te fraudis arguant Ægyptii.

O Domine, quod Moyses præstítit in monte, hoc omni die præstat Filius tuus in adorando sacrificio, cuius memoriam celebrat Ecclesia, quod incruente offert tibi, et ille vulnera sua exhibet in conspectu tuo, ut omni die provocatum furorem justitiae tuæ placet. Da igitur, ut hoc sit fundamentum spei meæ et incitamentum charitatis, ut ego semper plus et plus diligam te, ne sit illusoria et vana spes mea.

(15) Moyses ipse non qua figura primas tabulas legis attulit, quas confregit, ut hæc confractio figuraret legem veterem non penitus delendam, sed confringendam fore. (15. 16) Hæc tabulæ fuerant scriptæ opere Dei, scriptura quoque Dei erat sculpta in tabulis, et hæc ipsa expressio combinata cum illis, quæ infra (cap. 34) refert Scriptura, hanc veritatem confirmabit.

Nescio, Domine, num ignorantiae meæ sit effectus, quod ego reliqua in hoc capite relata nequeam versiculatim applicare, sed respicere tamquam exempla judiciorum tuorum. Contrivit enim descendens de cruce Christus vitulum aureum Synagogæ, quem in adinventionibus suis adoraverat, confractis tabulis legis et pulverem ejus tamquam fæces calicis iræ et ultiōnis justitiae tuæ fecit ebibere totam gentem. (34) Nam in die illa ultiōnis excidii Jerusalem visitasti, et hoc peccatum eorum et quamvis effusione sanguinis, in quo filii Levi manus suas consecrarunt, videatur placata fuisse ira tua, (35) tu tamen tandem percussisti populum pro reatu vituli, quem fecerat Aaron.

Fortis factus fuerat Israel<sup>b</sup> contra te, et ideo etiam populus per marcidum nervum femoris<sup>1</sup> repræsentatus non est deletus, antequam ingressus fuisse terram promissionis melle et lacte fluentem. Hæc exegit a te fidelitas, quam observas in promissionibus tuis, irasperis, et tamen promittis (34) angelum tuum, qui præcedat eum. Quis est sanæ rationis, qui ex hoc quoque exemplo non videat numquam te ita destituere illos quoque, quibus irasperis, quin omnibus gratiis destitutas.

Infiniti sunt enim hi gratiarum thesauri, ex quibus largiris unicuique hominum quantumvis, ut pervenire possit eo, quo dirigis vias ejus. His jam allicitur, jam trahitur, jam compellitur, ad nihil tamen ita cogitur aut violentatur, ut non possit non facere, sed hæc voluntas ejus libera tamen non frustrat fine suo gratias, quas das ei, nec reddit infructuosas respectu [74:] consiliorum tuorum.

Verum tu, Domine, dignaris adhuc me revocare ad ruminationem præcedentium versuum, et reddis mihi sensibiores eventus hujus historiæ, quos heri præteriit ignorantia mea. Dicis Moysi: Vade, et duc populum istum, promittisque te angelum

<sup>a</sup> Corrèxi ex *frustrarie* (?)

<sup>b</sup> I. c. Jacob

<sup>1</sup> Cf. Gen. 32,25.

daturum, qui præcedat illos. Et ex his confirmatur te placatum fuisse (prout jam v. 14. relatum est), sed ego omisi considerare effectus placationis tuæ. Procul dubio enim hæc misericors dispositio tua reddidit populum hunc duræ cervicis tam docilem et obœdientem ad adventum Moysis. Eousque sacrificabat coram vitulo, choræas ducebat et cantabat, et ecce, adveniens Moyses confringit vitulum, comburit, et nemo resistit illi ex tanta insipientis et duræ cervicis populi frequentia. Bibit cineres vituli, quem ante pro diis reputaverat cum docilitate, sed quod his longe mirabilius, dicente Moyses: (26) Si quis Domini est, jungatur mihi, et ecce, tribus Levi consurgit congregaturque ad illum, (27. 28) accinctum stringunt gladium filii Levi, et jubente in nomine tuo Moyse sæviunt in patres, fratres et filios, et omnis populus sicut oves ad occisionem ductæ<sup>1</sup> stat immobilis et omnes obvii se necari ac jugulari sinunt, nec deos nec patres nec fratres nec uxores nec soboles defendere conantur.

Unde me doces, o adoranda bonitas, effectus primos placationis tuæ esse docilitatem et obœdientiam. Loquitur Moyses, confringit, comburit vitulum, omnis populus in silentio docilitatem exprimit, ipse Aaron in simplicitate se excusat. Loquitur Moyses, inquam, et vix mandatum tuum edicit, obœdiunt Levitæ in sæviendo, ipse met populus mortem excipit in patienti obœdientia. Hæ gratiæ fuerunt signa placationis tuæ, Domine, his tamen neandum peccatum expiatum fuerat, sed solummodo missionem angeli promeruerant, adhuc supermansit visitatio tua in die ultionis. (35) Percussisti enim populum pro reatu vituli, quem fecerat Aaron, et quando profecto tunc, quando expetiisti e manu ejus omnem sanguinem justum a sanguine Abel usque ad sanguinem Zachariæ et sanguinem ipsiusmet Filii tui, qui tamen hodie dum supermanet super ipsis in justitiam, donec in die misericordiæ tuæ convertatur in misericordiam.

O Deus, quam pronus es ad placandum, quam longanimis ad puniendum! Quam justus es et misericors, quam timendus! Sed si ausim dicere, ex omnibus his adhuc plus diligendus es, quia dum diligenter, timeris, sed ubi timeris, non semper diligenter. Diligam igitur te, summum bonum meum, ut timeam timorem dilectionis, diligam, quæso, ne timeam timore timoris!

#### [75:] SUPER CAPUT 33.

Deus misericordiarum et fons omnis bonitatis, profunda sunt secreta Scripturarum tuarum et obscuritas intellectus mei magna nimis! Ostende, quæso, lumen mihi, ut ambulem in eo! Exsurge, dignare docere me, ne deviem, aperi labia mea, ut loquar tibi!

(1) Peccavit populus, placatus es, et ille docilis effectus est, sed tu, Domine, neandum dignaris appellare illum populum tuum, sed quodammodo repellens a facie tua jubes Moysi, ut vadat, ascendat de loco isto et populus ejus, quem duxit de terra Ægypti. (2) Promittis denuo te missurum angelum, qui ejiciat Chananæum et ceteras gentes et intret (3) in terram melle et lacte fluentem, sed tu neandum vis ascendere cum illo, quia populus duræ cervicis est, ne forte disperdas eum in via.

Loquela hæc est simplex et quodammodo proportionata intellectui humano. Expressit bonitatem tuam et demonstrat mihi, quam invite irascaris, et quam differentes

<sup>1</sup> Cf. Is. 53,7.

sunt gratiæ, quas largiris. Ducas omnes homines per gratias tuas communes, concurris in omnes actiones hominis simultaneæ tamquam causa prima, sed non omnes ducas per gratias efficaces et sanctificantes directe agens in ipsos et cum ipsis, et procul dubio hic differens modus ducendi figuratur per hæc verba tua, sed populus non contentatur hac dispositione tua (4) et sermonem tuum pro pessimo reputat.

Ecce, luget et nullus ex more induitur cultu suo. Unde tibi, o Israel, docilitas præcedens, quam observavi, et hanc subsequens luctus ac agnitione loquelæ, quam pro pessima reputas? Ecce, tardio affectus nolebas subsistere in loco tuo, et Moyse tardante quærebas deos et faciebas tibi, ut te ducerent. Nunc Deus promittit tibi angelum suum, ut expellat gentes a facie tua et introducat te in terram promissam, nec amplius contentaris angelo, sed ab ipso Deo tuo vis duci? Procul dubio iste est placationis Dei tui effectus, qui tibi luctum hunc inspiravit, et semet ipsum ductorem habere velle dedit, adhuc tamen duræ cervicis diceris, quia tantummodo figura es populi illius electorum, qui non nisi per gratiam sanctificantem depositurus est cervicis suæ duritiem, ut in perseveranti fide et docilitate sequatur Deum ac Patrem suum ducentem in terram viventium, quo non nisi ille inducere potest. Deposuisti vestes tuas, et lugere videris, sed neicum Deo sufficit hæc dispositio tua, quia (5) denuo ornatum tuum deponere [76:] precipit, ut sciat, quid faciat tibi. Tu quoque discas exinde, quod non ex justitia operum tuorum, sed ex misericordia impetrabis veniam et vocaberis denuo populus Dei, non Moysis.

(6) Obœdis Deo et deponis ornatum, poste aquam non amplius indutus fuisses cultu tuo (4), et hæc differentes expressiones cultus et ornatus docent me in luctu pænitentiæ deponi debere consuetudines vitæ mundanæ tamquam cultum et complacentiam vanæ gloriæ in operibus, virtutesque morales tamquam ornatum, ut in simplicitate et nuditate humilitatis præsentans se homo Deo committat se illi. Deposuit itaque cultum et ornatum suum populus carnis in Monte Horeb, populus autem spiritualis deponit in Monte Calvariæ, cuius ille figura fuerat.

Hæc sunt, o Deus infinite misericors, quæ me ex hactenus consideratis docere dignatus es, sed ecce, deficio in contemplatione subsequentium. (7) Refertur Moyse tabernaculum extra castra tetendisse et illud tabernaculum fœderis nominasse, sed quod tabernaculum, si quidem illud, quod fieri jusseras, neicum factum fuisse ex sequenti cap 34. et sequentibus apparet? Dicamne cum interpretibus hic de alio tabernaculo agi? Sed non me reflecto hactenus memoriam ullius tabernaculi repperisse, in quo adoratus fuisses. Dicamne hoc caput transpositum esse et res gestas non suo ordine referri? Sed nec hoc temerarie statuere præsumo, quia opinionem meam in nullo textu fundari sentio. Fors itaque essent adinventiones meæ. Videor mihi penetrare rationem, cur tabernaculum extra castra tensum fuerit, ut te, Domine, neicum reconciliatum fuisse cum populo, nec habitare<sup>a</sup> in medio illorum visibiliter appareat.

Sed num illud, quod fieri jussisti, num aliud fuerit hoc tabernaculum, penitus ignoro, sed quodcumque fuerit tabernaculum hoc, sufficit mihi inquirere, quid designaverit, quod quidem mihi indicare dignaris, sed jam dicta referenda sunt mihi, ut per combinationem tollatur contrarietas, quam debilitas mea evitare nequit, nisi te adjuvante. Jam enim sæpe confessus sum me hæc scribere absque prævia meditatio ne totius historiæ, sed secundum occurrentes versus. Memini. Domine, me dixisse

<sup>a</sup> Sic! (recte: *habitasse*)

ad initium historiæ hujus exitus populi ex captivitate Moysen divinam, Aaron humanae naturam Christi, virgam, per quam ambo fecerunt miracula, unionem unius cum altera figurasse, et hæc applicatio in ordine processit [77:] usque ad caput 24., super quod meditans protuli videri mihi supradictam figuram cessasse in Moyse.

Sed, o Domine, ecce, hæsito, quæro, nec reperio, quid de his referre debeam. Ostende mihi faciem misericordiae tuæ, corusca fulgorem luminis tui, ut dissipentur tenebrae meæ! Loquere, ut loquar! Fors hoc tabernaculum solummodo ideo tendi voluisti, ut videns populus in nube novum visibile signum præsentia tuæ et Moysen euntem et redeuntem ex tabernaculo non hæsitet, non dubitet in absentia ejus et ne de novo recurrat ad quærendos sibi fictiles deos. Agnosco, Domine, hæc taliter explicari posse, sed adhuc profundiores veritates continere, quas te adjuvante debilitas mea, ecce, coruscationum adinstar quandoque videt, sed subito dispergit, et ego reincido in tenebras meas.

Ecce, jam in præcedentibus observavi te dedit mandata tua de exstruendo tabernaculo, de consecrando Aaron et filiis ejus, sed ante exsecutionem horum mandatorum tuorum intercessit peccaminosa adoratio vituli, et horum prævia institutio subsequens per peccatum populi, exsecutionis institutorum interruptio observanda est mihi in combinatione tam profundarum veritatum. Indicant enim mihi veritates, quarum pars ad corpus Christi passibile et per consequens tempus conversationis ejus, pars ad glorificationem corporis ejus refertur. Tabernaculum vivum testimonii fuit corpus Christi ante glorificationem extra castra populi sui spiritualis positum, quod Moyses (id est divinitas), postquam Synagoga in idolatriam adinventionum suarum abivisset, erexit, nubis columna ad ostium tabernaculi descendens figuravit infirmitates humanas, et dum populus vidisset hoc tabernaculum, consurgebat (7) et egrediebatur ad quæstiones faciendas. (8) Pars tantummodo tergum Moysis respiciebat. (10) Universi cernebant nubem ad ostium tabernaculi stantem, sed remanentes in tabernaculis adorabant, et vere similiter agebat populus tempore conversationis Christi. Alii egrediebantur e civitatibus ad ipsum, alii remanentes in domibus admirabundi audiebant, quæ dicebantur de eo, et hi nonnisi tergum respiciebant.

Jam egrediebatur, jam recedebat Moyses e tabernaculo, et vere taliter factum fuit secundum [78:] judicium humani intellectus,<sup>a</sup> dum in miraculis Christi divinitas accedere videbatur tabernaculum humanitatis, et in laboribus, fatigiis, desolationibus ac plurimis infirmitatum humanarum effectibus recessisse credebatur et tabernaculo. (11) Puer tamen Josue (qui per nomen suum characterem Salvatoris exprimit) numquam recedebat e tabernaculo, quia quidquid Christus egit pro salvando homine, qua Salvator fecit, et hic character Salvatoris agebat in ipso in ipsis infirmitatum et languorum humanæ naturæ apparentiis quoque. Hic Moyses divinus loquebatur de facie ad faciem tecum, Deus, (12) modo longe excellentiori, quam Moyses homo.

Hæc tamen loquela, quam Scriptura refert, convenire nequit, nisi in sensu litterali de Moyse homine, non figura intellecta et historice prolata, sed ego vix audeo ruminare illam, nec in sequela jam dictorum penitus aliam dispositionem attribuam Moyse, quam communis opinio attribuit illi, nam alii fidem, alii fiduciam ejus mirantur, alii contemplationis desiderium attribuunt illi, ego autem in Moyse semper eundem agendi modum reperio, quem rettuli ad initium Exodi, ubi agebatur de prima visione rubi ardantis. Agit et loquitur tibi, Deus, in simplicitate cordis humani, vere secun-

<sup>a</sup> Correxit ex *intellectus*

dum expressionem Scripturæ sicut amicus ad amicum. Tu enim quoque ita loquerabis ad illum.

Absit, ut illi fidem, fiduciam et magnum affectum erga populum, cuius dux fuit, denegem. Omnia enim hæc dederas illi secundum mensuram status sui et consiliorum tuorum. Exprimit itaque in omnibus characterem fidelis servi domus tuæ, sed non filiorum Dei, qui nati sunt ex Deo. (13) Vult te scire, (16) vult, ut ambules cum ipso. Quare? Ut ille et populus glorificetur ab omnibus populis, qui habitant super terram. (17) Dignaris promittere illi, quæ petit, invenit gratiam coram te, sed non nisi ex nomine noscis ipsum, non ex qualitate Filii nati ex te. (18) Ille gloriam tuam videre petit in simili spiritu, prout Philippus, apostolus Filii tui te, Patrem æternum videre petierat dicens Christo: Ostende nobis Patrem!<sup>1</sup> Sed tu, Domine, omne bonum ostendere et in nomine Domini vocare promittis coram illo, temet ipsum autem non promittis illi, quia non nisi post effusum [79:] sanguinem Filii tui factus est capax visionis gloriæ tuæ et tuimet ipsius. Quare? Quia misereris, cui vis, et clemens eris, in quem placuerit tibi.

Promittis, Domine, te ostensurum omne bonum Moysi, promittis vocare nomen tuum coram ipso, sed prædictis verbis instruis illum te hæc daturum ex misericordia. Respicis, Domine, et exaudis loquelas cordis sinceri et recti Moysis, statuis super petram (21), sed non nisi ex foramine petræ vidit transeunte gloria tua posteriora, non autem faciem tuam (22. 23).

Hæ sunt, o Deus infinite misericors, expressiones, per quas mihi manifestare dignaris ingentem illam differentiam, quam apparere oportuit inter mediatorem legis veteris et legis novæ. Moyses mediator primæ refertur, quod tecum de facie ad faciem sicut amicus cum amico locutus fuerit, te tamen videre (20) non potuit, sed gloriam tuam per foramen petræ et posteriora tua vidit, id est, cognitio tua non fuit intrinseca illi, sicut mediatori legis novæ, sed cognitio a posteriori seu ex operibus tuis legem per ministerium angeli recepit, et fors etiam faciem tuam in illo vidit, et gloriam tuam tantummodo transeuntem per foramen respxit.

Sed mediator legis novæ Deus Homo tibi consubstantialis Deus te intrinsece vidit, cognovit, et gloriam tuam, quam habuit, manifestavit et populo fratribusque suis clariorem cognitionem divinitatis per manifestationem divinarum personarum promeritus est, quam utrum Moyses habuerit, ex hactenus consideratis nequit discerne-re debilitas ingenii mei. Hæc enim omnia, quæ vidit, non nisi per foramen mysteriosæ petræ, id est, per anticipatum meritum lumen Christi transitorie vidit. Quæ siquidem ex sequentibus clarius elucescunt, transgredior, Domine, invocato luminis tui auxilio ad consideranda illa, ex quorum contemplatione miseræ animæ meæ in petra corporis sui constituta gloriam tuam videre cupit, ut te plus diligere et diligendo adorare valeat!

#### [80:] SUPER CAPUT 34.

Protuli, Domine, Moysen tabulas legis confringentem figurasse Christum, nec tunc retractandi hanc opinionem occurrit materia. Confregit enim legem, in quantum occasio peccati fuit, et in hoc sensu confractæ legis supermanentes partes non

<sup>1</sup> Ostende....: Ioan. 14,9.

abolevit, sed implere exemplo suo docuit. Recepérat Moyses a te, Deus, per ministerium angeli primas tabulas digito tuo, uti Scriptura rettulit in lapideis tabulis exaratas. Hic autem, (1) ecce, jubetur Moysi, ut præcidat sibi duas tabulas adinstar priorum, super quas hic scribere promittis legem. Sed infra (27) Moysen scribere jubebis, et illum scripsisse (28) clare docet.

Tu vides, Domine, ego autem sentio ignorantiam meam. Confiteor igitur me rescire, quomodo combinem, quæ repræsentantur mihi. Descenderat Moyses cum tabulis, quas confregit, vitulum aureum contrivit, tabernaculum fœderis erexit, hic de novo ascendere jubetur, scribit legem, 40 diebus manet in monte, et denuo facie resplendente glorificatus descendit legem afferens, quæ in arcam fœderis condita est. Repræsentant hæc mihi Christum de cruce descendantem, tabulas legis consummatis omnibus et velum templi confringentem, vitulum aureum propriæ justitiæ et justificationis per observantias legis, quem Synagoga quodainmodo adoraverat confidens in illis, conterentem, tabernaculum corporis sui erigentem tribus diebus et tribus noctibus, et in hoc sensu 40 horis per totidem dies figuratis tecum manente, et sic cum vultu et corpore glorificato discipulis suis, electæ plebi suæ duas novas legis charitatis tabulas afferentem, quæ repositæ<sup>a</sup> sunt in arcam Ecclesiæ suæ in sempiternum conservanda. Lapideæ sunt nec umquam confringendæ hæ duæ charitatis Dei et proximi tabulæ, in quibus scripta est nobis omnis lex a Christo et has tabulas in arca cordis conservare oportet. Hanc enim esse arcam veram jam me rettulisse memini.

(31) Timuerunt Aaron et principes Synagogæ accedere Moysem,<sup>b</sup> et ecce, repræsento mihi Petrum et ceteros apostolos in prima apparitione Christi timentes, sed postquam locutus est ad eos, (32) venerunt ad eum etiam omnes [81:] filii Israel. Qui enim non venerant, ex patre Diabolo erant,<sup>c</sup> venerunt autem, postquam locutus est ad eos, (32) quibus præcepit cuncta, quæ audierat, et habuit a te, Pater æterne. (33) Impletisque sermonibus posuit velamen super faciem suam, nec enim omnibus hominibus apparuit, sed nec cum<sup>d</sup> discipulis suis continue conversatus est. Velavit nobis divinus hic Moyses faciem suam velo accidentium panis, sub quibus populo suo se reddit visibilem, sed hoc velum Moysis ipso Apostolo dicente directius hodie quoque in cæcitate perseverantes Judæos respicit, quorum corda teguntur nec veritatem videre possunt.

Crederem, Domine, hæc absque ordine hic referri a me, si mihi non dignatus fuisses revocare in mentem illa; quæ a cap. 24. relata sunt tamquam post hæc, quæ hic ego scribo, agenda institui. In illo enim capite agebatur de sacrificio, quod sacrificium crucis figuravit, subsequentia legem, tabernaculum erigendum et Aaron consecrandum respiciebant usque ad adorationem vituli aurei, per quam nunc, ecce, te illuminante clarus agnosco designatam<sup>e</sup> fuisse quoque, Judæos vero Messia crucifixo alium imaginarium Messiam exspectantes in illo vitulum aureum adoraturos.

<sup>a</sup> Partim in rasura

<sup>b</sup> Sic!

<sup>c</sup> Sic?

<sup>d</sup> Cf. Ioan. 8,44.

Obscura videtur mihi hic repræsentata figura glorificationis corporis Christi (resurrectio enim ipso Salvatore manifestante<sup>1</sup> in Jona figurata fuit), clara tamen est, quodsi attentius consideretur, in quantum Moyses veteris legis lator Christum novæ legis latorem respicit. In hoc sensu enim appareat hic nonnisi prædictam glorificationem repræsentari quodammodo oportuisse, cum nec ipsum cruentum sacrificium aliter, quam per sacrificia animalium, in quantum effusione sanguinis et mortem requisivit, figuratum fuit; oportuit Christum primum esse ex resurrectione, hinc quamvis, uti dixi, Jonas resurrectionem repræsentaverit, mortuus tamen non fuit prævie, sed tantummodo in ventre piscis latuit, et sic hic quoque Moyses per absentiam et commorationem in caligine eandem mortem repræsentare potuit.

Sed dicet mihi argutus censor Christum 40 horis (quas 40 diebus figuratas fuisse dixi) non mansisse in sepulchro, ergo figuram hanc non correspondere veritati. Dicit profecto, sed quia resurrectionis hora non constat, [82:] tres autem dies commorationis in sepulchro seu mortis ab ipso Christo prædictæ fuerant et in exemplo Jonæ noctes his conjunctæ sunt vel dies vel noctes breviores fuisse oportet dicere vel 40 horas in illis admittere, nam secundum communem sensum interpretum more Iudeorum dies a vesperis præcedentis diei ad vesperas subsequentis supputantur et taliter etiam numerum 40 horarum comprehendunt, præcipue cum hic non directe figuretur mors et resurrectio Christi, sed absentia ejus a discipulis.

Sed, o Domine, siquidem ego prout sæpe repetii, in applicatione et modo meditandi versiculatim procedo, jam ex consequenti præcedentium multa mihi ab initio historiæ exitus populi combinanda sunt, quæ præterit aut omisit ignorantia mea. Adjuva me, quaso, si placitum est tibi, ut escam mihi jam porrectam et in nutrimentum animæ meæ conversam ruminem et suavitatem ejus denuo sentiam! Hæc historia sacra exitus populi ex captivitate Ægyptiaca, in quantum figuræ respicit, videtur mihi inchoari a missione Moysis, qui post 40 annos peregrinationis suæ rubrum ardenter vidit et a te, Deus, de educendo populo mandatum accepit.

Et si in hoc quadrageenario numero pro anno uno centum anni accipientur, reperio tempus initii quarti millennarii, in quo divinus Moyses descendit de cælis ad exoperandam eliberationem generis humani e jugo peccati. Egit Moyses et Aaron in virtute virgæ, ac tam stupenda patravit portenta, eliberationem tamen populi non nisi mors primogenitorum effecit, qui antequam percuterentur, immolatio agni paschalis instituta est, cuius sanguine illinitas domorum postes transiit angelus percutiens, ut jam tunc præfiguraretur effusionem sanguinis salutem exoperaturam. Immolatio fuit agni instituta non sacrificium in memoriale perpetuum eliberationis, et hujus figuræ veritatem ipse Christus in ultima cena instituit et manifestavit. Suffecit effuso sanguine agni semel illinvisse postes ad evitandam percussionem angeli, sed memoriale immolationis agni semper substitit, unde ego agnosco veritatem suffecisse in salutem humani generis semel in cruce peractum sacrificium, sed ipso Salvatore instituente immolationem ejusdem victimæ ad perpetuandam sacerdotium Melchisedech in perpetuum subsistere debere.

Sic transiit Israel Mare Rubrum, sic succendentibus [83:] prædictis veritatibus baptismus institutus est, sic reliqua miracula patrata sunt adusque datam legem tam-

<sup>1</sup> Cf. Matth. 12,39 sqq.

quam sequelæ præcedentia particularius designantes et virtutem illorum clarius explicantes.

Tandem 40 diebus elapsis pervenit populus ad Montem Sinai. Apparisti, Deus, in<sup>a</sup> monte, vocasti Moysen, Domine, qui primo narravit omnia populo, quæ a te audivit, quæ posteaquam populus acceptasset, scripsit universos sermones Domini et mane consurgens ædificavit altare, sacrificium obtulit et sanguine victimarum altare et populum conspersit. Hæ sunt denuo figuræ generales veritatum, quæ simul et semel repræsentant mihi œconomiam adorandam, per quam exoperata est salus generis humani. Hic repræsentatur sacrificium cruentum Christi, in cuius sanguine novum testamentum conditum est.

Ascendit Moyses montem de novo, et mansit 40 diebus et noctibus, interea populus erexit vitulum aureum, et Moyses redux confregit tabulas, in quibus exarata fuerant X præcepta tua. Ex horum autem combinatione agnosco primo alium fuisse librum legis, super quem Moyses per aspersionem sanguinis iniverat pactum, cuius legis mediator ipse Moyses fuit, aliæ tabulæ legis, quas confregit, in quibus digito tuo scripta fuere præcepta, et ex his agnosco 2<sup>o</sup> pactum per meditationem hominis Moysis initum in sanguine animalium confirmatum figurare potuisse testamentum per meditationem Dei Hominis, Filii tui, Deus, factum, et in sanguine ejus confirmatum, sed præcedens pactum subsistere non debuisse nec legem a Moyse conscriptam sat virtutis habuisse. Prout igitur jam dixisse memini, tabularum primarum per Moysen facta confractio legis in certa parte abrogationem denotare potuit. Agnosco præterea 3<sup>o</sup> sacrificii Christi novi testamenti mysterium et novæ legis publicationem in his, quæ ad Montem Sinai facta sunt, præfigurata fuisse, quorum ut quæ ante, quæ post glorificationem Christi futura erant, distinguerentur, per glorificationem aut potius dicam, clarificationem faciei Moysis designantur.

Hæc sunt, Domine, quæ te adjuvante pro combinatione jam dictorum credo memorare oportuisse. Fatebor tamen ignorantiam meam me nescire, quid figuraverint primæ 40 dies commorationis Moysis in monte. Scio secundum [84:] communem sensum illis<sup>b</sup> 40 diebus jejunii Christi applicari, nec ego hanc explicationem rejicio, sed in ordinem horum, quæ te auxiliante rettuli, redigere non valeo. Jejunium enim Christi præcessit conversationem et prædicationem ejus, et magis applicari posset ad 40 annos peregrinationis Moysis.

Sed o Domine, sit tibi laus ex illis quoque, quæ mihi necdum dignaris manifestare. Agnosco enim mysticum esse numerum quadragenarium, ad quem peregrinatio Moysis et populi et duplex jejunium referuntur. Sed mysterium hoc penetrare non valet ignorantia mea. Hinc per gratiam tuam reassumo meditari hoc caput, quod videtur mihi referri ad publicationem novæ legis et reconciliationem tuam cum populo.

Tabulas legis veteris ipsemet excideras, Domine, per ministerium angeli, sed legis novæ tabulas Christus per Moysen figuratus excidit. (3) Injungis de novo, prout occasione primi ascensus Moysis ad montem factum observavi, ne quis ad montem accedat et ne quidem pecora pascantur in circuitu ejus, sed in descensu tuo non amplius repetuntur buccinarum clangores, tonitruum reboatus et fulgurum ac lampadarum coruscationes, sed omnia objecta, quæ ipsemet Moyses vidi, provocant illum

<sup>a</sup> Ante in in margine: Cap. 24.

<sup>b</sup> -is cum correctione?

ad deprædicandam misericordiam, clementiam, patientiam, multas miserations et veracitatem tuam (6). Dicamne hæc referri ad descensum Spiritus Sancti, per quam nova lex publicata est? Communis et recepta est hæc opinio, nec ego illi contrariari audeo. In quantum enim lex vetus legem novam præfiguravit, et ipsa sollemnitas Pentecostes instituta est in hanc memoriam legis datae, procul dubio 40 dies ab exitu populi usque ad adventum ejus ad Montem Sinai 40 dies a Paschate ad diem Pentecostes designarunt. Sed in hoc sensu quoque fors non errabo, si dixerim pro die publicationis legis non unam solam diem accipi, sed totum tempus commorationis populi ad radices Montis Sinai. Omnia enim, quæ hic unius anni spatio usque ad erectionem tabernaculi facta sunt, legem concernunt, et hinc agnosco in hac figura annos pro diebus sumi debere, et secundum hunc calculum omnia clariorem reperient explicationem.

Imploro tamen misericordiam tuam, Domine, ne me deviare sinas in cogitationibus meis et nimis rigorosis perquisitionibus aut applicationibus figurarum. Tu vides enim incitamentum, quod dignatus es dare mihi non provenire ex cupiditate sciendi, sed te [85:] diligendi ex admiratione et profunditate operum tuorum. Agnosco, Domine, legem nobis datam esse a Christo, Salvatore nostro scriptam in cordibus fidelium digito tuo, Deus, seu per Spiritum Sanctum, et hanc legem, hanc scripturam figuram (1) dicens Moysi te scripturam super tabulas verba. Quia tamen (prout jam meminisse recordor), jubes: (27) Scribe tibi verba hæc, his præfigurari dicam legem per evangelistas et apostolos scriptam, quæ conformis est legi veritatis et charitatis in cordibus fidelium digito Dei scriptæ. In hoc igitur sensu quis non videbit per publicationem legis veteris descensum Spiritus Sancti figuratum fuisse, sed in quantum descensus Spiritus Sancti est complementum mysteriorum et promissionis, fors alibi figurabitur, sed necdum audeo de hac re proferre nimis vagas cogitationes meas.

(10) Respondit Dominus: Ego inibo pactum. Supponit debilitas mea hic agi de pacto quodammmodo reconciliationis cum prævaricatore populo, quamvis enim ex jam dictis populum idolatriæ suæ pænituisse appareat, quia tabernaculum fœderis extra castra tetendit Moyses, ex eo appetet adhuc continuatio indignationis tuæ, unde hic renovando promissiones tuas (10) repetis mandata tua, ad quorum observationem de novo obligas populum Israel, et primo omnium monet illos charitas tua, (11) ne jungat amicitias cum populo terræ, quam promisisti ei, ne eum faciat forniciari cum diis alienis.

(19) Omnia tua sunt, quæ creasti; quia tamen per mortem primogenitorum Ægypti eliberasti populum ex captivitate, omne primogenitum modo singulari tibi afferri jussisti, et hoc procul dubio in memoriam primogeniti illius filiorum Dei, cuius sacrificium salutem humani generis exoperatum est, et primogenituram sanctificavit. Et quia semen Abrahæ, quod illi ex promissione datum est, masculum fuit, in eandem memoriam seminis illius, in quo promissiones impletæ erant, oblationem generis masculini vendicas<sup>a</sup> tibi ex omnibus animalibus, quæ ad materiam sacrificiorum destinata erant et usui populi deserviebant. Cur autem (20) primogenitum asini ove aut pecunia redimi jubeas, de hoc cogitationes meas te adjuvante proferendi fors in libro sequenti Scripturæ dabitur occa-

<sup>a</sup> Sic!

sio, in quo quæ hic generalibus terminis de sacrificiis ordinantur, particularius deducuntur. Hæc, quæ in hoc capite referuntur, [86:] jam in praecedenti capite 23. relata fuerant, procul dubio ut denotetur figurare illas veritates, quæ in publicatione novæ legis manifestabuntur, cum reliqua, quæ in predicto capite relata hic non repetuntur, non sunt figuræ, sed partim in justitia tua fundatæ semper subsistentes leges, partim per celebrationem sabbati abrogatam impleta veritate illa, quam designabant, cessarunt.

Hæ sunt leges, quas te jubente, Deus, Moyses in librum legis scripsit et illas, quæ Decalogum concernunt, in tabulis lapideis digito tuo exaratas de monte rettulit, quæ quia in charitate tua et proximi fundatæ sunt, per Christum Dominum nostrum filiis quoque tuis observandæ traditæ sunt.

Da<sup>a</sup> igitur gratiam tuam, Domine, ut ego illis conformem ducam vitam cunctis diebus peregrinationis et exili mei super terram, ut me taliter hic supremæ voluntati, justitiae et charitati conformans tecum uniri merear in æternis habitaculis tuis!

#### SUPER CAPUT 35., 36., 37., 38., 39. et 40.

Reconciliatus es, Domine, uti dicis, populo tuo. Ecce, in signum misericordiæ tuæ munera et oblationes eorum exigis, quæ ad exstruendum mysteriosum glorificatio- nis tabernaculum requirebantur, ut sit illud in habitaculum tibi et tu maneas in medio ejus.

Tu vides, o Domine, necdum dedisse te mihi gratiam, ut plus de illo et de vestibus Aaron referre possim, quam quæ supra connotavi. In sensu autem illorum seu tabernaculorum ipsum seu vestes<sup>b</sup> Aaron corpus Christi glorificatum figurasse dicam, fors non erit veritati contrarium. Ecclesia enim tua idem corpus constituit cum capite suo et characterem sacerdotii participat ab ipso. Conveniebat (prout jam annotavi) populo carnali sensibilia gloriæ et majestatis habitaculi tui dare objecta, quæ nunc in Ecclesia filiorum et populi spiritualis specialiter ad cultum adorationis in spiritu et veritate<sup>c</sup> referuntur, et vere convenientius est et dignius Creatore[m]<sup>d</sup> in corde creaturæ suæ habitare, quam in exstructo tabernaculo operis manuum suarum. Quamvis enim nihil te præter temet ipsum dignius sit, quia omni creatura pro homine creata<sup>d</sup> dignior est homo, imago et similitudo tua, nihil te dignius, nullum habitaculum gloriæ [87:] et majestatis tuæ convenientius ipso, sed cor ejus seu natura ejus prius mundari debuit et tanto habitatore dignum redi, posteaquam per peccatum fœdata fuisset prædicta natura ejus.

Et hæc veritas est, quæ figuratur per illa, quæ in his residuis capitibus historiæ exitus populi tui ex captivitate præfigurantur. Quidquid igitur tunc sensibiliter et visibiliter instituisti, nunc spiritualiter exigis in præparando habitaculo tuo in mini-

<sup>a</sup> Da sc. mihi

<sup>b</sup> Correxit ex vestis?

<sup>c</sup> Supplevi

<sup>d</sup> est supra lineam suppleta, postea delecta

<sup>1</sup> Cf. Ioan. 4,23.

sterio sacerdotii et in cultu adorationis et servitii tui. Non cessarunt illa, quæ mandasti, sed lacerato velo manifestavit misericordia veritates, pro quibus tegendis ordinata fuerant. Pretiosi lapides, vestes et supellectiles justitiae, veritati et charitati tuae conformes designarunt virtutes, quæ quia sunt emanationes et productiones essentiae tuae, habitans in illis in te ipso manes et filii tui in te. Aurum, argentum, coccus et byssus inanimata et pro hominum usu creata sunt, et tumet ipse, si ausim dicere, tamquam peregrinus ex corde hominis per peccatum expulsus videbaris habitare in illis, donec fortis armatus<sup>1</sup> recuperasset habitaculum, quod pro se creaverat, et contrito capite Serpentis<sup>2</sup> expulso ac deleto peccato ingressus est habitaculum cordis humani, in quo tamquam in arca habitat Spiritus ejus in fidelibus. Hujus tabernaculi et arcæ figuram erexit Moyses, postquam clarificata, luminosa et resplendent facie descendisset de monte, et ex hac ipsa consideratione confirmor figuram fuisse glorificationis Christi post resurrectionem, in cuius faciem nequeunt respicere Judæi, nisi ipse Moyses, id est, Christus tollat velum, quo velata est facies ejus et cor illorum.

Moysis facie clarificata, inquam, construitur, ordinatur et erigitur tabernaculum, consecratur Aaron et filii ejus, et finiuntur omnia, quæ unius anni spatio ordinabantur ad Montem Sinai, et profecto etiam Christus omne opus redemptionis resurgentis glorificatus consummavit.

Hæc figura terminat Exodum, hæc veritas exoperata est eductionem generis humani e servitute Diaboli. Hæc sunt, o Deus, summum bonum et lumen animæ meæ, quæ te donante super librum Scripturæ tuæ, qui Exodus nuncupatur, inter vernales dissipationes temporis, quas humana miseria relaxationes animi appellat, et æstivales tædiosos calores tibi rettuli, inter quos fors plus debito dispensaverunt sibi infirmitates et fragilitates meæ a [88:] vigiliis nocturnis, et hinc causatæ ariditates, tepiditates et segnities multoties esca meditationum defraudarunt animam meam. Hæc sunt, Domine, quæ ego in me reperio, dum me examino, quomodo gratiis tuis mihi datis correspondi et tempore usus fuerim, quod vere fors plus justo ad serviendum corpus, quam ad nutriendam animam me convertisse, heu, quam juste dolere debeo!

Sed quia de his, quia mihi nimis adjacent, adæquate judicare nequeo, repræsento<sup>a</sup> tibi, et imploro misericordiam tuam in humili agnitione miseriarum condicionis meæ, cuius maxima proprietas est ignorantia, quæ inter illa, quæ corpori, quæ animæ debentur, adæquate discernere nequit. Et heu, quam sæpe bonum facere volens malum, quod nollet, facit! Hæ sunt, Domine, continuæ justorum gemituum et humilationis meæ causæ, a quibus quia in hac misera vita immunis esse nequeo, a te sublevari, adjuvari peto.

Sed quid superaddam de illis, quæ conscripsi, quæ fors plurimis impropriis, indiscretis, scandalosis, male sonantibus, fors et ad errorem tendentibus expressionibus ac propositionibus referta sunt, quia ignorantia mea non nisi hos fructus producere potest tenebræque meæ non nisi tenebras generare valent? Et hæc est veritas, quam me agnosceré fecit misericordia tua. Sed præsumptionis esset credere tantum lumen dedisse, ut hæc evitare possim. Dedisti tamen odisse, detestari, retractare velle omnia, quæ talia sunt tamquam me nolente cogitata, dicta et scripta.

<sup>a</sup> repræsento sc. me (cf. Ms. fr.: *je me presente*)

<sup>1</sup> Cf. Luc. 11,21.

<sup>2</sup> Cf. Gen. 3,15.

Non de illis loquor, quæ mihi imputare potest humana cogitatio, sciolitas aut ipsa loquendi modulos habens scientia. In his enim, quæ protuli, non hominibus, sed tibi, Deus, cordis et renum meorum scrutatori<sup>1</sup> locutus sum in humili docilitate, et in hac fundata libertate dilectionis tibi laudem, tibi gloriam ex meditatione magnalium tuorum præstare volentis.

Objeci mihi met ipsi saepius et, ecce, denuo objicio, cur in hac sacra historia Aaron figurasse dixerim naturam humanam Christi, cum ipsum vitulum aureum conflavisse et peccati populi causam fuisse referat Scriptura cap. 32, et de hoc ab ipsomet Moyse arguitur. Sed quia de hoc facto a te, Deus, nec punitur nec quidem corripitur, sed in sacerdotem consecratur, apparens in illo malum mysterium fuisse, non peccatum manifestatur. Potuit igitur esse occasio mali, sicut lex per se bona et sancta induxit peccatum, et humilitas ac crux Christi, quin saepe et verba ejus causaverunt, [89:] sed non dederunt scandalum. Hæc tamen ad Aaron extendi nequeunt, quia quamvis ex excusatione illius præcitat cap. v. 22. 23. 24. quis dicere vellet illum in simplicitate egisse, ne populus moræ reditus Moysis impatiens tumultuarie consurgens revertatur, sed ut potius factio objecto quodam contineatur in officio.

Eiusdem capitinis præcedentes versus 5. 6. Aaron hujus nefariæ idololatriæ (quam tu, Deus, inter filios Israel tam severe punivisti) quodammodo promotorem fuisse docent, cur autem ille tibi semper gratus a Moyse, sed non a te correptus, profecto propter hunc actum punitus a te non fuerit, tu solus nosti, Domine, qui cor Aaron examinasti. Non igitur ego condemnare aut peccati arguere præsumo ipsum, in hoc tamen actu nequaquam dixi figuram humanitatis Christi fuisse, sed summorum sacerdotum et doctorum legis, qui ex erronea interpretatione Scripturæ verum Messiam non agnoscentes in exspectatione alterius Messiae vitulum aureum conflarunt et in illo spem suam locantes illum adorare facient. Sed præter hoc quoque quot fuerunt seductores et falsi messiae, quas populus saepe sectabatur, et illius pars ipsum Herodem pro messia recognoverat!

His taliter pro debilitate ingenii mei recapitulatis revertor ad te, o veritas æterna, dulcis esca animæ meæ! Sit tibi laus et gloria ex omnibus, quæ tibi conformia dignata es docere me et elevare mentem meam ad contemplanda mysteria tua, quæ salutem meam concernunt. Dignata es demonstrare mihi, quomodo populus, cuius generatio in Genesi demonstrata est, eductus fuerit ex captivitate, nec tamen statim inductus fuit in hereditatem suam, quam promiseras illi.

Doce me, quæso, in subseqüentibus, et dignare nutrire animam meam pane, qui tumet ipse es, tam sapido et suavi! Instrue me de illis, quæ prosunt saluti meæ, sed instruendo da diligere, et ducens me in peregrinationibus meis spiritualibus et temporalibus duc me per columnam ignis charitatis tuæ, cuius figura fuit columna, quæ præcedebat Israel in peregrinationibus suis. Fac, ut illa ducente non deflectam umquam a viis, quas præscripsi mihi, sed illa præeunte sequar illas, illa commorante commorer et ego in stationibus a te ordinatis semper te laudans, glorificans et diligens! Amen.

Finitum te, Deo adjuvante in Rodosto 17. Sept.<sup>bris</sup> An. 1721.

<sup>1</sup> Cf. Ps. 7.10 sim.

## [1:] CONTINUATIO MEDITATIONUM PER FORMAM SOLILOQUIORUM SUPER LEVITICUM

### SUPER CAPUT I.

Loquere, Domine, cordi meo, ut enarrem magnalia tua! Ecce, te adjuvante perveni ad meditandum tertium librum Scripturarum tuarum, in quo continetur institutio cultus tui. Mirabilis es, Deus, in operibus tuis, sed quid dicam de eo, quod, ecce, hic in limine occurrit? 2514 annorum reperio mundum fuisse, nec tamen observavi te aliquem ordinem in cultu tuo instituisse. Sed quid blatero? Et quod est hoc insipiens eloquium meum? A quo enim rationalem creaturam plasmasti, hunc cultum instituisti, ratio enim ex eo potissimum ratio fuit, quia te cognovit, et quo te plus cognovit, eo plus scivit te Creatorem, se creaturam esse. Et haec ipsa cognitio et scientia adoratio, cultus, oblatio, holocaustum fuit. Intellectus ille in statu innocentiae suae purus bonum cognovit, et in illud agnatum ferebatur, et quia ferebatur, nihil volebat, nisi illud; et quia nihil volebat praeter illud, voluntatem propriam Creatori, summo bono suo tradendo annihilavit, annihilando holocaustum obtulit, et sic fini suo, in quem creaveras illum, satisfecit, quia secum omnia, quae pro homine creaveras, tibi obtulit homo utens illis in ordine creationis, donec in innocentia permansit. Et haec fuit vera adoratio in spiritu et veritate.<sup>1</sup>

Recessit primus homo per peccatum a te, Deus, et ut cum Apostolo loquar, omnia conclusa sunt sub peccato.<sup>2</sup> Recessit, inquam, a bono suo, dum illud in complacentia mulieris et in propria sensualitate gustus sui quæsivit. Et quia inobediens factus tibi Deo a voluntate tua [2:] recessit, ad propriam voluntatem deflectere opus fuit. Et ex hoc fonte enata est prava concupiscentia, quae puritatem intellectus ejus offuscavit, et peccati formes, causa, alimentum est. Haec est, quae hominem inducit, ut omnia ad se referat et creaturis adhæreat, et omnes actiones suas in se desinere faciat; et sic cessavit per peccatum verus ille cultus tuus, verum sacrificium et holocaustum adorationis in spiritu et veritate. Et quia omnia in homine impura, immunda facta sunt, nil te dignum repertum est in eo.

Ut proinde omnia in ordine sapientiae tuæ fluerent et humana natura ad finem creationis suæ reduceretur nec debitum tibi, Deus, a creatura adorationis et cultus homaginum cessaret, statim a lapsu hominis, propemodum ab ipsa origine mundi victimam elegisti, sacerdotem constituisti, mediatorem indicasti, in cuius virtute oblatæ victimæ suavitatem odoris acquirerent et per illum oblata tibi pervenirent ad te, donec in incarnatione veritatis sanctificata natura humana et per sacrificium satisfactorum veritatis deleto peccato per resurrectionem glori-

<sup>1</sup> Cf. Ioan. 4,23.

<sup>2</sup> Cf. Gal. 3,22.

ficata natura humana capax reddita fuisse, ut possit uniri tibi, Deus, et sic regenerata fieret denuo subjectum capax ad recipiendam gratiam, qua adjutus homo præstaret tibi cultum adorationis in spiritu et veritate.<sup>1</sup> Dico, Domine, subjectum capax ad recipiendam gratiam; sine illa enim nec nunc potest pervenire ad te homo, et hæc gratia est sacerdos, mediator, Christus in cruce semel oblatus in holocaustum, in quo vetus natura, corpus peccati per ignem charitatis consumptum est.

Antequam hoc immensi pretii et infiniti meriti sacrificium oblatum fuisse, nonnisi in memoriam ejus animalia, panem, vinum, oleum et aromata, quæ dedisti pro usu et pro victu hominis, offerebantur, et hæc dicuntur suave oluisse coram te. Et qua expressione melius denotari potuit hæc te tantum quodammodo extrinsece et transitorie (prout odor hominem) tetigisse et sic adorationem in spiritu et veritate<sup>2</sup> tantum repræsentasse? Sed a quo ineffabilis pretii holocaustum in altari crucis oblatum est, summo et æterno sacerdote instituente memoria ejus in veritate repræsentantur, mors Domini annuntiatur;<sup>3</sup> et ut veram [3:] adorationem in spiritu et veritate præstare possit homo, per sacerdotem et mediatorem, Christum de ipsa veritate, materia sacrificii sui, de spiritu et veritate realiter participat, ut victimæ in spiritu et veritate taliter unitus semet ipsum spiritui et veritati offerat, ut in ipsa, cum ipsa et per ipsam uniatur tecum, Deus.

Hoc est altare, de quo Synagoga non participavit. Hæc est communio, per quam tu te, Domine, nobiscum, nos tecum communicamus. Hæc est oblatio munda, quam Malachias prædictus,<sup>4</sup> quam omnia sacrificia figurarunt. Hinc in uno sacerdote Christo duplex sacerdotium, in una victima duplum considero victimæ rationem. In cruce sacerdos Deus victimam corporis humani in holocaustum obtulit, hinc illud sacrificium destructionem seu mortem et omnem transmutationem veteris naturæ in novam naturam (quæ ab Apostolo nova creatura appellatur)<sup>5</sup> requisivit, et hæc transmutatio corporis passibilis, omnibus infirmitatibus corporis humani repleti in corpus gloriosum in resurrectione facta est. Hinc si Christus non resurrexisset, nihil nobis mors ejus (eodem Apostolo docente) profuisset.<sup>6</sup> Et hæc humanitas non amplius moritur;<sup>7</sup> semel satisfecit, et propterea cruentum sacrificium cessare debuit, nec subsistit. Sed postquam gloriificata humanitas in Christo sacerdotium acquisivit, Christus legis novæ sacerdos factus ingressus est semel in sanctuarium in sanguine suo,<sup>8</sup> ut interpellet pro nobis qua mediator.

Sed hujus duplicitatis in uno sacerdote Deo et homine sacerdotii victima pariter sub dupli ratione consideranda est secundum duplum rationem peccati, pro quo oblatum est et offertur. In prima enim oblatione peccatum (sub quo Scriptura Apostolo testante omnia conclusa fuisse dicit),<sup>9</sup> scheda nimirum damnationis

<sup>1</sup> Cf. Ioan. 4,23.

<sup>2</sup> Cf. Ioan. 4,23.

<sup>3</sup> Cf. 1 Cor. 11,26.

<sup>4</sup> Cf. Mal. 1,11.

<sup>5</sup> Cf. 2 Cor. 5,17.

<sup>6</sup> Cf. 1 Cor. 15,17 sim.

<sup>7</sup> Cf. Rom. 6,9.

<sup>8</sup> Cf. Hebr. 9,12.

<sup>9</sup> Cf. Gal. 3,22.

nostræ lacerata est,<sup>1</sup> et respectu hujus non amplius sacrificium, non cruenta victimæ oblatio renovatur, semel enim satisfecit pro peccatis nostris Christus. Sed, o Domine, quot sunt peccata nostra et filiorum tuorum, qui per hoc sacrificium redempti sunt, quæ illud sacrificium subsecuta sunt et subsequentur cunctis diebus vitæ hominum super terram, pro quibus Christus sacerdos victimam corporis sui incessanter offert tibi, Pater æterne, et se nobis sacramentaliter ideo dat, ut sicut jam supra dictum, uniti cum ipso et in unam hostiam [4:] coalescentes ipsum realiter in spiritu et veritate offeramus, et per ipsum, cum ipso et in ipso<sup>2</sup> offeramus tibi. Sic unitur sacerdotium Ecclesiæ cum sacerdotio Christi, a quo emanat, sic sumus una eademque hostia cum ipso, sic participamus de altari æterni sacerdotis secundum ordinem Melchisedech.<sup>3</sup> Sic revelatur veritas tot ac tam obscuris velis sacrificiorum, victimarum et hostiarum tecta. Denique in virtute semel laceratæ schedæ damnationis nostræ sic laceratur scheda damnationis,<sup>4</sup> quam per peccata nostra quotidiana scribimus; et quia scribimus, justitia tua, Deus, ratificaret illa, quæ in damnationem nostram scribimus per sententiam condemnationis nostræ, nisi realiter continuati sacrificii memoria imploraret misericordiam tuam, ut laceres illa, quæ scribimus.

Sed si hæc tam stupendo et tam adorando modo non fierent, quomodo adoratio et cultus noster posset esse dignus te, Domine? Quomodo esset aut saltem dici posset cultus in spiritu et veritate? Nequit enim dici Christum ita satisfecisse pro peccatis,<sup>a</sup> ut facti fuerimus impeccabiles, aut ita reparasse naturam, ut concupiscentia, fomite ac causa peccati careamus. Ut ergo a peccato continue inmundemur, virtutem semel pro peccato pera[c]tib<sup>b</sup> sacrificii nobis applicare debemus; ut a peccatis præservemur, de hostia pro peccatis oblata participare necesse est. Sed quomodo virtus adorandi illius cruenti sacrificii convenientius applicari potest, quam dum pœnitentes eandem hostiam offerre continuamus? Quomodo de illa efficacius participabimus, quam illam manducando?

Ut autem hæc, quæ te illuminante refero, adæquate repræsentarentur in figura, agnus paschalis (cujus comedionis occasione ultima cena veritas figurata revelata est) singulariter institutus fuerat, sufficit semel illinivisse postes sanguine ejus,<sup>5</sup> dum populus ex captivitate exivit, immolationem tamen ejus continuari voluisti, Deus, in memoriam exitus e servitute Ægyptiaca. Nemo itaque mihi dicat continuationem sacrificii incruenti non ex institutione Christi fieri, nisi qui circumstantias ultimæ cenæ non considerat. Dicit ille: Hoc quotiescumque feceritis, in mei memoriam facietis.<sup>6</sup> Sed quid [5:] faciendum in memoriam efficacius, quam oblationem ejusdem hostiæ, quam apostolis realiter distribuit, et illam ipsam hostiam Ecclesiæ suæ realiter reliquit, ut offerentes in memoriam mortem Domini annuntiando manducemus in communionem participantes de altari novi sacerdotii? Hinc continuo

<sup>a</sup> *pro peccatis sc. nostris* (cf. Ms. fr.: *pour nos peches*)

<sup>b</sup> Supplevit -c- supra lineam

<sup>1</sup> Cf. Col. 2,14 sim.

<sup>2</sup> Cf. Canon missæ

<sup>3</sup> Cf. Ps. 109,4.

<sup>4</sup> Cf. Cf. Col. 2,14 sim.

<sup>5</sup> Cf. Ex. 12,22.

<sup>6</sup> Cf. 1 Cor. 11,22 sqq.

usu docente semper oblationem hostiæ hujus puræ et immaculatæ subsequitur manducatio seu spiritualis seu sacramentalis.

Sed ut etiam visibilis hostia Ecclesiæ tuæ relicta sensibilius, visibiliter nempe ac realiter offeratur, præter communem sacerdotalis plebis characterem ministri particulares instituti sunt, qui hunc characterem sacerdotalem in longe excellentiori gradu participarent ex sacerdotio Christi. Et ex hoc fundamento Christus solis apostolis recumbentibus instituit hoc sacramentum et nonnisi ipsis et successoribus eorum contulit consecrandi et dispensandi potestatem, per quam disting[u]untur<sup>a</sup> a populo, qui in offerendo et per consequens in celebranda memoria, ita et in participando de victima communitate characteris sacerdotalis gaudet; alioquin quomodo possemus dici gens sancta, regalis et sacerdotalis,<sup>1</sup> si coheredes regni Christi non essemus,<sup>b</sup> si denique sacrificium, victimam et altare reale non haberemus? Quomodo sanctitatem ac victimam Deo dignam habere possemus, nisi in unione Christi sancti per excellentiam, a quo, in quo et per quem omnis justitia et sanctitas?

Vetus Adam<sup>2</sup> creatus fuerat, ut in ipso et per ipsum omnes creaturæ deserviant gloriæ tuæ, Deus. Novus Adam venit in mundum, ut in ipso, cum ipso et per ipsum omnia, quæ ejus sunt, indesinenter offerantur tibi, et ipse continuum ac æternum adorationis ac oblationis tibi præstet obsequium te, Deo dignum. Omnes characteres in Christo æterni sunt, hinc æternus sacerdos, æterna victima est et qua sacerdotis æterni æterna est oblatio. Hanc aeternitatem designavit ignis perpetuo ardens in altari veteris legis, in quantum arsit, sed in quantum ignis fuit, charitatem figuravit, cuius ignem venit Christus mittere in terram,<sup>3</sup> et per hunc continuatur suum sacrificium. Ipse se tibi, Patri offert et a nobis nobiscum simul offertur in holocaustum [6:] in unione Ecclesiæ triumphantis, ut in ipso uniatur sacerdotium et victima tecum, Pater æterne, et sic per ejus Spiritum in unum corpus coalescentes adoramus in spiritu et veritate<sup>4</sup> et sumus unum cum illo, sicut ille est unum tecum.<sup>5</sup> Sic nascimur ex Deo, sic sumus filii Dei et coheredes Christi<sup>6</sup>, et uno verbo, ut cum Apostolo concludam, sic induimus Christum.<sup>7</sup>

Hæc sunt, Domine, quæ mihi bonitas tua repræsentat in consideratione generali cultus tui, et profecto veluti claves sunt necessariæ ad reserenda secreta hujus libri Levitici. Tangit humanum intellectum et miratur homo te, Deum jubere sanguinem animalium effundere, adipes et certos artus animalium, jam animalia integra comburi mandare, et illos sensibus et præcipue olfactui nostro tam contrarios fetores suave olentes appellare Scripturam. Et ut ita dicam, fumum solummodo exigere te in cultu tuo. Sed, o Domine, quid mihi vivacius repræsentare potest miseriam lapsæ naturæ humanæ adhuc sub dura lege, sub servitute peccati constitutæ? Quid nuditatem, paupertatem et elongationem ejus a te clarius repræsentat, dum hæc mihi demonstrant nihil habuisse hominem in se, quod tibi placere potuisset, eo usque, donec per

<sup>a</sup> Supplevi -u-

<sup>b</sup> Supplevit *non essemus* supra lineam

<sup>1</sup> Cf. 1 Petr. 2,9.

<sup>2</sup> Cf. 1 Cor. 15,45.

<sup>3</sup> Cf. Luc. 12,49.

<sup>4</sup> Cf. Ioan. 4,23.

<sup>5</sup> Cf. Ioan. 17,11.

<sup>6</sup> Cf. Rom. 8,17.

<sup>7</sup> Cf. Rom. 13,14.

effusionem sanguinis Redemptoris purgatus per meritum ejus in novam creaturam regeneratus fuisset. Sola igitur memoria effundendi hujus sanguinis, sola repræsentatio destructionis corporis peccati placuit tibi et hanc exigebas a populo tuo in cultu tuo. Non poterat homo sub peccato constitutus et clausus pervenire ad te, nec referre ad te illa, quæ pro ipsa creata fuerant. Hinc in signum supremi dominii tui exigebas, ut animatas et inanimatas creatureas usui illius et alimento destinatas offerret tibi.

Sub his tamen differentibus animalium speciebus veritatum futurarum latebant mysteria. V.<sup>a</sup> (1. 2) boves et oves, in quarum specie lingua originalis capras quoque comprehendit, ex illis, quæ terra produxerat, turtures et columbas de illis, quæ ex aquis enata sunt in volatilibus, jubes offerri, et hæc in holocaustum per ignem comburi, ut his significaretur [7:] tibi ab omnibus elementis debitum homagium; sanguis tamen horum animalium non comburitur, sed circa altare effunditur, ut virtus illius sanguinis, qui in altari crucis effundendus erat, semper permansura designaretur. Per has tamen duas animalium, boum nempe et ovium species directius dicam figurari Synagogam et gentilium Ecclesiam. Illius enim servitutem boves, animalia jugalia clare exprimunt, hujus libertatem, docilitatem in audienda voce veri Pastoris oves<sup>b</sup> spiritualitatemque aves pennarum levitate præclare designant. Duplex autem species avium electos ex Synagoga et ex Ecclesia tamquam aves se super terram elevantes repræsentant. In illo ineffabili crucis sacrificio enim totum genus humanum in has duas classes populi Israel et gentiles subdivisum immolandum erat tibi, Domine, et pro his sacrificandæ victimæ puritas (3) designatur. Super hanc victimam vere posuit manum offerens populus Judaicus (4) et fuit acceptabilis coram te, Deus, et ad expiationem ejus proficiens respectu illorum, qui meritum ejus applicuerunt sibi.

Adjuva me, Domine, si placitum est tibi, ut in explicatione tam abditorum progediar. Quid enim opus fuisset comburendam victimam detracta pelle in tot partes dividere, adipem segregare, prout (6. 7. 8. 9) præcipitur, si his nihil designaretur? Tu vides, Domine, quod deficiam in contemplatione horum, quæ præter effusionem sanguinis nequeunt applicari adorandæ victimæ, quam omnia sacrificia respexisse dixi. Dicamne in consequentia præcedentium hac separatione membrorum et concione artuum designatam fuisse multitudinem seu plebis seu gentium, pro quibus Christi sacrificium offerendum erat, siquidem boum et ovium (10. 11. 12. 13), quoad hæc æqualis habetur ratio in concidendo et igne consumendo? Necdum huic explicatione intrinsece adhærere me sentio, meliorem tamen rationem afferre non valeo. Observo tamen (14. 15. 17) aves (quas electos utriusque legis repræsentasse dixi) ferrum non tangere, sed rejectis solummodo plumis et vesicula gutturis (tamquam humanarum sensualitatum fragilitatibus) integras offerri tibi, [8:] ut sanguinis effundendi illos ex antecedenti sanctificans virtus eo clarius exprimeretur. De cetero holocaustum ceteris sacrificiis præstantius fuisse communis docet opinio interpretum, quod in agnitionem supremi dominii tui, Deus, in spiritu humilitatis et in confessione nihil sui oblatum veram illam transmutationem veteris hominis in novam creaturam repræsentabat. Hoc est sacrificium, quod per ignem charitatis consummatur<sup>c</sup>, et fors etiam ideo figuratur hæc veteris hominis transmutatio et destructio per concisionem artuum et organorum omnes sensus concernentium.

<sup>a</sup> V. in margine

<sup>b</sup> Supplevit *oves* supra lineam

<sup>c</sup> Sic! (cf. Ms. fr.: *consomnē*)

Non vereor, Domine, hæc coram te in omni agnitione ignorantiae meæ proferre, tu enim bonus es et misericors. Suscipe proinde etiam abortus ingenii mei (si qui in his reperirentur) et da, ut in me hi quoque purificantur per ignem charitatis, quem horum contemplatione nutrire nolo in corde meo!

## SUPER CAPUT 2.

Adoro, Domine, profundum veritatis mysterium, quod, ecce, primum verbum (1) indicat mihi. Anima, cum obtulerit; hæc enim expressio demonstrat mihi differentiam illorum, quæ in hoc capite præcipis populo<sup>a</sup> tuo. In præcedenti enim (2) dictum fuerat: Homo, qui obtulerit hostiam Domino etc. Unde agnosco hic directe figurari illud novæ legis sacrificium, quod tibi anima offert per fidem. Prædicta homo veteris legis offerebat tibi in repræsentatione magis sensuali occisionis et repartitionis animalium. Illa igitur sacrificium veteris hominis concernebant, hæc sacrificium novi hominis clarius præfigurant. Retributiones populi carnalis fuerant temporales, hinc ex omnibus bonis et fructibus terrestribus (ex quibus constabat promissio) oblationes juste exigebas, Domine, et hæ<c><sup>b</sup> tibi offerebantur ab homine, in cuius sensus cadebant retributiones. In præmemoratis itaque pecora usui ejus destinata offerri mandasti, hic farinam, oleum, thus exigis ab anima.

Unde me agnoscere facis figurarum veritates. Retributio populo spirituali promissa spiritualis est, et hæc tumet ipse es. Donec [9:] tamen vivit (quia sensualis esse non desinit), oportuit etiam bonum, quod promisisti, reddere illi, vel saltem secundum quid visibile, ita tamen, ut ejus fruitio plus concernat spiritualitatem, quam corporalem sensualitatem ejus. Hinc quia populus tuus spiritualis ex fide vivit,<sup>1</sup> omne bonum ejus fidem concernit, fidei autem panis et edulium veritas est. Veritas autem panis est, qui de cælo descendit,<sup>2</sup> quem manducantes vivunt in æternum, et sic adipiscuntur consommationem<sup>c</sup> omnis promissionis tuæ. Vocabulum panis in lingua Hebraica ad omnia extenditur, quæ ad victimum hominis pertinent, propterea in lege specificatim de omnibus illis tibi offerri jubes in gratiarum actionem. Sed quia omnia, quæ ad victimum hominis spiritualis requiruntur, (et per consequens animam concernunt) in solo pane cælesti uniuntur, hunc in gratiarum actionem et in memoriam sui offerri jussit Christus, Filius tuus, legislator populi spiritualis, et procul dubio ideo dedit se nobis sub sp̄ciebus panis visibilem. Et hunc tibi offert anima gratias agendo in fide, hunc manducat et corpus Christi (qua nutrientum fidei) ab ipsomet Christo panis cælestis nominatur, et omne bonum, omnem felicitatem, omnem promissionem, denique quidquid desiderabile est, in se continet, quia summum bonum est. Hujus man figura nutritur populus in deserto, sed quia tantam figuram carnaliter manducavit, mortuus est; sed postquam verus panis de cælo descendisset,<sup>3</sup> figuræ successit veritas, et veritatem manducantes vivunt in æternum.

<sup>a</sup> In margine: *Cap. I. v. 2.*

<sup>b</sup> Delevit c (sed cf. Ms. fr.: *tout cela vous étoit offert*)

<sup>c</sup> Sic! (cf. Ms. fr.: *la consommation*)

<sup>1</sup> Cf. Rom. 1,17.

<sup>2</sup> Cf. Ioan. 6,33.

<sup>3</sup> Cf. Ioan. 6,33.

O Domine, quam claræ, quam consolatoriæ sunt hæ veritates illis, quos lumine tuo illustrare dignaris, qui nimirum seposita omni sensualitate panem fidei (quæ veritas est) sumunt pro nutrimento animæ et hunc offerunt tibi in memoriam beneficiorum tuorum, hunc manducant in gratiarum actione et sic vere panem cælestem manducant seposito omni pane terrestri, et per illum vivunt [10:] nutriunturque in deserto peregrinationis suæ. Sed quot sunt, qui hæc fidei mysteria sensualitate sua corruptentes malunt sensibus suis credere, quæn verbis Filii tui, quæ sunt spiritus et vita.<sup>1</sup> Hi veritatibus adhuc miscent figuræ et spiritualibus jungunt terrestria, et malunt fidem sensibus subjicere, quam in obsequium fidei sensus incaptivare. Malunt, inquam, corpus Christi in, cum et sub pane adesse credere, quam simplicitatem fidei super omnem intelligentiam elevando exclusa omni panis substantia profiteri Christum tantum visibilibus panis accidentibus velatum adesse. Redde, Domine, hanc veritatem sensibilem universo populo, quem in agnitionem promissionum tuarum vocasti in Filio, ut in eodem spiritu adorent,<sup>2</sup> prout dedisti omnibus velle adorare in eadem veritate, quam in differenti spiritu credunt et profitentur, et propterea ab unitate separati ab agnitione veritatis deviant.

Differentes modi offerendi prescribuntur in hoc capite, sed terminis versiculorum attente consideratis et iterum iterumque ruminatis: (1) Anima, cum obtulerit oblationem sacrificii Domino; (4) cum autem obtuleris<sup>b</sup> sacrificium coctum; (5) si oblatio tua fuerit de sartagine, quam clare patet aut potius correspondet expressio primi versus sacrificio novæ legis, in quo tibi vere anima offert oblationem sacrificii annuntians mortem Domini et in gratiarum actione se uniens cum oblatione sua, simila erit ejus oblatio (ait Scriptura) fundet<ur>que<sup>c</sup> super eam oleum et ponet thus. Sic repræsentabatur in figura hæc oblatio sacrificii, et ego credo similam humanitatem, oleum (similem penetrantem) divinitatem Christi, thus offerentis charitatem designasse. Infunditur simpliciter oleum super similam, nec hæc induratur in massam. Sic conveniebat enim sacerdotio Aaron repræsentare oblationem sacrificii, in cuius massam sacerdotium Aaron non erat intraturum.

O Domine, quam adorandus, quam diligendus es mihi ex his tam admirabilibus et tam mire tectis operibus sapientiae tuæ! [11:] Quam suave est delibare spiritum Scripturæ tuæ semoto cortice litteræ! Quam jucundum haurire aquam ex fonte tam limpido! Quod reliquos sacrificandi modos concernit, fors non errabo, Domine, dicens panes in clibano coctos, lagana frixa in sartagine aut quodammodo assata in craticula fuisse diversificata obsonia ex farina, quæ Hebræi in deliciis habebant, et de illis tamquam victui deservientibus exigisti sacrificium in gratiarum actionem. His autem fermentum misceri prohibuisti, quia fermentum non ex productione naturali, sed ex corruptione est, et qua corruptio in Scripturis malum, humanas adventiones et figmenta denotat, prout fuit fermentum pharisæorum.<sup>2</sup> Sed vice versa, quia acidum fermenti alcali farinæ commixtum massam dilatat et compaginem relaxando elevans massam levem subtilioremque reddit, regno cælorum comparatur,<sup>3</sup> quod

<sup>a</sup> adorent sc. illum (cf. Ms. fr.: *afin qu'ils l'adorent*)

<sup>b</sup> Correxi ex *obtulerit*

<sup>c</sup> Delevi -ur (cf. Ms. fr.: *il repandre*)

<sup>1</sup> Cf. Ioan. 6,64.

<sup>2</sup> Cf. Matth. 16,6 etc.

<sup>3</sup> Cf. Matth. 13,33 sqq.

hunc effectum præstat in anima. Excluditur tamen fermentum a sacrificio qua non immediata productio naturæ (11).

Mel quoque respectu productionis hujus speciei esse dicam, cum illud industria et opera insectorum producatur nec illud directe elementa procreent. Quia tamen est beneficium usui deserviens, (12) primitias ex melle offerre præcipis, Domine, super altare ponendas, non tamen sacrificandas; (13) sed e contra salem (immediatam productionem naturæ et principium constitutivum omnium creatorum) in omnibus sacrificiis tibi offerri et omnia illo condiri jubes. Unde merito hoc minerale sal fœderis nominatur, quia per illud tota natura vegetatur et conservatur. Hinc sapientiæ et providentiæ tuæ, Deus, quodammodo symbolum est, et in oblatione sacrificii fuit memoriale homagii, quod tibi, Deus, homo pro omnibus, quæ creasti et potestati ejus subjecisti, præstare debet. Si ergo salem qua symbolum, uti dixi, sapientiæ tuæ, Deus, consideravero, salem fœderis, Dei in mediatore nostro, Christo reperiam. Si autem hoc fœdus Dei respectu hominis et [12:] creaturarum consideravero, et hic salem reperio, per quem homo pro creaturis gubernandis, creaturæ autem pro usu hominis conservantur, et sic vere omnia per salem illum sapientiæ oportet offerre tibi, et per eundem salem sapientiæ (quæ discretio est) utendum est omnibus et omnia conienda sunt illo. (14) Munus demum primarum frugum in sensu spirituali repræsentat mihi oblationem intentionis nostræ, antequam producatur in actum, et hoc per viriditatem spicarum exprimitur. Hæ spicæ intentionum torri debent igne charitatis et confringi incitamentum propriae amoris, et super infuso oleo inspirationum tuarum thus orationis seu aspirationis addendum (15), ut sic offeratur tibi munus nostrum per sacerdotem nostrum æternum.

Adjuva me itaque, Domine, ut ego hoc munus incessanter offeram tibi et ego totus offerar tibi omnesque fruges adhuc virescentes intentionum mearum et fructus maturi operum thure aspirationum adjuncto sint in odorem suavitatis oblati tibi, Deo, Creatori meo, cui me et omnia, quæ dedisti, debedo, ut sit tibi laus et gloria ex me!

### SUPER CAPUT 3.

(1) Pacifica sunt, quæ pacem ferunt, duo sunt autem, quæ in homine veram pacem conciliant. Primum est desiderarè, petere et facere, quæ ad gloriam tuam, Deus, proficia sunt. Secundum est a te accepta dona referre ad te fontem omnium bonorum gratias agendo tibi. Qui enim hæc præstat, facit opus tuum, non suum, sequitur voluntatem tuam, non suam, et sic pacem habet perennem. Hanc veram pacem dedit et reliquit nobis Christus, dicens: Pacem meam do vobis, pacem meam relinquo vobis, non sicut mundus dat, do vobis.<sup>1</sup> Quapropter non verebor proferre per hostiam pacificam in hac proprietate largitoris [13:] et datoris pacis authorisque illius repræsentari Christum, sed confiteor tibi ignorantiam meam, Domine, ne cum posse me capere, cur in holocausti sacrificio cap. I. tantum mares jussisti offerri, hic porro v. (1) de utroque sexu animalium immolari præcipis.

Nescio enim, num cogitationes meæ sint conformes veritati tuæ, illas tamen in simplicitate cordis mei tibi proferre non verebor in sequela communis opinio-

<sup>1</sup> Cf. Ioan. 14,27.

nis, quæ me instruit holocaustum omnium sacrificiorum excellentissimum in agnitionem supremi juris Creatoris a creatura oblatum fuisse, et hinc observavi rejecta fuisse a te illa, quæ non erant directæ productiones naturæ. Hac propositione proinde stabilita auderem dicere sexum femineum ideo exclusum fuisse ex sacrificio holocausti, quia in ratione hominis femina non fuit tam directum opus manuum tuarum, sicut fuerat masculus, ex quo femina educta fuit. Non extendo ego hanc rationem super animalia, quæ offerebant tibi, nisi in quantum in animalibus semet ipsos offerebant tibi, Domine, offerentes. In quantum enim animalia concernit propositio mea, verificari nequit, siquidem utrumque sexum æquali modo produxerit terra in jumentis. Dixi, Domine, in ratione hominis seu (ut clarius me enuntiem) in consideratione ejus feminam non fuisse tam directe opus manuum tuarum, sicut fuerat masculus, quia hæc ipsamet ratio non potest extendi ad considerationem hominis qua creaturæ, sed qua speciei. In quantum enim masculum ex limo terræ formasti, feminam ex costa masculi eduxisti, communis est unius et alterius eductio, quamvis materia sit differens. Sed in quantum hæc formatio ordinem temporis et speciei hominis respicit, masculus videtur directior productio, quam femina ex masculo educta. Sicut proinde in sacrificio holocausti femina ex hac, quam dico, ratione excluditur, in [14:] sacrificio pacificorum sexus femineus includitur, cum hoc sit sacrificium aut impenetratorum beneficiorum aut gratiarum actorum pro acceptis beneficiis, et sic jure merito utrumque sexum includit et requirit.

Capio, Domine, hæc, quæ profero, sed utrum ad captum aliorum loquar, ignoro; sufficit tamen mihi novam occasionem habere ex his admirandi magnalia sapientiae tuæ et in humilitate adorare profunditatem mysteriorum tuorum. De reliquo hæc hostiæ pacificorum respectu animalium non disting[u]untur<sup>a</sup> ab hostiis holocausti (5), et in quantum certæ partes hostiarum comburuntur, holocausta sunt. Sed, o Domine, audeamne te interrogare, cur in his victimis adipes et renunculos comburi et tibi singulariter offerri jubeas, corda autem animalium despicias? Non me dicit curiositas ad hæc examinanda, sed tua bonitas animat,<sup>b</sup> quæ ad instructionem nostram voluit hæc scripta<sup>1</sup> nobis tradi; et profecto quid est, quod mihi clarus demonstrare potest cor, partem corporis nobilissimam indignum fuisse offerri tibi, antequam purificaretur, cum ex illo exeat cogitationes malæ et quæ coinquinant hominem.<sup>2</sup> In illo residebat igitur quodammodo etiam peccatum, quod nonnisi per supremum sacrificium crucis delendum erat, et eousque cor hominis per corda animalium figuratum tamquam immundum rejecisti in sacrificiis, renes autem et adipes exegisti, non quod hæc puriora fuissent, sed quia malitia non tam directe repræsentant, nam ex adipe per abundantiam nutrimenti generato, ex renibus, ex quibus per circulationem directius communicatur semen in partes genitales, multa malitia suggeritur, sed nonnisi in corde parit peccatum.

Propterea organa (quæ per se innocentia sunt) offerri jubes, cor autem (in quod figuræ agere non poterant) non respexisti. Sed nec sacrificio Judaico competebat offerre cor tibi, cuius sacrificii virtutem nonnisi electi tui veteris [15:] testamenti noverant, sed lex non præcepit, quia imperfecta fuit, quia verum sacrificium cordis non manifestavit;

<sup>a</sup> Supplevi -u-

<sup>b</sup> *animat sc. me* (cf. Ms. fr.: *m'anime*)

<sup>1</sup> Cf. Rom. 15,4.

<sup>2</sup> Cf. Matth. 15,11.

sed nec salvare potuit, quia ad hoc offerendum virtutem dare nequivit. Hinc omnis spiritus sacrificiorum figurantium in effusione sanguinis consistebat, qui numquam comburebatur tam ideo, quia animam (quæ in sanguine est)<sup>1</sup> repræsentabat, quam quia virtutem effundendi sanguinis semper permansuram designabat.

(17) Vetitum fuit proinde populo carnali adipem et sanguinem comedere jure perpetuo in generationibus ipsorum, ut per hæc futura reprobatio illius indicaretur; nec enim digni fuerant communione illorum, quæ illam veritatem repræsentabant, cuius participatione se<sup>a</sup> indignum redditum prævideras, Domine. Ut tamen his non obstantibus præfiguraretur beneficium, quod etiam in illos redundaturum erat, differentia participationis ex altari figurante et ex altari figurato consideranda est mihi. Figura fuit sacerdotium Aaron et altare ejus veritatem sacerdotii Christi et altaris crucis repræsentans. De victimis in primo altari oblatis nonnisi secundum quid participabant Hebræi, adipem enim et sanguinem comedere prohibitum fuerat; sed nec de illis, quæ comburenda erant, communicabant, verum tantum respectu oblationis totius victimæ (quæ per impositionem manuum super caput ejus peragebatur) poterat dici, quod de altari participabant carnes oblatas, sed non comburendas manducando. Sed, o infinita et immensa bonitas, sic oportuit figurari et exprimi Synagogam (seu semen carnale Abrahæ) in generali oblatione victimæ crucis cum universo genere humano partem quidem habituram, sed de ipsa adoranda victima in altari crucis immolanda non communicaturam. Effundebant igitur filii Aaron victimarum sanguinem (8) per circuitum altaris, sed de illo comedere vetitum erat illis.

Sed quam dispar est ratio sacerdotii Melchisedech, quanta felicitas filiorum spiritualium [16:] Abrahæ, qui ipsius tibi, Deus, oblatæ victimæ carnem manducant, sanguinem bibunt et sic vere de altari participant, quia totam victimam, totum sanguinem manducant et bibunt! Hæc adoranda victima in holocaustum tibi, Pater cælestis, semel oblata est, in quantum destructionem integrum corporis peccati requirebat et respiciebat, sed oblatio hostiæ pacificæ subsistet in æternum, in qua tibi se novus homo, nova creatura-offert continue et offertur quotidie a populo tuo sancto, regali et sacerdotali.<sup>2</sup> Sic omnis sacrificiorum diversitas, omnis hostiarum oblaturum differentia (quæ sacrificium novæ legis repræsentabant) sub distinctis proprietatibus in uno sacrificio, in una victima uniuntur, et ejus infinitam, immensam et ineffabilem virtutem repræsentant.

Respicere me igitur, Domine, oculis misericordiæ tuæ, et da,<sup>b</sup> ut tantam virtutem, tantum pretium digne valeam applicare mihi, ne reus efficiar corporis et sanguinis pro me oblati et mihi dati in salutem!

#### SUPER CAPUT 4.

Justus es, Domine, et misericors, sed quæ hæc mirabilis expressio tua: (2) Anima, quæ peccaverit per ignorantiam et de universis mandatis Domini, quæ præcepit, ne fierent, quidpiam fecerit etc.? Sed nec hæc ignorantia explicatio ad usum moder-

<sup>a</sup> *et cf. Ms. fr.: dont vous aviez preveu seigneur, qu'ils se rendroient indignes*

<sup>b</sup> *da sc. mihi (cf. Ms. fr.: donnez moy)*

<sup>1</sup> Cf. Lev. 17,14.

<sup>2</sup> Cf. I Petr. 2,9.

num accommodatur per terminos ignorantiae vincibilis et invincibilis, quomodo igitur de peccato nec volito, sed nec cognito aliquem accusabit justitia tua? Dicamne disparem fuisse rationem legis Mosaicæ et legis novæ, quæ nos a servitute præcedentis exemit, nec posse proinde hæc, quæ referuntur, nisi in explicatione communi terminorum supra memoratorum sumi? Non, non, Domine, procul sit a labiis meis hæc insipens blateratio! De lege Dei, non de lege humana agitur. Frustra [17:] homo contra primam in ignorantia quærerit subterfugium coram justitia tua, Deus, quæ profecto et ipsam ignorantiam (qua sequelam peccati) non tantum effectum ignorantiae juste punire potest. Quod palam locutus fuit Filius tuus, prædicantur super tecta,<sup>1</sup> annuntiata sunt omni creaturæ. An in popolorum, quibus fors fides neandum data, aut a quibus ex justis judiciis tuis ablata est, ignorantia excusationis et immunitatis a peccato ignorantiae exemplum quæremus?

Sed, o Deus, quam differens est status illorum, quibus fidem dare dignatus es, ab illis, qui neandum receperunt illam; et quam juste a nobis exigere potes, quod dedisti! Publicata sunt præcepta tua. Tot millia hominum prædicant, dispensant, docent verba tua, et tamen dantur homines, qui peccata ignorantiae suæ per ignorantiam excusare vellent, et, Deus infinite bone, quot de similibus formantur quæstiones, eruuntur opinione, docentur, tolerantur propositiones! Alii sub prætextu illo, ne conscientiam scrupulis turbent, ignorantiam intertenent.<sup>2</sup> Alii credunt non obligari se de dubiis informationem quærere. Alii majores, alii minores probabilitates amplectuntur pro libito. Confessarios taciturnos vel, potius dicam, mutos, casuistas favorabiles quærunt (ex quorum numero ego ipse fui), ut ignorant legem tuam et mandata Domini, quæ præcepit, ut non fierent. Per quot subterfugia, per quot propositionum ambages fiunt hæc, Domine, tu vides, qui corda hominum scrutaris, et patet tibi insipiens sapientia eorum. Non lumen naturæ (cui ignorantia propria est), sed gratia tua per fidem docet nos legem tuam, ad quam noscendam et sequendam conceditur nobis vita, homo tamen vix aliquid minus scire cupit lege tua, ideo nec facit, quæ facere potest pro obtinendo [18:] uberiori lumine, nec petit, nec quærerit, nec pulsat, sed in ignorantiae suæ cæcitatem tranquillus perseverat.

Quot sacerdotum unctorum ignorantiae (3) peccare faciunt populum curæ illorum commissum? Profecto charitas proximo debita me horrere ac gemere facit pro illis et pro tot milibus principum, pro tot millionibus hominum, qui in affectata ignorantia aut vivunt, aut intertenentur,<sup>b</sup> aut per ignorantiam aliorum ignoranter seducuntur. Affectatur simplicitas, sed ignoratur, in quo consistat vera simplicitas; et quot sunt, qui profitentur cætitatem fidei, sed cætitatem in ignorantia quærunt! Quodsi tamen ignorantiam populi carnalis sacrificiis expiari voluisti, Domine, quomodo possem imaginari te excusare ignorantiam sacerdotum, principum et populi spiritualis, quos tot ac tantarum gratiarum fecisti participes Spiritum tuum Sanctum, Spiritum veritatum veritatis et scientiæ effundens super illos, denique legem tuam scribens in corda illorum? Quomodo poterunt hi excusare ignorantiam suam, quæ a segnitie, a tepiditate vel a propriis tenebris procedit?

<sup>a</sup> *intertenent* cf. Ms. fr.: *s'entretiennent dans leur ignorance*

<sup>b</sup> *intertenentur* cf. Ms. fr.: *s'y entretiennent*

<sup>1</sup> Cf. Luc. 12,3.

O ignorantia seu a propria seu a ductorum cæcitate procedens, quot milliones animarum ducis in infernum! Limitavit propemodum communis usus, quid scire aut facere sufficiat ad salutem, et sic fovet, nutritur ac propemodum communis redditur torpor in opere salutis. Sic infodiuntur talenta, et qui pro propria et aliorum salute multa possent scire, ignorare malunt dicentes: hoc et hoc mihi sufficit. Te adjuvante et docente scio, Domine, et in sciendi cupiditate et in ignorantia reperiri periculum, exemplo tamen proprio edoctus crederem plures homines cadere et damnari propter affectatam ignorantiam, quam propter sciendi aviditatem. Periculoso est itaque et ignorare et nimium scire velle absque docilitate et discretione, quam solus [19:] Spiritus tuus dare potest.

Tu vides, Domine, in corde meo nolle me per hæc derogare cathedræ tuæ, cui insident doctores, dispensatores verbi, sacramentorum et gratiarum tuarum, nec dicere velle quemlibet posse proprium lumen sequi et suum ductorem agere.<sup>1</sup> hæc enim hæreticorum est sententia et illorum præsumptio, qui se a salutari Ecclesiæ tuæ disciplina separarunt, nam humilitas, obœdientia et docilitas sunt virtutes fidelibus et filiis tuis propriæ. Ductores igitur, directores et consiliarios quærere, illos docentes audire et sequi procul dubio necessarium est, sed nequeo non gemere de illis, qui seu in quærendis ductoribus tepidi seu in eligendis illis non recurrent ad te, sed obvios quoque consulentes cæci per cæcos ducuntur,<sup>1</sup> et in ignorantia torpere parviperdentes in lumine tuo non querunt lumen.<sup>2</sup>

Ipse sensus itaque meus cum discretione sumendum est, quoniam non obœdientiam et docilitatem reprobo, sed tot et tam imperceptibilibus modis affectatam ignorantiam, torporem et segnitiem in meditanda lege tua condemnno, quæ indiscreta intelligentia et nimium extensus usus propositionis: Hoc et illud scire aut facere sufficit, fovet et nutrit. Sunt, quæ sufficient illis, quibus unum talentum dedisti;<sup>3</sup> quæ non sufficient illis, quibus plura largitus es, quibus si non fructificant, periculum incurront, ne et hoc, quod habent, et hoc, quod non habent, auferatur ab illis et detur aliis, qui decem talenta habent.

Duo primi versus capitinis hujus, super quod meditandum est mihi, dederunt occasionem hæc proferre. Da igitur lumen, Domine, ut de ceteris quoque eloqui valeam mirabilia tua, et ex consideratione illorum præstem laudem tibi! Specificatur ignorantia unctorum sacerdotum, principum populi et animæ particularis, et pro qualibet expianda differentis speciei animalium designatur victima, quæ profecto non credo suis carere mysteriis, sed in illis [20:] dilucidandis sine speciali lumine tuo progredi non valeo. Respice, quæso, Domine, ignorantiam meam, nequeo enim progredi, sed nec intendo nimis curiose indagare abscondita Scripturarum tuarum.

In speciebus animalium consistit diversitas, in sacrificando idem observatur ritus, quoad impositionem manuum super caput victimæ et combustionem adipis. Sed versus (21) paucis verbis magnum et fors omne (quod paulo antea quæsivi) revelat mysterium. Adjuva me, Domine, ut combinare et eloqui valeam, quæ dignaris representare mihi! Ipsum autem vitulum (præcitatum versum repeto) offeret extra castra atque offeret, sicut priorem vitulum. Sed quem? Illum, quem sacerdos unctus

<sup>1</sup> *ductorem agere* cf. Ms. fr.: *se regarder comme...*

<sup>1</sup> Cf. Matth. 15,14 sim.

<sup>2</sup> Cf. Ps. 35,10.

<sup>3</sup> Cf. Matth. 25,15 sqq.

(3) peccans et peccare faciens populum offert pro peccato suo. Sed quare offeret extra castra? Quia est pro peccato multitudinis.

Hæc igitur ratio indicat mihi differentem modum offerendi victimas pro multitudine et pro homine particulari, offerendo primo victimam extra castra eductam, ut Apostolo docente designetur victimam pro peccato multitudinis hominum offerendam extra muros Jerusalem educendam fore. Secundo pro multitudine oblatæ victimæ sanguine septies aspergitur velum, quod pendebat ante propitiatorium et sancta sanctorum, quod designabat cælum clausum, cuius portæ per effusionem sanguinis aperiendæ fuerent, in cuius memoriam facta aspersione delebantur peccata multitudinis.

Ex hac oblatione vitulorum pro peccatis multitudinis confirmor proinde in illius, quæ te adjuvante, Domine, jam rettuli, victimis vitulorum, taurorum et hujus speciei animalium totum populum Israel designatum fuisse, victima autem hircorum et caprarum particulares personas repræsentatas fuisse, et hinc (23) offert princeps hircum de capris tamquam principem gregis, particularis autem persona de populo (27. 28) capram offerre jubetur tamquam hirco subditam aut ovem (32). [21:] Sed harum victimarum (pro peccato unius hominis oblatarum) sanguine velum non aspergitur, ut figuretur cælum non nisi sanguine pro multitudine offerendæ victimæ reseratum iri.

Hæc sunt, Domine, quæ pro peccatis ignorantiae expiandis offerri jussisti, pro quibus dignum est, ut ego continuam agam pænitentiam non dubitans de venia, sed in amaritudine cordis dolens de offensa; hic dolor enim est proprietas dilectionis anxiantem timorem quidem excludens, peccatum tamen, quod contra me est, semper continue repræsentans. Multa sunt, Domine, peccata, quorum recordor et quæ mea commisit malitia, sed longe plura, quæ mea patravit ignorantia. Et quia mihi numquam defuisset gratia tua ad illa cognoscenda, si donis tuis usus fuisse et legem tuam discere et meditari voluissem, nihil me potest de illis excusare in conspectu tuo præter misericordiam tuam.

Parce itaque mihi, Domine, revertenti ad te! Parce illis, qui causa fuerunt ignorantiae meæ de peccatis non monentes aut cæcum cæci et ipsi ducentes<sup>1</sup> aut denique extra viam mandatorum tuorum me ambulare permittentes! In horum memoriam fac me offerre tibi, Domine, sacrificium cordis contriti ac humiliati<sup>2</sup> junctum oblationi sacrificii pretiosæ victimæ, quæ pro salute mea oblata offertur tibi continue in altari tuo! Munda me, Domine, a peccatis meis, et ne tradas me denuo tenebris ignorantiae meæ, quem dedisti velle sequi et diligere legem tuam, in cuius meditatione et observantia fac me semper diligere te, ut perveniam ad te!

#### SUPER CAPUT 5.

Respic in me, Domine, et ne tradas me mihi met ipsi! Considerans enim (!) hujus capitinis versum occurunt mihi quædam, quæ legi tuæ conformia sunt, sed explicatio, usui communis et casuistarum [22:] doctrinæ sunt contraria nimis; et propterea

<sup>1</sup> Cf. Matth. 15,14 sim.

<sup>2</sup> Cf. Ps. 50,19.

illis, quæ similis fuerint, adhærere nolo, nisi secundum sententiam sanæ doctrinæ, sed quia non doceo nec hominibus, sed tibi loquor, proferam sensum meum libere. Si peccaverit anima (inquit lex) et audierit vocem jurantis testisque fuerit, quod aut ipse vidit aut conscient est, nisi indicaverit, portabit iniuriam suam. Magnus fuit justitiæ tuæ rigor, Domine, erga populum tuum carnalem et servos sub jugo legis constitutos. Hinc reperiam in exemplum horum sæpe te peccatum occultum unius hominis morte<sup>a</sup> multorum millium punivisse, et ex hac consideratione non miror te hanc legem statuisse, ut sub ipsamet pœna peccati indicaret, si quis testis oculatus aut conscient fuerit peccati proximi sui.

Conveniebat hoc mandatum justitiæ tuæ, sed conforme erat et misericordiæ, ut ablata per expiationem iniuriam ex Israel vel pœna unius hominis vel pænitentia et sacrificiis ejus placaretur justitia tua; et propterea indicatione criminis, cuius quis aut oculatus testis aut conscient fuerat, satisfiebat dilectioni toti populo debitæ, nec derogabatur dilectioni, qua erga proximum tenebatur. Quapropter hac ratione legis hujus statuta non inquiram ego secundum explicationem interpretum, cui hæc revelatio fieri debuerat. Procul dubio suppono enim debuisse fieri illam sacerdotibus et magistratibus, quibus competit exsecutio legis et pœna desumenda de illis, qui peccatis occultis inducta iniuriam provocabant justitiam tuam in totum populum.

Sed objicietur mihi, quomodo dilectioni proximi conveniens esse potuerit accusare proximum de crimen occulto et pœnam inducere super illum? Verum jam de hac quæstione mihi met ipsi satisfecisse videor dicens, [23:] quod major dilectio fuerit debita populo, a quo expiatione criminis unius hominis furor justitiæ tuæ avertebatur, quam uni homini, qui et ipse (delatione facta) ad expiandum crimen inducebatur. Fors et hodiecum subsisteret hæc ratio, si usus communis languescente fide contrarium non induxisset.

Quodsi enim secundum dictum Filii tui illos non timeremus, qui possunt perdere corpus, sed illum, qui occidere potest et animam,<sup>1</sup> temporales pœnas et ipsam mortem pro occasionibus expiandi criminis reputaremus, et sic accusationem proximi nostri occasionem pænitentiæ dantis charitativam esse crederemus. Quodsi, inquam, firmiter persuasum haberemus omnes rerum eventus te, Domine, ordinante continere, curam salvandi proximi modo tibi placito tibi committeremus, non prudentiæ nostræ aut periculosæ dissimulationi criminis, propter quam sæpe causæ infinitorum malorum firmus. Crederem itaque plus examinandum esse incitamentum, quo quis ad accusandum aut deferendum crimen duceretur, quam utrum crimen deferre debeat, ne delatio procedat ex malevolo animo aut ex vindicta, quæ sæpe charitatis larvam induere potest in his occasionibus.

Non dicatur mihi legem naturæ offendti, dum quis deferendo proximi crimen facit, quod fieri nollet sibi. Quisquis enim de crimen taliter cogitat, jam prior in te, Domine, et in justitiam tuam peccat, cui satisfacere nollet. Qui enim tibi satisfacere vult, ipse se accusat, non tantum accusantem excusat. Quodsi vero crimine nostro proximum, quodsi publicum offendimus, numquid non tenemur de <his><sup>b</sup> illo deprecari

<sup>a</sup> Delevit -m

<sup>b</sup> Delevit his

<sup>1</sup> Cf. Matth. 10.28.

proximum et damnum illatum reparare? Quo mandato Salvatoris nostri stante, quid dicatur legem naturæ offendere, qui tale crimen proximi revelat, quod illi propria accusatione, depreciatione et reparatione expiandum esset? [24:] Punctum igitur honoris, idolum illud veteris hominis latensque in cordibus nostris cupiditas induxit relaxationem usus legis hujus tuæ, Deus, sub larva dilectionis proximo debitæ. Quisquis delator dicitur, pro infami reputatur, persecutionibus exponitur et objectum fit vindictæ seu illius, quem detulit seu parentum et familiae ejus.

Quanta sunt, o Domine, quæ in his cupiditas pro usu recepit, in cujus imperceptibilem complacentiam explicatur, relaxatur, detorquetur et si possibile esset, aboleretur lex tua; ita quidem, ut si hominum judicia timerem, vix hæc, quæ profero, scribere auderem. Subticeo tamen examinare opiniones, sententias et propositiones, quæ de his docentur toleranturque, de horum tamen sequela gemo coram te, Domine, sed non scandalisor te præservante in his, quæ scandala venire<sup>1</sup> ipso Filio tuo prædicente oportuit. Frigescens fides, tepescens zelus fidelium causa fuerat, quod benigna Mater Ecclesia observantiam canonum pænitentialium relaxaverit, sed hac charitativa sanctæ Matris nostræ indulgentia quoque abuti non cessat hominum pravitas. Vix enim hodie coram unico sacerdote accusare se resolvit homo de illis, de quibus olim fideles se in facie Ecclesie aut accusabant aut pro confessis auriculariter criminibus impositis pænitentiis publice satisfacere posse pro felicitate habebant. Tunc enim semet ipsos accusabant in spiritu pænitentiæ de criminibus, de quibus nunc accusari nollent ab aliis, quia vivacius timebant judicia tua, Deus, quam opinionem et judicium hominum; et profecto, quid prodest hominem ignorare, quod tu nosti? Quid pudet homines scire, quod in conspectu Creatoris facere non puduit, nisi quod honorem aut <m><sup>a</sup> vitam magis æstimatorum, quam offensam tuam, Deus, aut quia hominibus plus studemus placere, quam tibi?

Sed, o Domine, his non obstantibus in his quoque discretio, moderatrix [25:] virtutis et ipsiusmet charitatis necessaria est, tu enim ipse omnia facis in ordine et in mensura, et hæc discretio ab hoc ipso ordine et mensura procedit. Spiritus itaque, quo quis duceretur, res et malum, de quo agitur, personæ quoque et circumstantiæ considerandæ sunt, ut omnia fiant in hoc ordine et mensura, quam lex, quæ a te est, non inhibet, sed innuit, quia a te est. Sunt hodie quoque sacerdotes, sunt magistratus, quibus crimen (cujus quis aut testis oculatus aut conscientis est) indicari potest, et si quis a Spiritu tuo ducitur, te consultit, et te consulto et legi et charitati satisfacere potest, nec proximo nocet, sed prodest, suam exonerat conscientiam, nec crimine dissimulato alterius portabit iniquitatem. Plurima enim crimina et peccata sæpe omittentur, si in apricum ventura crederentur, et vere peccatum, quod amamus, ita studemus celare, ut de illo publicato nos pudeat.

Hæc sunt, o Magister cordis mei, Deus, quæ te adjuvante de primo versu hujus capituli dicta sunt, in quibus multa reperirentur in auribus hominum male sonantia, sunt enim (prout jam rettuli), usui, modo vivendi hominum, denique spiritui humano contraria. Quot formarentur secundum hunc consequentiæ et sequelæ ex his, quæ

<sup>a</sup> Delevit m

<sup>1</sup> Cf. Matth. 18,7 et Luc. 17,1.

rettuli? Sed omnes illæ temporalem vitam, honorem, sensualitates, mundanum usum, terrestrium bonorum dispendium concernerent, quæ omnia propter legem tuam contemnere, abjicere et derelinquere tenemur, non autem mandata tua propter illa seponere deberemus. Judica me itaque, Deus, et discerne causam tuam,<sup>1</sup> si hæc tua sunt, nec permitte<sup>a</sup> me torrente consuetudinis arripi in illis, quæ tua non sunt. Non verebor enim contra hunc torrentem niti te adjuvante, quamvis cursum ejus deflectere non mearum sit virium. Est tamen vocationis meæ illi aggeres<sup>b</sup> et obsta-cula in multis opponere.

In præcedenti [26:] capite agebatur de peccatis ignorantiae, hæc, quæ rettuli, revo-carri possum ad peccata complacentiae et conniventiae. Illa porro, quæ in v. (2) et sequentibus comprehenduntur, peccata oblivionis esse manifestantur. Sed, o Domine, qui hodie præter peccata cognita et volita de talibus speciebus peccatorum loquitur, austerus, rigorosus et propermodum hostis generis humani appellatur, prout ethnici consueverant appellare primitivos Christianos propter morum et doctrinæ puritatem et carnem sensualitatesque ejus concernentem rigorem.

Vere, o Domine, sat larga esset salutis via, longe major esset electorum (quam Christus docuit) numerus, si non nisi peccata cognita et volita scriberentur in libro illo, unde ille mundum judicabit.<sup>2</sup> Vix cadit enim in communem fragilitatem et perversitatem hominum tanta malitia, ut te peccato secundum suas circumstantias cognito volenter offendant. Illi enim, qui sibi opiniones pro libito, dubia et excusationes, imaginarie bonos intentiones et bonos fines fingunt, tot et tam differentibus seu humani seu maligni spiritus suggestionibus circumveniuntur, ut distinctam cognitionem de peccato plerumque vix habeant, et illud committendo sæpe longe aliud velint, non peccatum. Jungatur his sententia probabilitatis in dies magis et magis dilatata, quid humano spiritui tam grata, profecto omnis umbra peccati tolletur, et non nisi illi reputabuntur pro impiis, qui dicunt in corde: Non est Deus.<sup>3</sup> Sed fors nec illi peccabunt stante prædicta opinione, quia Deum non noscentes ideo dicunt: Non est Deus. Si enim Deum noscerent, hoc dicere nollent.

Nec igitur illi agunt cognite et volenter, o Deus æterne, o veritas adoranda, o lex immutabilis! Vere pugnat contra te creatura tua, et alia fors vellet, ne esses, alia vellet, ut veritas tua divisibilis esset, alia vellet, ut legem tuam sensui uniuscuiusque accommodares, sed quæ est hæc creatura? Illa profecto, quæ ex massa condemnata generatur et veniens in mundum reprobationis suæ secum fert characterem. [27:] Vocas illam ex misericordia, das illi omnem gratiam in baptisme, sed illa creatura tua male instituta a parentibus, consanguineis et amicis etc. de lege, de veritate tua recedit per peccatum a gratia tua. Sequitur legem sensualitatum, et hanc amplectitur ignorans legem tuam, quia illam, quam secundum usum in communi vita mundana repertum sequitur (carnis et sensualitatum legem) mandatis tuis conformem esse credit. Illa est, inquam, quæ se coram te vanis prætextibus ignorantiae legis tuæ aut oblivious vult excusare a peccato.

<sup>a</sup> Sic!

<sup>b</sup> *aggeres* correxit ex *argines*?

<sup>1</sup> Cf. Ps. 42,1.

<sup>2</sup> Cf. Apoc. 20,12.

<sup>3</sup> Non...: Ps. 13,1.

An tu es causa, Domine, quod parentes illum neglexerint in educando vel cæci et ipsi cæcum duxerint illum, cui lumen dederas in baptismate? An tu causa es, quod ille recesserit ab hac gratia tua mundum assumens pro magistro suo, adhærens illi? Celastine aut abscondi jussisti legem tuam? Tune instituisti confessarios illos, qui cervicalibus et pulvillis fulciunt humanitatem sensualitatibus complacentes? Non, non, Domine, nihil horum cadit super te, sed nec tu potes æternam legem in veritate tua immutabilem tollere, sed nec homo meretur, ut tu illi semper supernaturem des scientiam aut legem tuam in favore illius mitiges. Potes peccatum illius tollere, et tollis illud, si pænitet, sed lex tua semper immutabilis est.

Publicant principes terræ et magistratus præconis voce leges, et demum scriptas communi usui exponunt. His factis quem excusabit in judicio illarum ignorantia? Tu autem, Deus, legem naturæ cordibus hominum impressisti, legem scriptam a tot millennariis annorum publicasti, legem evangelicam per datum Spiritum in corda scripsisti, hanc Filius tuus sanguine suo irrigatam tam fertilem reddidit, ut exaltatus in cruce omnia ad se traxerit.<sup>1</sup> Hæc leges in tabulis scriptæ ubique reperiuntur, millions hominum fuerunt [28:] et sunt, qui illam verbo, scripto et exemplo publice omni die et gratis docent, homo tamen ignorantia aut oblivione hujus legis se excusare vult in conspectu tuo.

Sed hæc, Domine, judiciis tuis relicta sunt, quæ ego in timore et tremore dilectionis adorare volo. Hoc tantummodo verbum decisivum; hoc et hoc sufficit scire ad salutem; durum est in auribus meis, quia multarum relaxationum est occasio. Disputationes aut, potius dixerim, æmulosæ contentiones scholarum dant occasionem similium loquularum, et ut probent dari excusabilem ignorantiam de lege cordibus nostris inscripta, fingunt sibi entia rationis et homines brutis similes, ut decident dari ignorantiam invincibilem de illa. Homo carnalis audit hanc sententiam et sensum illius pro libito interpretatur sumens exinde occasionem erroneous opiniones formandi, et hæc tollerentur, si per uniformem doctrinam doceretur ignorantiam legis tuæ inexcusabilem esse et peccata etiam oblivione committi, prout in sequentibus lex tua nos instruit.

Sed dicet mihi aliquis, quodsi hæc et similia tam rigorose docerentur, pusillanimes et anxias redderent conscientias et in desperationem ducerent hominem. Sic loquuntur enim illi, qui non considerant magis inclinari naturam humanam ad præsumendum de misericordia tua, Deus, quam ad timorem justitiae tuæ, et propterea periculosius esse fovere præsumptionem, quam dare occasionem timoris. Similibus ratiocinationibus transgrediuntur limites simplicitatis, et humano intellectui via demonstratur ad dilatandas vias artas et ad immiscendas adinventiones scientiæ mundanæ simplicitati fidei. Sic datur occasio excedere humilitatem et habere confidentiam in viribus propriis, denique sic ambulat [29:] homo in tenebris.

Sint tamen hæc et complura, quæ de similibus scribere possem, relicta tibi et profunditati judiciorum tuorum! Tu scis, Domine, quod his neminem instruere aut arguere velim, sed te adjuvante memet ipsum confirmare intendo in simplicitate et humilitate, ut quo artiores video vias, per quas ambulare debedo, eo ferventius recurram ad te et confidam in bonitate tua, non in viribus meis, et sic diligam te ductorem meum, qui me doces mandata tua.

<sup>1</sup> Cf. Ioan. 12, 32.

O Deus infinite bonus, lumen animæ meæ, celasti adhuc intellectui meo causam, cur præceperis lege populo tuo, (2) ne occisa a bestiis cadavera aut per se mortuum aut reptile aliquod tangeret, et huic tactui impuritatem, qua polluebatur, annexisti, propter quam subjacebat delicto, a quo oblivio immunes non reddebat prævaricatores, sed dum delicti recordati fuerunt, illud sacrificio expiare obligabantur. Tu vides, Domine, quod excedat captum meum, cur animal a bestia occisum impurius fuerit illo, quod ipsem populus occidebat. Cur denique reptile vivens creatura tua pro immunda reputata fuerit, sed ecce, hæc impuritas (3) extenditur etiam ad immunditiam ab ipso humano corpore provenientem et adhuc obscuriorem reddit meditatio-  
nis meæ materiam.

Docuit me bonitas tua et inde scio horum perquisitionem non esse necessariam ad salutem, cum hæc observantiæ sublatæ sint, nec pollui similibus populum tuum spiritualem, sed ab illis coinquinari, quæ ex corde procedunt.<sup>1</sup> Scio, inquam, per mortem Filii tui maledictum ab omni natura creata ablatum fuisse, sed hæc ratio necdum me satiat, quia impuritas, quæ contrahebatur, tantum ad reptilia restringitur, non ad omnes creaturest extendebaratur. Scio reptilia quoque duplicitis speciei esse, et alia in prima creatione te jubente terram produxisse, alia ex subsequenti (per peccatum inducta) corruptione<sup>a</sup> ex corruptione [30:] generari, sed quia lex tua hæc non distinguit, nec specificat, generalem expressionem, quæ se ad omnia reptilia extendit, ad sensum meum restringere non præsumo. Dicamne reptilia particularem maledictionem incurrisse per sententiam super Serpentem aut super hominem pronuntiatam, maledicta terra (quæ reptilia producit[]),<sup>b</sup> sed hæc maledictio quoque ad opus hominis restringitur per subsequentia verba: in opere tuo?

Sic divagatur, Domine, intellectus meus, sed in his divagationibus quoque te querit, et profunda sapientiæ tuæ mysteria inquirit; non ut sciat, sed ut te ex illis diligat et hæc, quæ pro instructione hominis scripta tradidit misericordia tua, intelligat ad salutem. Sed in omnibus his, quæ rettuli, tenebras reperiens ignorantiam meam confiteor tibi in humilitate cordis mei. Subjecisti misericorditer intellectum meum in obsequium magnium tuorum, nec igitur curiositas nec aviditas nec impatientia me retinet in scrutando, sed bonitas tua me provocat, ut quærerem et petam a te lumen ad intelligendum. Sed quia occurrit mihi ampliorem me habiturum occasionem hæc ruminandi, dum te adjuvante pervenero ad meditandam legem, per quam esus certorum animalium vetitus fuit, transgredior ad meditanda subsequentia capitum hujus.

Exegeras, Domine, a populo tuo carnali carnalem et spiritualem puritatem, et propterea illa, quæ in præcedentibus intellectui meo tam obscuris textibus continentur, corporalem impuritatis pollutionem concernebant, hæc porro, quæ (4) referuntur, impuritates spirituales respiciunt, et quia a populo tuo spirituali præcipue puritatem spiritualem exigis, mandata tua, quæ hanc respiciunt, hodieum subsistunt, et eo magis confirmata sunt, quo perfectius docuit nos Filius tuus te et proximum diligere.<sup>2</sup>

<sup>a</sup> Transposui signum )

<sup>b</sup> Transposui signum )

<sup>1</sup> Cf. Matth. 15,11.

<sup>2</sup> Cf. Matth. 22, 36–40.

Et vere hæc dilectio obligat nos mala, de quibus juravimus [31:] indiscrete, præcipitanter, imprudenter aut malevole omittere, et bona, quæ sermone firmavimus, opere implere, quia secus facientes<sup>a</sup> conforme [est]<sup>b</sup> justitiae tuæ nec oblivionis delictum excusare.

Absit, o Domine, a me, ut immorer argutis quæstionibus resolvendis, quas homo formare posset, quomodo oblivionis peccatum incurri potest in eo, quando quis mali promissi obliviaicitur; littera enim dicit: Anima, quæ juraverit et protulerit labii suis, ut vel male quid faceret vel bene et idipsum juramento et sermone firmaverit oblitaque postea intellexerit delictum etc. Oblivio enim illorum, de quibus male juravimus, non ideo nos culpat, quod in actum non deduximus malum, sed quia pænitere oblii fuiimus de male juratis. Hinc istud proprie oblivionis, alterum (dum nimirum bene jurata non facimus) omissionis delictum est, hoc et alterum non semper damnans, numquam tamen non ita coquinans, ut nos immunes reddat a pænitentia, quam (5) præcipis. Ad hæc delenda exigebas a divitibus agnæ vel capræ oblationem (6), a pauperibus duos pullos columbarum (7) aut turturum, ab egenis autem (11) similæ partem ephi decimam, ut nec dives, nec pauper immunis redderetur ab expiatione.

Duo sunt, Domine, quæ me in confirmationem jam relatorum observare facit gratia tua (9 et 11), quæ fieri oportebat in sacrificiis pro peccato, ut nimirum victimarum cruentarum sanguis totus effunderetur; et hæc procul dubio taliter instituit sapientia tua, ut eo adæquatius figuraret veritatem veri sacrificii, quod effusionem totius sanguinis requisivit, et ejus memoria in pane (exclusa omni mixtura) in realitate celebranda instituenda fuerat, ut sit nobis in verum sacrificium propitiatorium pro peccatis nostris. (15) Expiationibus peccatorum [32:] per ignorantiam, per oblivionem aut per omissionem patratorum succedit expiatio peccatorum per errorem commissorum, quæ profecto demonstrant mihi præter cognitionem et voluntariam quoque peccandi malitiam multa posse hominem committere, quæ expiare oportet, respectu quorum qui se sine peccato esse dicit, vere mendax est. Potest itaque homo scire legem tuam, potest te adjuvante velle sequi illam, et tamen ex inconsideratione, præcipitantia aut ex imprudentia errare.

Quid igitur justius, quam errorem expiare obligari? Quot sunt præterea errores, quos præjudicia, usus, superiorum exempla inducunt? Et ecce, quam ampla esset reflectionum materia de prævaricationibus cæremoniarum, quæ committuntur per errorem, reputantur tamen pro peccatis, quæ tu, Domine, expiare mandas. Si subtiliter cogitationes meas, credi posset nefario ausu sanctas et pias cæremonias Ecclesiæ me reprobare velle, sed si elocutus fuero mentem meam, quot censores, quot condemnatores reperiam? Non reperio omnino in lege nova Filium tuum, Deus, alias instituisse cæremonias; ipse enim cultus et mysteriorum celebratio in magna simplicitate, pietate et sanctitate peragebatur ab apostolis, partim quia persecutionum exigebat necessitas, partim, quia oportuit Judæos a figuris ad veritates, gentiles a superstitionis et sensualibus ad spiritualia objecta revocare. Hinc et sacramenta religionis in ipsa illa simplicitate administrabantur, sed quo magis crescebat fidelium numerus, quo plus dilatabatur religio, etiam in ipsa simplicitate committebat abusus et errores hominis depravata natura, de quibus jam ipse Paulus arguebat

<sup>a</sup> Sic pro facientibus (cf. Ms. ft.: parce que si nous faisons autrement il est convenable)

<sup>b</sup> Supplevit est

Corinthios, qui conveniebant ad epulandum,<sup>1</sup> non ad recolendam memoriam passionis in celebratione mysteriorum.

Propterea Spiritu tuo animata Ecclesia, ut hos abusus tolleret, reverentiam mysteriorum per institutas cæremonias imprimere voluit. Primo [33:] igitur decorem induxit seu, clarissimam, decentiam, quam pietas et zelus ornatibus excoluit. Sed nec simplicitas nec decor nec ornatus carere potuit abusibus et erroribus, in quibus extirpandis aut præcavendis frequentata diœcesana, provincialia et œcumonica concilia cum magna diligentique vigilantia laborabant. Verbo prædicabatur Evangelium, sed ut vita et historia Christi profundius imprimetur in mentibus, natura hominis ita exigente oportebat, ut exponeretur etiam sensibus. Hinc imagines et repræsentationes sensibles sancto et pio fine inductæ sunt. Quid gloriæ tuæ, Deus, poterat esse convenientius, quam et illorum memoriam exponere præ oculis fidelium, qui amici tui, imitatores Filii tui facti sunt, et pro nomine ejus immania tolerabant tormenta! His spectaculis enim firmabatur fides et muta voce deprædicabantur fidei effectus et ab hominum malitia invincibilis gratiæ tuæ virtus. Fortes hæc meditabantur in Scripturis, legebant in actibus martyrum, debiles et infantes legebant in repræsentationibus imaginum, audiebant in lectionibus prædicationibusque publicis et oculis auribusque percepta imprimebant cordibus.

Sed quo profundius imprimebatur zelus et fides, per objecta sensualia eo ferventer efficiebatur cultus et ipsa intrinseca devotio provocabat extrinsecam, et externa fovebat, nutriebat et augebat internam per mutua exempla. Naturæ itaque et spiritui (seu interno et externo cultui) consentaneum erat non tantum in imaginibus recolere sanctorum memoriam, sed ferventius querere in reliquiis illorum hanc ipsam memoriam. Exibat ex illis virtus illa, Deus, a Filio tuo participata, quæ sanabat languores, curabat infirmos, firmabat fidem et augebat devotionem. [34:] Quodsi autem naturale est in pretio habere, quæ rara sunt et quæ diligimus, quis potuit reprobare aut quis mirabitur <cælico><sup>a</sup> serico, auro, pretiosis lapidibus ornatas fuisse arcas, quæ sanctorum continebant exuvias? Quis enim nostrum est, qui adamantes et uniones luto circumdabit? Quis est, qui quod æstimat, serico, purpura et quidquid pretiosum est, non <circumdabit><sup>b</sup> exornabit?

Omnia itaque hæc siebant fide nutrita, Spiritu ducente et te, Deus, per Filium tuum Ecclesiam dirigente. Propterea erectis templis adorandæ mysterii passionis celebratio majus sumebat incrementum, majorem acquirebat decentiam, ut adoratio Christo debita distingueretur a cultu sanctorum, quem Ecclesia semper pro pio reputabat ideoque admittebat, numquam tamen ad illum (tamquam sub fide ad salutem necessarium) obligabat fideles. Ex his consequentiis etiam reliquorum sacramento rum administratio suum ordinem, modum et decorem requisivit, et omnia in Spiritus tui vero ordine et mensura pro convenientia temporum jam instituebant, jam augebant, jam moderabantur, jam reprimebant concilia seu particularia seu generalia.

Sed quid dicam, Domine, de temporibus aut potius regionibus, in quibus synodi et provincialia concilia per incuriam pastorum cessarunt, inter generalia autem concilia sæcula intercesserunt? Averte, Domine, oculos meos, ne videam scandala et errores in cæremoniis, quos vel indiscretus et mensuram Spiritus tui excedens zelus vel

<sup>a</sup> Delevit *cælico*

<sup>b</sup> Delevit *circumdabit*

<sup>1</sup> Cf. 1 Cor. 11,20 sqq.

ignorantia vel negligentia induxerunt, usu autem in tantum roborata sunt, ut passim credatur illa tolerari debere propter evitandum scandalum et majus malum, quod per violentias fieri et ad hoc in plurimis locis ferrum et arma applicare oporteret, haec autem violentiae sanguinis effusionem et schismata causare possent. [35:] Hæc autem opinio in tantum est stabilita, ut etiam illa media negligantur, per quæ similes errores vel insensibiliter tolli vel saltem reprimi possent.

Lex tua, Deus, cuius meditationis occasione hæc occurunt mihi, errores, ignorantiam, oblivionem et omissionem condemnat, sed necdum repperi, ubi admittat tolerare aut, potius dicam, negligere minus malum ad evitandum majus malum. Malum enim semper malum est in conspectu tuo, et quod de natura malum est, profecto tibi oppositum, contrarium et abominabile est. Sed quod est hoc malum? Illud profecto, quod legi tuæ æternæ et per consequens veritati tuæ oppositum est. Non referto ego ad hoc malum errores contra legem tuam positivam, sed contra legem naturæ impressam commissos, multa enim, quæ in lege veteri statuta fuerunt, per legem novam aut impleta sunt, aut abrogata cessarunt, et quod malum fuit, malum esse cessavit, quia malum ex natura sua non fuit, sed per positivam legem pro malo haberí ordinabatur. Hinc legem quoque, quam Ecclesia te inspirante statuit, semper te ducente et moderari et solvere et abolere potuit et potest. Nolo, Domine, censorem et adhuc minus reformatorem agere, nisi in quantum ad hoc vel illud munus vocaveris me, dum tibi placuerit ampliorum gregem committere pastorali officio meo, sed nec tunc competenter mihi manus ponere in thuribulum, obligaminis tamen mei foret intendere, ut per illos, quibus competit, reformarentur tollerenturque, quæ sunt scandala et errores abusuum, non autem fidei et dogmatum.

O misera naturæ humanæ condicio! O depravata ad finem suum tendentia tempora! O mores hominum corrupti, quomodo fidem obscuratis, religionem offuscatis, charitatem extinguitis! Hi sunt naturales effectus senescantis naturæ, hæc sunt, [36:] quæ horrorem postremorum temporum repræsentant mihi, in quibus exsula fide, inundantibus erroribus, incrementum sumentibus falsis prophetis ita confundentur omnia, ut nisi abbreviarentur dies illi, si possibile esset, ipsi electi tui perverserentur.<sup>1</sup> Post illa, inquam, tempora, apparebunt innumera illa ignorantiarum, oblivionum, omissionum et errorum peccata, quæ nunc controvertuntur, argute excusantur aut penitus tolluntur. Tunc manifestabitur concatenata series scandalorum, peccatorum, causæ perditionis tot millionum hominum, quam ignorantia legis tuæ, Deus, aut etiam errores cæmoniarum induxerunt. Et quomodo possem de his non gemere, quæ mihi tam viva vivaciter repræsentare dignaris, singulariter tamen gemmo, Domine, de meis ignorantias, quia potiori parte vitæ meæ legem tuam ignoravi, necdum sum enim infans unius anni, a quo te inspirante illam pro objecto meditatum mearam sumpsi, et profecto omni die agnosco, quam proficia sit animæ meæ esca legis tuæ.

Video mirabilia, adoro magnalia tua, contremisco coram profunditate judiciorum tuorum. Sacerdotibus est enim proprium peccare per errorem cæmoniarum, sed ecce, ignorantiae peccatum (17) repetitum a me innumeris vicibus commissum et in me redundant. Offeram igitur tibi victimam, quæ pro peccatis totius mundi oblata

<sup>1</sup> Cf. Matth. 24,22.

offertur tibi. Fac, ut offerens uniam me illi, ut offerar illi sacerdoti, qui interpellet pro peccatis meis, ut dimittatur, (18) quod per errorem commisi!

#### SUPER CAPUT 6.

Posteaquam bonitas tua, o Deus, in præcedentibus omnia ignorantiae, oblivionis, omissionis et erroris delicta sacrificii expiari jussisset, ecce, legem statuis de peccatis determinatae malitiæ, cognitis nempe et volitis. Præcedentia fuere plerumque materiæ delictorum, [37:] quamvis possint sæpe etiam criminum et per consequens damnationis causæ esse propter abusus, quos ignorantiae et errores inducere possunt. (1) Sed in illis, quæ hic Moysi præcipis, (2) loqueris de anima, quæ peccaverit contemptu Domino. Horrendum est cogitare, quanta sit enormitas peccati, quod quis patrat contemptu Domino. Tunc enim consurgit creatura contra Creatorem, servus contra Dominum, et se statuens pro fine actionis suæ vere dicit in corde suo: Non est Deus.<sup>1</sup>

Sed parce, Domine, si quæsiero, quomodo Deum contemnere dici potest aliquis, qui illa patrat, quæ hic enumerantur, quæ plerumque proximum concernunt? Verum est, o Domine, quod quisquis legem tuam contemnit, te qua supremum legislatorem contemnit, sed ille, qui hæc, quæ hic enarrantur, patrat, legem naturæ in veritate æterna fundatam prævaricans te, Domine, contemnit qua veritatem æternam, qua Deum. Hinc de similibus nulla ignorantia excusare potest. Lex naturæ dicitur, quia lex est animæ rationali seu ipsimet rationi insita, quæ quia imago tua est, homini per insufflationem creando impressa, a veritate tua procedit lex illi data. Propterea natura seu ratio dictat amare te, Deus, se autem et proximum amare propter te, quia proximus est imago tua. Unde deducitur obligatio facere illi, quod mihi fieri vellem, non facere autem illi, quæ mihi fieri nolle.<sup>2</sup>

Prima igitur pars legis includit omnes actus misericordiæ, justitiæ, bonitatis et charitatis, quia hæc mihi fieri vellem, secunda excludit omnes actus iræ, odii, invidiæ, dolii et fraudis, quia hæc mihi fieri nolle. Tam excellentes fuere leges naturæ seu rationi ad imaginem tuam creatæ animæ impressæ, sed cum in illam per peccatum inducta fuisse prava concupiscentia, et tenebrae peccati, quæ consistunt in falso seu mendacio, offuscarunt veritatem in [38:] ratione, et propterea ex falso incitamento, pro falso fine agit homo, dum peccat, et tunc vere contemnit te, Deus, qua veritatem æternam.

Mysterium est homo sibimet ipsi incomprehensibile, creatura est ad deificationem disposita, et hinc anima ejus portio divinitatis est, non quod divinitas esset divisibilis, sed quia anima est emanatio veritatis et veritas semper residet in ratione ejus vocaturque dictamen conscientiæ, cui se opponere summum peccatum est. Hæc veritas seu rectum in ratione producit omnes virtutes morales in hominibus, in quibus falsum seu passiones non prædominantur. Tales fuere heroes, philosophi, quos tantis laudibus et encomiis celebrat antiquitas, et hodie miramur, aestimamus, amamus virtuosos homines, sed plerumque ignoramus, quid sit, quod hanc communem approbationem producens amorem conciliat, sed fors melius dixerim, quod nos

<sup>1</sup> Non...: Ps. 13,1.

<sup>2</sup> Cf. Matth. 7,12.

non reflectamus, quod veritas tua seu rectitudo rationis (quæ est in nobis) præbeat testimonium veritati tuæ, quæ est in illis. Hinc vox populi vox Dei dici potest.<sup>1</sup>

Consulatur hæc ratio absque passione, semper verum consulet, sed si passionibus velata, sensualitatibus offuscata aut, potius dixerim, oppressa fuerit, passiones semper falsum repræsentabunt, non autem ratio. Quidquid huic rationi naturali puræ, id est, a passionum et sensualitatum prædominio immuni oppositum est, legi naturæ repugnat, et hæc oppositio sensibilis esset, si rationem absque præventionibus, præjudiciis et, prout dixi, absque passionibus consuleremus. Sed quia tu, Deus tam bonus et tam misericors, horum causa non es, juste nos punis, dum ignoramus, quæ scire possemus, si rationem, quam dedisti, a sensualitatis peccatis et a passionibus præservatam consulteremus. Ad hæc nos posset ducere rectitudo rationis nostræ et sufficere ad recte agendum moraliter, ad hoc enim dederas illam, ut homo [39:] prædictus illa possit præesse creaturis et dominari illis. Posset, inquam, te post lapsam naturam quoque cognoscere, sed te diligere non potest sine gratia, quia sensualitatibus et concupiscentiae alligata nequit pro supernaturali fine agere, ut amet veritatem sensus suos excedentem plus, quam falsitates in sensus suos cadentes, quæ in se veræ sunt, in quantum realiter existunt, falsæ tamen sunt, quia rationem seducunt. Hæc igitur ratio debet subjici in obsequium fidei, hæc elevatur a te, et dum vult, quod vis, amat veritatem, quia amat voluntatem tuam, et dicitur amare te et justitiam tuam.

Sic unit se homo tecum, o Domine, in charitate, et hæc ratio gratiæ tuæ lumine illustrata sic elevat se ad veritatem incretam uniturque illi tam intime, quantum vincula sensuum permittere possunt. Agere itaque contra rationem seu conscientiam est agere contra te, Deus. Agit autem quis contra rationem, qui proximo facit, quod sibi fieri nollet, seu depositum negando seu extorquendo seu calumniando (2. 3) seu rem perditam inventam non restituendo seu pejerando peccat itaque vere contempto Domino. (4. 5) Convicta proinde de criminе tenetur facere alteram partem legis naturæ faciendo, quod sibi fieri vellet, et sic (6) offerre tibi arietem. Hæc confirmavit in lege evangelica Christus præcipiens, ut antequam munus offeramus ad altare, reconciliemur cum proximo.<sup>2</sup> Non est idiota tam stolidus (nisi sit mente captus), qui nesciat, quid sibi vellet aut nollet fieri ab alio. Quoties ergo hoc facit et alterum negligit præstare proximo, contra legem naturæ agit non ex ignorantia, sed ex oblivione, omissione, præcipitantia, passione aut malitia. Sed quia tu homini rationem ideo dedisti, ut agat secundum illam et cum illa, nec gentilis a similibus peccatis excusabitur, quomodo Christianus excusari posset, cui fidem, gratiam et [40:] legem dedisti, quam semper præ oculis habere et ex amore tuo et proximi agere tenet.

Ex his sequitur igitur ad remissionem horum peccatorum imprimis requiri satisfactionem proximo debitam, sacrificium cordis dolentis et contriti, denique satisfactionem juxta mensuram æstimationemque delicti a sacerdote impositam, et his indicantur figuranturque opera satisfactoria pænitentiæ in lege nova per sacerdotem injungendæ, quæ sacramentum pænitentiæ seu confessionis figurant. (7) Et sic orabit pro illis sacerdos et remittuntur pænitenti delicta. Hic est modus delendi peccata et delicta contempto Domino commissa, et his ruminatis appetet veritas, quam Salvator nos docuit dicens: Non veni solvere legem, sed adimplere.<sup>3</sup> Hanc enim (de qua

<sup>1</sup> Cf. proverbium

<sup>2</sup> Cf. Matth. 5,23–24.

<sup>3</sup> Cf. Matth. 5,17.

hic agitur) per institutionem sacramenti pænitentiæ vere adimplevit Spiritus ejus, quem Ecclesiæ reliquit, sed præcipue implevit in eo, dum sanguini arietis figurantis sanguinem suum substituit in remissionem peccatorum, in cuius effusionis virtute remittuntur peccata, et dum æterni sacerdotii sui virtutem sacerdotibus suis communicavit, illis jus æstimationis et mensuræ reliquit, ut judicent de operibus pænitentiæ et satisfactionis, per quæ nobis applicamus victimam per arietem figuratam, in cuius sacrificii virtute a peccatis absolvvi desiderantes hanc victimam quodammodo sacerdoti offerimus, ut offeratur. Orat pro nobis sacerdos, dum absolutionem impertitur et pronuntiat.

Sed ut in omnibus correspondeat figura veritati, ecce, non absque causa subjungitur præcedentibus lex holocausti (8. 9. 10. 11. 12. 13). Hæc precipit debere ignem perpetuum ardere in altari holocausti et hujus ignis veritatem ipse Salvator revelavit dicens: Veni mittere ignem in terram, quid volo, nisi, ut accendatur et ardeat?<sup>1</sup> Et hic est ignis charitatis suæ, qui indesinenter ardere debet in altari cordis nostri. [41:] Hic ignis consummavit<sup>a</sup> victimam sacrificii sui. Nullo alio igne uti debemus in sacrificiis nostris, sed præcipue sacrificium cordis contriti pro peccatis nostris oblatum hoc igne consumi debet, oportetque, ne umquam ignis iste deficiat.

Sed, o Domine, permitte, quæso, ut inquiram, in quem fidem instituis sacrificium, quod offerre jubes Aaron! Nec est enim pacificum, nec dicitur esse pro peccatis suis aut populi. Est ergo procul dubio sacrificium in agnitionem supremi dominii tui oblatum et singulis diebus repetitum. Propterea, ut veritatem adæquate designet, non est cruentum, sed fit per oblationem similæ oleo respersæ et superimpositionem thuris. Simila itaque potest mihi hic repræsentare populum, oleum similam penetrans Spiritum, quo<sup>b</sup> Christus populum suum penetrat, thus autem charitatem, in qua tibi juge offertur sacrificium in agnitionem supremi dominii tui eo dignius te, Domine, quo ipsum caput populi tui ipse Dominus noster, qui Spiritu suo totam Ecclesiam penetrat, prout in figura oleum penetravit similam, cum incenso charitatis offertur tibi in monumentum odoris suavissimi cruentæ oblationis suæ (15).

De hoc sacrificio autem (18) nonnisi mares stirpis Aaron comedunt, et hic tanto clarius exprimitur veritas nobis manifestata in generationibus Ecclesiæ in sempiternum subsistens. Quamvis enim simus populus sacerdotalis,<sup>2</sup> æternus sacerdos noster tamen particularius communicat sacerdotium suum generationi suæ sacerdotali, unde per præceptum, quo manducatio (ex sacrificio, de quo hic agitur) ad solum Aaron et masculos generationis suæ restringitur, designatur hoc sacrificium, in quantum respicit agnitionem supremi dominii tui super totum corpus [42:] <corpus><sup>c</sup> Ecclesiæ in concreto factam solos sacerdotes facere debere eo, quod sint respectu sacerdotii Christi, sicut erant mares respectu generationis Aaron. Hi publicæ legationis funguntur officio et pro populo, cum populo debitum adorationis præstant tibi homagium.

Profecto sanctificari seu purificari oportet prævie illum, qui tangit hanc victimam. Sed ecce, ut sacerdotii Judaici imperfectio et sacerdotium Aaron nonnisi figuram

<sup>a</sup> consummavit recte consumpsit (cf. inferius *consumi*, et Ms. fr.: *a consommé*)

<sup>b</sup> Correxi ex *qua*

<sup>c</sup> Delevi

<sup>1</sup> Cf. Luc. 12,49.

<sup>2</sup> Cf. I Petr. 2,9.

fuisse sacerdotii secundum ordinem Melchisedech<sup>1</sup> clarior figuretur, singulare instituitur sacrificium ab ipso die consecrationis Aaron et filiorum ejus inchoandum et singulis diebus continuandum (20 et reliqui). Hoc offerebatur a sacerdotibus, qui jure patri succedebant, sed hoc sacrificium sacerdotum particulare ab illis tamquam sacerdotibus oblatum cessavit, a quo æternus sacerdos in sanguine suo semel sanctuarium ingressus est<sup>2</sup> et sacerdotii character respectu oblationis in totum populum sacerdotalem extensus est. Hinc veram victimam non amplius sacerdotes soli offerunt, quin censeantur uniti cum populo et capite totius Ecclesiæ, Christo, qui per manus ejus se offert in illo tibi, Pater æterne. (30) Hostia, quæ figura fuit et cædebatur pro peccato, cuius sanguis inferebatur in tabernaculum testimonii ad expiandum in sanctuario, non comedebatur, sed comburebatur igni, sed a quo veritatis Lux umbras fugavit, hostia, quæ pro peccatis semel oblata cruenta offertur incruente, comeditur et de illa seu spiritualiter seu sacramentaliter participamus omnes.

Omnia hæc, quæ hactenus de sacrificiis te adjuvante, Domine, meditatus sum, ad hanc unam adorandam sacrificii oblationem referuntur, nec nisi differentes proprietates [43:] et virtutes ejus specificantes figurant, quæ ut populo carnali majorem respectum imprimant, diversificare voluit sapientia tua objecta sensuum illius. Hinc diversa animalia offerebantur in victimam, differentes oblationes fiebant in simila et farina secundum differentiam finis sacrificiorum, in quem offerebantur. Omnia cruenta sacrificia tamen respectu effusionis sanguinis cruentum sacrificium crucis, omnes oblationes farinæ incruentam oblationem ejusdem sacrificii realem, velatam tamen sacrificii crucis repræsentationem indicabant, et hanc tamquam veritatem respiciebant. Hoc est mysterium (quod nobis quamvis revelatum), mysterium tamen fidei et novi testamenti esse non desiit, oculi enim nostri carnales cum nudam veritatem videre non possint, illam sub speciebus sacramentalibus velare oportuit, ut esset plus fidei, quam sensuum, nec tamen ita fidei, quin sit et sensuum objectum, cum incarnatam veritatem occultent, cuius manducatio et spiritui prodest in salutem et corpori proficua est in sanctificationem et resurrectionem.

Auge, Domine, fidem meam, ut veritatem (quam corporeis oculis cernere nequeo) præsentem esse sentiam; quidquid enim mihi deest in sentiendo, a debilitate fidei procedit. Credo enim te adjuvante omnia, sentio me credere, tu tamen adjuva incredulitatem meam, et fac plus sentire, ut plus diligam, quod plus sensero, et plus sentiam, quo plus dilexero!

#### SUPER CAPUT 7.

(1) Nosti creaturam tuam, Deus, tu, qui plasmator ejus es, et ut infirmitatem suam eo magis agnoscat, dignaris distinguere delicta a peccatis, et hæc quoque sacrificiis expiari præcipis, ut te quoque modo offendisse pænitentia, et jam tunc demonstraretur in figura [44:] nulla peccata, nulla delicta mereri remissionem, nisi per virtutem sacrificii, quod tam diversis speciebus sacrificiorum figurabatur. (7) Prout igitur pro peccatis offerebatur hostia, ita et pro delictis <ut><sup>a</sup> utriusque hostiæ lex una erit. Pænitentia, quæ plus ex

<sup>a</sup> Delevit ut

<sup>1</sup> Cf. Ps. 109,4.

<sup>2</sup> Cf. Hebr. 9,12.

timore, quam ex dilectione procedit, plerumque distinguit doloris hostiam, quam tibi in lege nova offerre debemus pro peccatis aut pro delictis. Sed quia tu, Deus, in figura nec hostiam, nec modum offerendi distinguis, doces nos veram dilectionem charitatis nec nunc debere dolorem distinguere considerando offensam tuam, Domine. Qui plus te timet, quam diligit, continue inter delictum et peccatum distinctionem querit, et dum peccato commisso damnationis sententiam metuit, plus dolet, quia illam<sup>a</sup> timet. Sed cum te vere dilexerit et te offendisse doluerit, dolorem non distinguet et idem sacrificium cordis contriti et humiliati præstabit tibi pro delicto et pro peccato. Ipsa justitiae tuæ ratio distinguit quidem delicta fragilitatis a peccatis malitiæ, sed dilectionis nostræ a te data perfectio (quæ peccatum et delictum horrere facit), quia mavult millies mori, quam te vel levissime offendere, doloris distinctionem ignorat.

Tu vides, Domine, in corde meo, quod his, quæ refero, nolim reprobare sanam doctrinam de attritione et de timore tuo, sed ex his reflexionibus discere velle, quid sit te vere diligere. Agnosco enim omnem vel minimam offensam tuam nonnisi ex defectu charitatis provenire, et ideo delictis carere non possumus, quia te in hac misera vita perfecte diligere non valemus. Sed opponet mihi rigidus censor per hanc reflexionem de qualitate sacrificii pro delictis et pro peccatis me æqualitatem doloris præscribere velle [45:] et contritionem reprobata attritione requiri insinuare. Sed immunis erit spiritus meus ab hac censura, æqualitas enim hostiæ (quæ dolor est) seu in attritione seu in contritione semper requiritur ad remissionem, sed incitamentum doloris, in quantum plus timorem, quam dilectionem, vel plus dilectionem, quam timorem respicit, distinguitur. Nec lex tua, Domine, (de qua hic agitur) super hanc distinctionem cadit, sed super æqualitatem hostiarum in utroque sacrificio, pro peccatis et pro delictis, quæ hostiæ dolorem cordis præfigurarunt, quem a nobis in tantum requiris, in quantum dare dignaris.

Hinc in attritione supplet per sacramentum collata gratia, quod peccatorum cordibus neandum infudit tua misericordia, sed quibus plus das, plus ab illis requiris; et hi sunt, qui ex dilectione omnem offensam tuam horrentes de omni offensa æqualiter dolent, quia in illis æqualitas incitamenti operatur. Et profecto si considero, quid sit offendere te, in quo infinitæ perfectiones tuæ omnem passionem iræ et offensionis excludunt, reperio gravitatem peccati non in tantum respectu tui, in quantum respectu mei distingui, peccatum enim separat me a te, delictum plus vel minus elongat, vel, ut adæquatius dicam, unioni plus vel minus perfectæ contrariatur, cuius unionis impedimentum sancti tui pro séparatione reputant, et ideo quo plus te diligunt, (quia tecum perfectius uniri cupiunt), uniri non posse semper gemunt, et de offensis vivacius dolent, quam peccatores de eo, quod separati sint a te.

Dedisti, Domine, mihi hæc taliter concipere, sed hæc præstare posse opere neandum valeo, quia te, quantum diligere vellem, neandum diligo. Gemo itaque de miseriis meis, sed quia non semper gemo, retrahor a te a fragilitatibus meis, dum gemere cesso, et tunc semper a te elongor, quamvis [46:] recedere nolle. Da itaque, Domine, quod deest mihi de illis, quæ mihi dare decrevit misericordia tua. Omnia enim in mensura voluntatis tuæ desidero a te, quia illam semper justam, semper misericordem esse credo. Da contriti cordis hostiam, ut illam offerre possim tibi pro peccatis et pro delictis meis (11)! Hæc est lex pacificorum, <quæ><sup>b</sup> hostia, quæ offertur

<sup>a</sup> Correxit illam ex jam (partim in margine)

<sup>b</sup> Delevit que

Domino in veritate, quam mihi manifestare<sup>a</sup> dignatus est Filius tuus, veritas æterna per veritatem legis suæ, per quam adimplevit legem veterem. Hæc est vera oblatio pro gratiarum actione<sup>b</sup> (12), et propterea sacramentum Eucharistiae seu gratiarum actionis appellatur. Hæc sacrificii oblatio veritatis in realitate jam completa fugavit umbras sacrificiorum legalium, quia in hac sola oblatione sacrificii impletæ sunt figuræ, quæ, prout sæpe dixi, nonnisi differentes effectus hujus adorandi sacrificii repræsentabant.

Jubes, Domine, in hoc versu præcitatō etiam panes <præcitatōs> fermentatos<sup>c</sup> offerre, sed quia in præcedentibus institutionibus tuis a sacrificiis omne fermentum exclusisti, hic et in sequentibus credo te instituisse oblationem ad victimum sacerdotum requisitam, ut illi, qui serviebant altari, viverent ex altari et primitiarum donorum tuorum fierent participes (15). Prævidisti, Domine, abusus, qui ex congestione oblitorum induci poterant a sacerdotibus, qui ex illis (prout in postremis Synagogæ temporibus factum est), quæstum exercere potuissent, et fors propterea (16. 17. 18) oblata aut manducari aut post diem tertium igne consumi jussisti, ut sacerdotes victimum suum a tua providentia, non a propria industria exspectent.

Te adjuvante observavi, Domine, in præcedentibus specialem puritatem exterrnam, quam exegisti a populo, sed illius exacta obseruantia (19. 20) eo strictius statuitur et procul dubio figurat spiritualem puritatem, quam exigis ab illis, qui accedunt ad manducandam hostiam nostram pacificam. Qui enim hodiecum non dijudicantis corpus [47:] Domini comedit illud, perit spiritualiter de populo suo, quamvis illum temporaliter vivere sinat infinita misericordia tua in virtute peracti, magni et ineffabilis sacrificii ad pænitentiam vocans peccatores.

Prætero hic denuo (omittere tamen nolle) ampliores reflexiones facere de impuritatibus legalibus. Illis, quæ has concernunt, subjungitur hic institutio partis sacerdotum de victimis ad victimum illorum requisitæ (36), quam præcepisti illis dare a filiis Israel religione perpetua in generationibus suis. Et hæc postrema verba clare demonstrant hoc institutum non fuisse figurativum, nec debuisse extendi, nisi ad generationes populi carnis Israel. Postquam enim Israel spiritualis in gentem sacerdotalem factus est, æqualem partem habet in adorando sacrificio, quod cum sacerdotibus, per quos et cum quibus unitus offert tibi. (37) Ista est lex holocausti et sacrificii pro peccato atque delicto, et pro consecratione et pacificorum victimis, (38) quam constitisti, Deus, Moysi in monte Sinai, quando mandasti filiis Israel, ut offerant oblationes suas tibi in deserto Sinai. Hæc sunt (repeto), quæ figurant et exprimunt virtutem et proprietatem unius ejusdemque usque ad consummationem sæculi permansuri sacrificii, quod tibi offertur in altari Israel spiritualis, de quo altari participare non potuit sacerdotium Aaron.

Nequeo præterire, quin deplorem coram te, Domine, tenebras illorum, qui hanc veritatem figurarum non agnoscentes religionem absque sacrificio subsistere posse credunt, et pro victimis sola corda sua et adorationem intrinsecam statuunt. Sunt hæc quidem victimæ, quas essentialiter requiris; sacrificium enim tibi spiritus contributatus, cor contritum enim et humiliatum, Deus, non despicias,<sup>1</sup> sed hanc victimam

<sup>a</sup> Correxit manifestare ex magnificare?

<sup>b</sup> Correxit actione ex oblatione

<sup>c</sup> Delevit præcitatōs, supplevit supra lineam fermentatos

<sup>1</sup> Cf. Ps. 50,19.

requisivisti etiam a populo Israel carnali. Hoc tamen non obstante instituisti sacrificia et oblationes hostiarum, ut in hac oblatione intrinsecam adorationem figuræ veri sacrificii jungerent, [48:] sed nec cor contritum nec sanguis taurorum et hircorum salvabat illos,<sup>1</sup> et hinc appareat inefficacia legis, quæ salvare nequivit, antequam per Christum impleta fuisset. Quia autem Christus omne iota, omnem apicem legis impedit, essentiale fuit instituere in veritate sacrificium verum et reale, cuius figuræ fuerant quotidiana sacrificia sacerdotii Aaron, quod esset permanens et perpetuum, ut hujus sacrificii hostiæ conjuncta et unita corda adorationisque nostræ homagia efficerentur victimæ dignæ te, Deus.

Hinc sacerdos noster non tantum se cruenter sacrificavit in altari crucis, sed etiam se, ut ita dicam, reliquit realiter et sacramentaliter offerendum, ut in continuata oblatione realis sacrificii corporis sui adoratio nostra haberet sub speciebus visible, in realitate autem corporis invisible fidei objectum, cui juncta corda nostra et vituli labiorum nostrorum<sup>2</sup> evaderent in victimam te, Deo, dignam, in quantum uniuntur cum Deo sacerdote et sacerdotii sui victimam. Hinc est character noster sacerdotalis, in quantum nosmet offerentes sumus sacerdotes propriæ victimæ; hinc character summi sacerdotii Christi, in quantum nos offerentes ipsum, cum ipso et per ipsum offerimus tibi, Pater, per sacerdotes. Spiritus legis veteris requirebat, ut victimas offerentes se unirent victimis ponendo manus super capita illarum, quarum sanguis effundebatur in memoriam effundendi sanguinis, et hæc memoria anticipate operabatur in redemptionem.

Adimpletio legis requirit igitur, ut nos unientes in spiritu victimæ semel pro nobis cruenter oblatæ in memoriam ejus eandem victimam exhibendo offeramus, non jam in redemptionem (quæ semel peracta est), sed in pignus salutis. Sic lex vetus non sublata, sed adimpleta<sup>3</sup> per Christum acquisivit virtutem salvificam in Christo, et quæ *<suō>*<sup>4</sup> in sua imperfectione ducebat ad redemptionem, in sua perfectione ducit ad salutem, quia illam Christus adimplevit et illam adimplendo ipsam legem per gratiam suam in veritate perfecit. Non adimplevisset autem, si figurativis sacrificiis [49:] quotidianis juge sacrificium reale non substituisse, et illud in memoriam cruentis sacrificii offerri non jussisset, a quo (semel cruenter peracto) omnem suam traheret virtutem et efficaciam. Et hodie itaque occidit littera<sup>4</sup> illos, qui illam excluso hoc spiritu interpretantur et Spiritum Christi per Ecclesiæ continuatum usum loquentem non audiunt et non sequuntur. His caro non prodest in manducando, quibus spiritus deest in recolendo sacrificii mysterio.

Indigna est te, Deo cordis contriti et adorationis victima, quæ Christo victimæ sacrificii legis novæ non unitur et cum ipso et per ipsum non offertur tibi. Hanc enim ipse non offert, quia ipsi oblata non est. Sterilis est religio, quæ caret sacrificio. Inane sacrificium, quod victimam et altare non habet. Erroneus sacramenti usus, in quo mandationis, non passionis recolitur memoria, ac si Eucharistia tantum ideo esset gratiarum actio, quod manducatio fuerit instituta, non autem, quia illi annexa est virtus sanctificatoria passionis, in qua consistit spiritus hujus sacramenti

<sup>1</sup> Delevit *suo*

<sup>2</sup> Cf. Hebr. 9,12. 10,4.

<sup>2</sup> Cf. Osee 14,3.

<sup>3</sup> Cf. Matth. 5,17.

<sup>4</sup> Cf. 2 Cor. 3,6.

gratiarum actionis. Quid enim prodesset manducare carnem, si manducando non participaremus et spiritum, et quis manducationis spiritus, nisi communicatio virtutis passionis, cuius memoriam recolentes et pro passionis et pro manducationis seu communionis beneficio dignas et justas referimus gratias. Dignas, quia cum Christo uniti tibi, Pater, gratias agimus. Justas, quia qua creaturæ in unione novæ creaturæ debitum persolvimus. Sed hæc fabularum *<ad><sup>a</sup>* instar audientes blasphemant illi, qui a corpore Ecclesiæ avulsi ab intelligentia veritatis recesserunt, nec de altari legis novæ participant.

Miserere, Domine, et illumina mentes et corda illorum lumine gratiæ tuæ, ut omnes, qui pretioso sanguine Filii tui redempti per baptismatis sacramentum adoptantur in filios, in eodem Spiritu uniti ad eundem sacramentorum usum redeant, et altaris summi sacerdotis nostri efficiantur participes!

[50:] SUPER CAPUT 8., 9., 10.

O Deus summe bonus et misericors, ecce, mutus efficior coram te, nec plus, nec aliud referre possum de consecratione Aaron præter illa, quæ te adjuvante jam in Exodo rettuli, ubi agebatur de hac consecratione ejus, sed et cetera, quæ sacrificium concernunt et *<ad><sup>b</sup>* adorandum sacrificium, quod hodie datum subsistit, respiciunt, te adjuvante dilucidavi. Da, Domine, verba labiis meis, si placitum est tibi, ut enuntiem magnalia tua!

Incipit Aaron functionem sacerdotii sui (cap. 9) per victimam oblatam pro peccato suo, et sic offert alteram pro peccatis populi (15), et hic exprimitur prima obligatio sacerdotis, qui respectu populi legali munere fungitur, mediatorum agit et in hoc charactere Christi, mediatoris nostri figura est. Hic denuo proinde repræsentatur mihi adorandus et admirandus ordo ille sapientiæ suæ, quem in corpore Ecclesiæ suæ instituit; et profecto ex omnibus cæremoniis, quæ in consecratione Aaron figurative institutæ fuerant, præter illa, quæ jam rettuli, agnosco ego eminentem illum sacerdotii characterem et ordinem sacrum, quibus insigniuntur sacerdotes tui, longe excellentiorem esse sacerdotio populi tui, qui, prout jam sæpe rettulisse recordor, in eo consistit, quod unusquisque in individuo se Christo offert, ut per illum offeratur; sacerdos porro totum populum tamquam minister offerens oblationem ineffabilis sacrificii repræsentat, et sic Christum exhibens tibi, Pater æterne, cum ipso et in ipso unitum populum per ipsum offert tibi.

Hinc ut omnes proprietates sacrificii veteris legis in uno sacrificio novæ legis conjungendas fore designetur, ecce, post consecrationem suam Aaron omnis speciei sacrificia uno eodemque tempore obtulit, (22) et sic completis hostiis pro peccato, holocaustis et pacificis (23) apparuit gloria Domini [51:] omni multitudini, ut signis visibilibus confirmaretur fides populi. (24) Et, ecce, egressus ignis a Domino devoravit holocaustum et adipes, qui erant super altare, et hic ignis denuo figura fuit charitatis illius immensa Spiritus Sancti, per quam consumitur sacrificium nostrum.

<sup>a</sup> Delevit *ad*

<sup>b</sup> Delevit *ad*

(cap. 10) Vix sacerdotium institutum, vix Aaron cum filiis suis consecratus est, statim prævaricationem sacerdotum repræsentat Scriptura. Nadab et Abiu, filii Aaron sacrificantes non sumunt ignem de altari in thuribula sua, et ecce, Domine, primam prævaricationem mandatorum tuorum quam tremendo exemplo punis! Ignis furoris justitiæ tuæ exiit et devoravit eos, corpora tamen illorum, sed nec vestes lineæ, quibus induit furent, consumptæ sunt, prout patet (v. 5). Fors igitur devoratio ignis de animabus illorum, mors de corporibus intelligenda est. Devorat enim ignis justitiæ tuæ illos, quos damnat, sed non consumit, quia rodit et conservat in æternum. Hi igitur filii Aaron sacerdotes figuræ esse potuerunt illorum sacerdotum, qui auctores fuerunt hæresum,<sup>a</sup> quæ in societate sua (quia altare abrogarunt) ignem de altari tuo in sacrificiis orationum et cultus, quem instituerunt, non sumpserunt. Multæ enim fuerunt hæreses in Ecclesia, sed non recordor, num aliæ fuerunt præter illas duas postremorum sæculorum, quæ Ecclesiam altare et visible sacrificium habere negassent, aut Eucharistiæ sacramentum in simplici memoria et gratiarum actione manducationis celebrandum esse statuentes ab illius celebratione omnem sacrificii crucis incurvantam continuationem exclusissent. Conforme erat rigori justitiæ tuæ exemplum, quod in Nadab et Abiu demonstrasti. Hinc secundum sermonem tuum et sanctificatus et glorificatus es in eis. Demonstrasti enim, quantam sanctitas tua requirat puritatem et exactitudinem in observantia statutorum tuorum, et in hoc sanctificatus es. [52:] Manifestasti justum rigorem justitiæ tuæ, et in hoc glorificatus es. Unde patet, quod seu justitiam exerceas, seu misericordiam facias, æqualis tibi debeat gloria, et semper eadem sit in te sanctitas, quam nobis in justitiæ et misericordiæ tuæ operibus manifestas.

Ut autem præter hæc, quæ rettuli, ex hoc tremendo exemplo pateat puritas et characteris sacerdotalis super communem condicionem hominis elevatio, (4) vocat Moyses filios patrui, Aaron (qui sacerdotes non fuerant), ut tollerent occisa corpora fratrum suorum, ne vivi filii Aaron (qui consecrati fuerant) illorum tactu foderentur. (6) Sed et Aaron et filiis ejus mandat Moyses, ut omnem humanum (quamvis paternum et fraternum) affectum exuent aut, potius dixerit, supercelentes capita non nudent et vestes non scindant, ne forte moriantur et super omnem cœtum oriatur indignatio. Non inhibetur a luctu cetera cognatio domus Aaron, quæ hic sub nomine fratrum designatur, qui et domus Israel plangere jubetur; sed quia omnis sacerdotum pars et merces tu solus es, Domine, hi uncti tui separati esse debent et nudati ab humanæ naturæ affectibus, quamvis licitis, permissis, quin et usu stabilitis, prout planetus funeris et signa communis tristitia furent denudatio capitis et scissio vestimentorum.

(7) Vos autem, (dicit Moyses ad sacerdotes), non egrediemini fore tabernaculi, alioquin peribitis, oleum quippe sanctæ unctionis est super vos. (8) Primum est hoc mandatum, quod a tempore consecrationis Aaron directe illi dignaris dare, Domine, cum cetera, quæ facere oportuerat, per Moysen mandaveras. Et hic est unus ex effectibus unctionis. Prohibes, ne sacerdotes vinum et omne, quod inebriare potest, bibant, quando introeunt in tabernaculum testimonii, ne moriantur, et hoc præceptum sempiternum esse voluisti in generationibus eorum; (10) et ut habeant scientiam discernendi inter sanctum et profanum, inter pollutum et mundum (11) [53:] doceantque filios Israel omnia legitima, quæ locutus

<sup>a</sup> Sic!

es, Domine, ad eos per manum Moysis. Sed huic discernendi, judicandi et docendi potestati superaddere dignatus es sacerdotibus legis novae solvendi et ligandi facultatem.<sup>1</sup> Utinam hi sacerdotes non inter sublata onera legis reputassent hoc mandatum tuum, quo sacerdotes legis veteris inebriantes potus sumere vatabantur, quando intrabant in tabernaculum testimonii. Quodsi enim erga figuram veritatum, quas nobis manifestasti, tantam sobrietatem exegisti, quid præstari deberet in templis, in quibus Deum in sacramento altaris adesse credimus.

Gemo, Domine, de scandalis, quæ vidi et audivi, quæ sacerdotes tui uncti intemperantia potus committunt in regionibus, in quibus <exul><sup>a</sup> neglecta disciplina ecclesiastica communis rationi et usui vivendi se nimis accommodant sacerdotes tui et hoc tuum temperantiae mandatum (quod in omnes Christianos extendit lex evangelica) nunc, prout dixi, pro sublatis oneribus legis reputant. Iratum fuisse Moysen refert Scriptura (16) contra Eleazar et Ithamar eo, quod hircum pro peccatis oblatum, (quem comedere debuissent) combustum fuisse repperit. Sed haec ira ejus zelus fuit mandatorum tuorum videturque plus desiderasse a prædictis filiis Aaron, quam humana afflictio ex morte filiorum<sup>b</sup> et fratrum causata<m><sup>c</sup> facere permiserat patri et filiis suis. Et ex (v. 17) manifestatur ideo institutum fuisse, ut ex hostia pro peccatis oblata sacerdotes manducarent, ut portarent iniquitatem multitudinis et rogent pro ea in conspectu tuo, et harum victimarum sanguinem vetitum fuerat inferre intra sancta, antequam sanguis pretiosus victimæ, quæ iniquitates nostras assumpsit et portavit, illatus fuisse in sancta sanctorum, quo sacerdos noster, Christus in sanguine suo intravit.<sup>2</sup>

Sed cum hoc peccatum non ignorantiae, non malitiæ, non erroris, sed pure ex afflictione fragilitatis humanæ causatum fuisse comperisset Moyses (19), placatus est et recepit satisfactionem. Non creditit Aaron se [54:] placere posse Domino mente lugubri in cæremoniis, et haec mens lugubris distractiones nostras indicat, cum quibus procul dubio tibi, Domine, placere non possumus in functionibus cultus tui. Quodsi tamen ad illas occasionem non damus, sed sunt effectus fragilitatis nostræ, tu quoque excusare dignaris nos, dum veniam petentes ad te recurrimus et recipis satisfactionem.

Hæc sunt, o Domine, quæ gratia tua adjuvante de sacrificiis rettuli, et te humili me peto, ut sacrificium cordis mei humiliati victimæ nostræ sanctissimæ unitum in odorem suavitatis acceptare digneris. Da ignem charitatis ex altari tuo, ut incensum<sup>d</sup> aspirationem mearum ascendat in conspectum tuum, ut, inquam, possis per meritum infinitum tibi oblati sacrificii recipere satisfactionem pro quotidianis delictis meis et pro peccatis retroactæ vitæ meæ!

<sup>a</sup> Delevit *exul*

<sup>b</sup> Correxit *ex filii*, supplendo *-rum* supra lineam

<sup>c</sup> Delevit *-m*

<sup>d</sup> Correxit *-c- ex -f-?*

<sup>1</sup> Cf. Matth. 16,19.

<sup>2</sup> Cf. Hebr. 9,12.

Tu vides, o Domine, quam impenetrabile sit mysterium, quod meditandum occurrit ignorantiae meæ de lege, quam statuisti de animalibus mundis et immundis, quibus vesci<sup>a</sup> vetitum aut permissum fuerat populo tuo. Scio respectu creationis omnia creata fuisse pura, sed respectu peccati primi hominis, si quidem omnia pro homine creata corruptionem et mortem contraxerunt, secundum hanc quandam impuritatem contrahere potuerunt. Sed si res se ita habet, eo minus capio, cur impuritas ex hac causa considerata universalis non fuerit, sed ad aliqua tantummodo animalia extenderit se. Sunt interpres, qui dicunt te hac lege superstitiones tollere voluisse, quas populus ab Ægyptiis didicit, qui gentium superstitionissimi animalia pro divinitatibus colebant. Sed tenebræ ignorantiae meæ ita representant mihi, quod hæc ipsa animalium in pura et in impura subdivisio aptior fuisset ad nutriendam magis, quam ad tollendam superstitionem, in quantum has diversas considerationes [55:] animalium causare potuit.

Hæreo itaque undique tenebris circumdatus, propterea ad te, lumen animæ meæ, recurro, ut me illuminare digneris. Jam animalia munda tunc distinxeras, Deus, ab immundis, dum ad Noe<sup>b</sup> jusseras ex illis septem, ex his duo in arcam imponi, sed dum egredienti ex arca cum omnibus animantibus benedixeras, dixisti: Omne,<sup>c</sup> quod movetur et vivit, erit vobis in cibum, quasi olera virentia tradidi vobis omnia, et ecce, ex hac consideratione textuum augentur tenebræ ignorantiae meæ<sup>d</sup> Agit proinde hic suprema voluntas tua, cuius rationem non inquirio, sicut egerat in præcepto, quod primo homini dederas, ne ex fructu vetito comedereret, quem de natura sua bonum mandatum tuum quodammodo malum effecerat, prout hic animalia lex reddit impura, ut carnis populi circumscriberetur carnalitas et efficerentur immunda ipsis (8), quæ de natura sua munda fuerant, quia ex eadem ratione, ex qua status legis servitus fuit, hæc et similia onera imposita fuerant illis. Omnia conclusa erant sub peccato,<sup>l</sup> a cuius jugo lex liberare non poterat, sed externas impuritates spirituum impuritatum figuræ (a quibus mundati non fuerant) inducendo occasionaliter fuit causa peccati, et populum ad continuas purificationes adigens libertatis augebat desiderium in cordibus illorum, qui legis sequebantur spiritum plus, quam litteram.

Nequeo, o Deus, profundius intrare in arcana mysteriorum tuorum, quæ in hac divisione animalium celantur, humiliat se igitur ignorantia mea, et ex his quoque, quæ rettuli, laudo et adoro magnalia tua, nam quo plus progredior in meditatione Scripturarum, eo majoribus involvor tenebris. Adjuva igitur me, Domine, si opus meum conforme est gloriæ tuæ et prodest saluti meæ, ut sit tibi gloria ex ignorantia mea, dum in illa apparuerit virtus tua!

<sup>a</sup> Supplevit vesci supra lineam

<sup>b</sup> Ante Noe in margine: *Gen. cap. 7. v. 2.*

<sup>c</sup> Ante Omne in margine: *Gen. c. 9. v. 3.*

<sup>d</sup> *me-* in rasura

<sup>l</sup> Cf. Gal. 3,22.

Prout jam confessus sum, Domine, ignoro, unde provenerit animalium lege vetitorum immunditia. Te tamen adjuvante facilius penetrare videor mihi met ipsi, unde provenerit mysteriosa purificatio, quam mulieribus (1 et 2) suscepto semine lex imposuit. Sub lege enim, quod multiplicabat peccatum, suscepto semine in fetu concipiebant peccatum, et in partu pariebant peccatum, et haec generationis humanae impuritas adhuc subsistit respectu fetus. Lege tamen sancita purificationis necessitas sublata est, quia regeneratio spiritualis in baptismate longe majoris efficaciam est, quam fuerat signum hujus in circumcisione, quae quia feminis non applicabatur, fors propterea duplicabatur tempus purificationis, quod respectu marium ad quadraginta dies, respectu feminarum ad octoginta limitabatur. Sed in hac purificatione lex immunditiam matri imputat, non proli, quae octiduo elapso circumcidit jubetur, non autem sacrificium fieri, ut purificetur.

Balbutio itaque ego ipsem et circumcisa labia mea ne cum possunt distincte eloqui magnalia tua. Videtur tamen mihi, quod hanc impuritatem matrum quoque (cui sub lege subjacebant matres) prævie ipsis matribus jam applicatum sacramentum baptismatis tollat indelebilem imprimens characterem. Sed cur major fuerit earum impuritas ex partu proliis femellæ, quam ex partu proliis masculæ, hoc mysterium enarrare ne cum valeo, nisi forsitan, quia mulier seduxerat virum et propterea generationi sexus ejus major est annexa impuritas. Potest huic subesse et naturalis ratio ex differentia concernenti separationem menstruæ, quam v. l. designat. Occurrit itaque mihi consideratio de mysterio quadragenarii numeri, quæ hactenus in quadraginta annorum peregrinationem Moysis in [57:] terra Madian in bis peracto jejunio quadraginta dierum, antequam legis tabulas receperisset, occurrit, inquam, ruminanda hujus mysteriosi numeri consideratio in quadraginta annorum peregrinatione populi in deserto, et in compluribus aliis mysteriis novi quoque testamenti recurrit in jejunio Christi et in commemoratione ejus super terram post resurrectionem.

Sed in ejus contemplatione deficit debilitas mea, nisi bonitas tua adjuverit illam. O Deus infinitæ misericordiæ, adjuva, quæso, mentem meam, si placitum est tibi, ut enarrem mirabilia tua, de quibus jam quædam attulisse memini; et quæ adhuc occultantur mihi, in propria condicionis meæ ignorantia hærens, ecce, penetrare nequeo. Post quadraginta dierum jejuniū Moyses primas tabulas legis recepit, in quibus Decem Verba scripta fuerant. Hinc si quadragenarius numerus per decem multiplicetur, 400 efficiet, qui per secundum jejuniū tot, quot præcedens dierum (post quos Decem Verba denuo descripta rettulit) fors denuo 400 per decem multiplicandos indicat, ex qua multiplicatione exsurgit 4000 adventum Christi et novæ legis publicationem designans. Et sic 40 anni peregrinationis populi durationem Synagogæ a condito mundo, 40 dies commemorationis Christi post resurrectionem super terram fors totidem 4 millenniariorum Ecclesiæ militantis durationem significant, sed haec contra communem opinionem statuere non præsumo, cum haec tempora abscondita sint in profunditate judiciorum tuorum, quæ ego in humili agnitione ignorantiae meæ adorare malo. Quia autem hanc purificationis legem etiam Sacra Virgo adimplere voluit, taliter, ut dixi, consideratus quadragenarius numerus nativitatis Christi millennium designare potuit.

Sed, o Domine, parce,<sup>1</sup> si a veritate deviant fors ingeniosæ cogitationes meæ,

<sup>1</sup> parce sc. mihi

quam solidæ. Sentio<sup>1</sup> enim hæc non ex sciolitate proferre nec his adhærere tamquam veritatibus ex textibus Scripturæ erutis, ex quibus nihil clarus patet, quam quod occasione partus [58:] holocaustum in agnitionem supremi dominii tui, Deus, offerri debuerit et victima pro peccato matris et prolis. Verum, numquid, Domine, Abrahamum vocaveras tibi ex omnibus gentibus, ut fieret in patrem populi tui? Pepigisti pactum cum illo in circuncisione, cur igitur tunc non instituisti hanc purificationis legem et sacrificia? Cur illi nec Sara nec Rebecca nec Lya nec Rachel subjectæ fuerunt? Vides, Domine, in corde meo, quod cur hoc, quod profero, non est cur curiositatis, sed humilis confidentiæ in bonitate tua fundatæ et propterea confidentiæ in bonitate tua fundatæ, et propterea dignaris revocare mihi in mentem matres illas figuræ fuisse veritatum, quas in Genesi rettuli nec legibus figurativis subjacere debuisse, sed quo clarior subsecuta est divinitatis tuæ manifestatio, eo magis augebatur impuritatis naturæ humanæ indicatio, ut populus jugum peccati agnosceret et ab illo liberari eo ferventius desideraret.

Per hanc purificationis legem indicatur itaque ipsi impuritas seminis, ex quo concipiatur homo, impuritas matrum, a quibus generatur, et necessitas sacrificii, per quod ab his impuritatibus purgandus erat, demonstratur. Primæ igitur septimanæ impuritas juxta dies separationis menstruæ durans prima tempora mundi usque ad vocacionem Abrahami et institutam circumcisionem indicavit, in quibus ne quidem signum illud exterius circumcisionis et electionis in populum habuerat homo. 33 subsequentes dies temporum usque ad adventum Christi impletionem designarunt, quæ subsequetur purificatio totalis, quæ respectu totius generis humani non nisi completis octoginta diebus finem temporum figurantibus perfectionem suam obtinebit. Peccatum enim originale eousque subsistere debere per duplicatum tempus purificationis in partu prolis feminæ designatur (5). Tunc enim subsequetur totius naturæ (per sexum feminineum figuratae) perfecta purificatio, quando separabitur omne purum ab impuro.

Ecce, Domine, legis hujus mysterium, quod quia veritatibus nobis revelatis conforme est, explicationem ejus a te provenire non dubito, et propterea hæc non amplius hæsitans refero. Sit tibi igitur laus et gloria ex illis, quæ tua sunt, in sæcula sæculorum!

#### [59:] SUPER CAPUT 13.

Varia sunt, quæ Scripturarum tuarum, Domine, me sapientiores interpretes de lepra referunt. Alii morbum simpliciter naturalem in Syria ac Palæstina communem fuisse asserunt, et ipsam lepram vestium ac lapidum acredini corruptorum humorum ascribunt. Alii plagam tuam pro castigando populo institutam fuisse statuunt, et hi pro confirmatione opinionis suæ referunt hunc morbum lepræ <Judaicæ<sup>a</sup> gentilibus ignotum fuisse, et profecto hanc et illam opinionem veram esse reperio. Lepra enim ex corruptione lymphæ prognata in varias species distinguitur, et secundum differentes causas corruptionis producitur in homine, et propterea complura nomina obtinet. Sed propterea nihil obstat, quin particularis plaga fuerit pro castigatione populi tui immissa, et propterea longe differens a lepra communiter nota. Primo

Delevit *Judaicæ*

<sup>1</sup> sentio sc. me

canda. Primo effectus lepræ, secundo regulas datas sacerdotibus ad judicandum de lepra et demum tertio in capite sequenti occurrent sacrificia ad purgandam lepram specialiter instituta. (2) Tria indicantur indicia, propter quæ homines adducebantur ad Aaron sacerdotem vel ad unum quemlibet filiorum ejus; et hæc tria indicia consideranda sunt, ita et universalis potestas unicuique sacerdoti data ad judicandum de lepra. Primum indicium in cute et in carne; et per cutem intellectum, per carnem voluntatem figurari credo, in quibus apparere solet diversus color in agendi modo differenti a simplicitate Christiana. Secundum indicium est pustula, quæ elevationem superbiæ designat. Tertium est lucens quidam, quod vanæ gloriæ instinctus repræsentat, et cum hæc apparent, non tantum in cute (seu in suggestionibus intellectus), sed et in carne (seu in voluntate deliberata) debet homo duci a conscientia sua ad sacerdotes, est enim plaga lepræ. (3) Qui cum viderit lepram in cute et pilos in album mutatos colorem ipsamque speciem lepræ humiliorem cute et carne, ad [62:] arbitrium sacerdotis separabitur. Oportet hic reflectere mutationem coloris pilorum naturaliter provenire seu ex defectu circulationis seu ex defectu humorum, humores autem in homine Christiano repræsentare Spiritum tuum, Deus, qui in omnes actiones externas, etiam ordinarias (tamquam pilos) influere debet, et hujus Spiritus tui circulatione per frequentes temptationes spiritus carnis impedita mutatur color actionum, quæ ex irreflexione et inconsideratione fiunt. Et ideo oportet, ut consideretur etiam voluntas, quæ per signum depressionis carnis indicatur, et ex his formandum est judicium sacerdotis, ad cuius arbitrium relinquitur hominem recludere ab occasionibus proximis temptationum et lapsus.

Non credo, Domine, scrupulose nimis et litteraliter considerando textus debere septem dierum tempus statutum applicare veritati, hoc enim tempus præcisum necessarium esse potuit respectu judicii de lepra formandi, in quantum plaga morbi fuit corpori inficta. Hinc pro exacta discretione facienda etiam ex ratione naturali potuisti instituere, Domine, hunc criticum dierum numerum, quem in omnibus morbis corporis exacte solent observare periti medici. Sed dispar est ratio morbi animæ, quæ non immittitur a te (in quantum nullo modo es causa peccati), sed generatur in homine, in quo subsistit semen ejus. (4) Sin autem lucens candor fuerit in cute nec humilior carne reliqua etc., ac si diceret Scriptura, si autem actiones hominis seu modus agendi exterior vanus non procedit ex deliberata voluntate, nec circulatio humorum (seu Spiritus tui, Deus), in tantum defecerit, ut omnes omnino actiones tamquam colorem pilorum mutet, adhuc a præcedentibus jam dictis occasionibus peccati reclusum probabit sacerdos, et si lepra non creverit (5), nec ordinarios imperfectionis et fragilitatis terminos excesserint actiones, nonnisi [63:] reclusione probatum (6) contemplabitur, et si obscurior seu humilior fuerit afflictio peccaminosa seu lepra, nec creverit in cute seu in temptationibus, mundabit eum, quia scabies seu motus humani animales et involuntarii sunt, lavabitque homo vestimenta sua seu exercebit actus externos operum pænitentiæ et mundus erit. (7) Quodsi (postquam a sacerdote visus fuerit et redditus munditiæ) iterum lepra creverit, adducetur denuo ad sacerdotem. Relapsus hic intelliguntur, propter quos reducti a conscientia nostra ad sacerdotes (8) merito immunditiæ condemnamur.

(9. 10) Omnes propemodum versiculi injungunt diligentem investigationem et attentum examen sacerdotibus circa omnes circumstantias, quæ lepræ indicia esse possunt, reclusiones præcipiunt, sed cum color albus in cute fuerit et capillorum

mutaverit aspectum, ipsa quoque caro viva apparuerit (subintelligo) infecta (11), contaminari jubetur homo non amplius recludi, quia perspicua immunditia est et lepra vetustissima judicabitur. Hæc dicuntur de illis, in quibus post mundationem denuo lepra recrudescit, seu qui relabuntur in crimina. Quodsi igitur pravæ consuetudines omnem extrinsecam vitæ rationem immutaverint et ipsa voluntas (per carnem figurata) infecta fuerit, procul dubio peccatum irradicatum esse indicatur, propter quod tamquam immundus contaminari jubetur homo. Sed quid hæc contaminatio et immunditiae denuntiatio, nisi admonitio ad pænitentiam sub pœna censurarum injuncta?

(12) Sed est et alia lepræ species, quæ efflorescens discurrit et operit omnem cutem ac capite usque ad pedes, quidquid sub aspectum oculorum cadit, (13) et hanc considerans sacerdos hominem lepra mundissima teneri judicabit. Et quid per hanc lepram aliud indicatur, quam lepra illa, quam Apostolus nominat peccatum? Non quod per se malum esset, sed quia est fomes, [64:] principium, semen seu causa mali et peccati. Et hæc est concupiscentia, quæ efflorescens discurrit et nos a vertice usque ad plantam albedine cooperit. Albedine dico, quia concupiscentia qua potentia concupiscibilis considerata per se indifferens est, et prout albedo omnis coloris capax est, et ideo per lepram mundissimam repræsentatur, quæ hominem immundum non reddit per se. (14) Quando vero caro viva in eo apparuerit (subintelligo, infecta), (15) caro enim viva, si lepra aspergitur, immunda est, tunc sacerdotis judicio polluetur. Et quid hic clarius designatur, quam voluntatem (quæ carne figuratur) determinare concupiscentiam ad bonum vel ad malum. Sed nec ipsa voluntas per se mala est, quamvis in statu naturæ lapsæ semper inclinet ad malum. Quamdiu enim alborem aut retinet aut in alborem convertitur (seu donec indifferens est), (17) considerans eum sacerdos mundum esse decernit. Sed talis status hominis vix datur perseverans respectu lepræ animæ, nisi in tepidis, qui mala non faciunt, sed quia bona omittunt, nec frigidi nec calidi in periculosissimo statu sunt, ne tandem evoinantur ex ore<sup>1</sup> tuo, Domine. (18) Caro autem et cutis (seu voluntas et intellectus), in qua (quod respicit carnem seu voluntatem) ulcus natum fuerit et sanatum (19) et in loco ulceris cicatrix alba apparuerit sive subrufa, adducetur homo ad sacerdotem.

Hæc verba tua, Domine, concernunt ulcera illa animæ, quæ per pravas passiones habituales generantur et per pænitentiam sanata renovantur. Sunt peccata mortalia, consuetudinalia, quæ in anima vere cicatricem quandam relinquunt, in qua facile et heu, quam facile macula lepræ seu peccati renovatur. Est illa quandoque alba, dum nonnisi per involuntarias temptationes renovatur, sed est subrufa, dum in illis temptationibus delectamur. Hinc in utroque casu salutare est (et vi præcepti hujus necessarium), ut ducamur ad sacerdotis judicium, ut secundum jam supra dictam methodum recipiamus sententiam aut recludamur, [65:] aut mundi aut immundi pronuntiemur. (24) Cicatricem ulceris sequitur cicatrix carne et cute exusta formata, et sanata, si albam aut rufam<sup>a</sup> habuerit cicatricem, (25) considerabit eam sacerdos; et hujus speciei cicatrices credo denotare illa peccata mortalia, quæ non habitualia sunt, sed ex occasione enata per violentam temptationem tamquam combustione ignis commissa cicatricem formant. Postquam enim per pænitentiam combustio sanata est,

<sup>a</sup> Correxii *rufam ex rufum*

<sup>1</sup> Cf. Apoc. 3,16.

temptatio facile novas maculas lepræ inducit in has cicatrices, etiamsi non statim præbeatur consensus et non consummatur peccatum.

Has igitur temptationum, commorationum ac delectationum species judicabit et ab occasionibus recludendo probabit sacerdos juxta regulas jam in primis versibus memoratas et hic (25. 26. 27. 28) denuo repetitas. (29) Oritur lepra et in capillis, barbis tamquam ex humorum abundantia productis superfluitatibus, ex quibus profecto multarum specierum peccata causantur, sed eadem semper datur regula sacerdoti, (30) ut carnem consideret (seu ut sæpe dixi, voluntatem). Et si bene observavi, caro depressa et color pilorum immutatus mutuo adinvicem referebantur, et concurrendo erant signa lepræ. Et profecto etiam in lepra spirituali voluntas depressa seu in serviendo te, Deus, segnis et tepescens mores extrinsecos, rationem vitæ, modum agendi, consuetudines pias mutare solet. Sæpe tamen pro ratione temporis hæc mutari possunt et quandoque mutari debent, voluntas tamen non mutatur. Et propterea lex præcipit, ut et caro et mutatio pilorum consideretur, et si lepra in capite aut barba (id est ex humorum superfluitate vitam sensualem designante) nascitur, pili radendi (seu superfluum et sensuale nutrimentum tollendum est).

Videtur pro universali regula præscribi (38) candorem solummodo in cute apparentem seu lucidum seu obscurum (quodsi carnem non deprimat) pro lepra reputari non debere [66:] (39), quod refertur et confirmat jam relata, temptationes nimirum in intellectu non consentiente voluntate enatas, pro peccatis haberi non debere, nisi consentiente voluntate. (40) Verum ne sacerdotes in judiciis suis errent omnemque mutationem et ipsam defluviem capillorum pro signo lepræ reputent, calvities munda esse declaratur, nisi in illa appareant maculæ, de quibus jam in præcedentibus lex præscripta est. His itaque indiciis lepræ taliter specificatis, quid cum vere leprosis agendum sit, declaratur. (44) Quicumque ergo maculatus fuerit lepra et separatus est ad arbitrium sacerdotis, (45) habebit vestimenta dissuta, caput nudum, os veste contectum,<sup>a</sup> contaminatum ac sordidum se clamabit. Hæc est lex, quam primitiva Ecclesia in rigore litteræ observabat respectu peccatorum, qui ex judicio sacerdotum secundum differentem gradum pænitentium separati fuerant ab usu sacramentorum, (46) et omni tempore, quo leprosi erant et immundi, habitabant extra castra, seu separati erant a communione fidelium.

Hæc sunt itaque, quæ mihi vivaciter repræsentare dignaris, Domine, de lepra animæ in lepra corporali. Sed siquidem est etiam lepra spiritualis, seu peccatum, quod ab externis objectis contrahitur seu, potius dixerim, causatur ex inordinata adhæsione et amore creaturarum, quem lex vetus non tam stricte vetabat ab illis, quorum promissiones constabant ex bonis temporalibus. Ut tamen nobis et hæc species lepræ (populo tuo spirituali longe periculosior futura) repræsentetur, plagam lepræ etiam ad vestimenta seu lanea seu pellicea, quibus populus utebatur, extendis, et propterea credo, quod huic plague lepræ non fuerant obnoxia illa, quæ sub [67:] promissione comprehendebantur, prout sunt fructus terræ. Hi erant enim pars hereditatis Israel, præter hæc autem, quid fuit, in quibus melius repræsentari potuit vetita nobis adhæsio, quam in vestibus et vasis utensilibus, præter quæ nihil possidebat populus in deserto peregrinans. Ideo quam primum possessionem terræ promissæ et

<sup>a</sup> Correxit *contectum ex contextum*

domos inhabitandas adeptus est, plaga lepræ etiam ad illos extensa est, prout in sequenti capite dicetur.

Continuo proinde considerare lepram vestium et domorum tamquam plagam, quam his et illis inflixisti, dum quis nimis adhærebat, delectabatur, et ut ita dicam, luxuriabatur in illis, et sic tunc quoque exigebas, ut in obœdientiam legis se talis homo separat a vestibus et domibus, et quandoque etiam comburat illas, ne lepram ipsam ipsem homo contrahat. Hujus figuræ verum sensum videtur nos docuisse Christus in parabola illa, in qua manus, pedes abscindere, oculos eruere jubet, quodsi nos scandalisaverint.<sup>1</sup> Vestium itaque et domorum lepræ figura fuit illorum, quæ per pedes, manus et per oculos figurata sunt nobis in Evangelio. Et prout in lege lepræ hæc recludi ordinabatur, ut corrigeretur adhæsio, ita et vestes comburi, domus demoliri jubeantur continuante adhæsione, propter quam infligebatur plaga. Faciebat hæc populus ex metu lepræ sensibilis, nos autem præstare debemus ex dilectione justitiae, quæ nobis dictat nulli rei creatæ adhærere, sed solum summum bonum quærere in omnibus, quæ nobis pro usu, sed non pro objecto dilectionis et fruitionis data sunt. Quia autem lepra (quamvis plaga) realis tamen morbus fuit per acredinem et proprietatem corrosivam causatus, ad mundationem plenariam [68:] (58) aqua et lotio etiam naturaliter prodesse potuit.

Jam igitur ex gratia tua relatis illis, quæ ad discernendam lepram et ad regulas proferendo judicio spectant, da, quæso, lumen et auxilium, Domine, ut etiam in sequenti capite contenta intelligere valeam observando veritates, quas mihi hæ figuræ te illustrante repræsentarunt!

#### SUPER CAPUT 14.

Considerationes præcedentes de lepra per naturalem quodammodo sequelam ducent me, Domine, ut purificationem lepræ purificationem pænitentiæ figurasse referam. Quapropter hic mundatio[nem]<sup>a</sup>, de qua agitur, reconciliationem pænitentium concernere dicam. Jam enim in præcedenti capite dictum fuerat leprosum ad arbitrium sacerdotum separandum fore. (2) Dicitur: Quando mundandus est, ducetur ad sacerdotem. Unde colligo hæc referri ad expletum tempus separationis seu pænitentiæ. (3) Qui sacerdos cum lepram mundatam esse invenerit seu pænitentiam injunctam complevisse reppererit, (4) præcipiet ei, qui purificatur, ut offerat duos passeries vivos pro se, quibus licitum est vesci, et lignum cedrinum vermiculumque et hyssopum.

O Domine, profunde latet in his veritas doctrinæ, quam Spiritus tuus Ecclesiam docuit, et te docente pænitentiam pro sacramento habet per signa visibilia conferentem invisibilem gratiam remissionis peccatorum et per consequens mundationem a lepra spirituali. Et hujus doctrinæ veritati, ecce, quam stupendo modo correspondent figuræ. Judicavit sacerdos Judaicus de lepra, et ad arbitrium separavit leprosum, qui secundum præcedentis capititis (45)<sup>b</sup> oportuit, ut haberet vestimenta dissuta, caput

<sup>a</sup> Corrixi mundationem ex mundatio (cf. Ms. fr.: la purification dont il s'agit concerne la reconciliation des penitentes)

<sup>b</sup> (45) sc. versum

<sup>1</sup> Cf. Matth. 5.29 sqq.

nudum, os veste coniectum, et ex his agnosco [69:] vestimenta dissuta respectu pænitentiæ intrinsecæ contribulationem, caput nudum humilitatem, os veste coniectum silentium et solitudinem internam denotasse, sed præter hæc oportebat, ut se contaminatum ac sordidum clamet, seu ut peccatum agnoscat, et his tempore, quo separatus fuerat, peractis mundabatur a lepra. Oportebat tamen, ut ducatur ad sacerdotem. Et quid hæc clarius figurant, quam omnino intrinsecam pænitentiam et contritionem sanare quidem nos, requiri tamen, ut hac intrinseca mundatione non obstante is, qui purificatur, ad<sup>a</sup> sacramentum accedat, et quæ sacerdos in reconciliatio ne præcipit, faciat.

Injungit proinde sacerdos in figura pro purificando offerre passeris, volucres, quæ ad sacrificia non applicabantur, sed nec in loco, nec in altari consueto fiebat hæc passerum per purgandum, non autem per sacerdotem præcepta immolatio. Et ideo nequit dici sacrificium, sed figura illorum, quæ ad completam pænitentiam requiruntur. Unde salvo sensu et interpretatione aliorum dicam duos passeris designasse spiritum veteris et novi hominis, quos pænitens affert, illum, ut immoletur et occidatur, hunc ut vivat et dimissus ac e servitute peccati eliberatus avolet ad te, Deus. Lignum cedrinum ex natura sua putredini subjectum non est, hinc firmum propositum perseverantiæ in bono designat. Coccus per colorem suum igneum et immutabilem charitatis fervorem et constantiam demonstrat, hyssopus per proprietatem balsamicam et amaricantem salutarem pænitentiæ dolorem figurat. (5) Passer unus in vase fictili (corporis scilicet) super aquas vivas (lacrimarum) immolatur, et in hujus sanguinem intingitur passer vivus, lignum cedrinum, coccus et hyssopus. [70:] Ut spiritum novi hominis, charitatem et dolorem ab effuso per Christum veteris naturæ humanæ sanguine virtutem suam participaturum<sup>b</sup> monstretur, (7) sanguine septies aspergitur mundandus et per numerum septenarium perfectum (quia tu, Deus, tot dierum spatio universum laborem creationis perfecisti) perfecta recreatio et regeneratio designatur, et sic dimittitur passer vivus (spiritum novi hominis repræsentans), ut avolet in agrum Ecclesiæ et per dimissionem vinculorum peccati solutionem seu absolutionem figurat, quæ in virtute meritorum effusi sanguinis veteris naturæ in Christo operatur.

(8) Possem lotionem vestimentorum et mandatum de radendis omnibus pilis corporis ad sensum spirituale extendere, sed hanc primam lotionem credo directius referri ad ipsam naturam lepræ et ideo requisitam fuisse, ut exhalationes corrosivæ (si quæ in vestibus remanere potuissent) lotione tollantur, et quia pili quoque circa (ut medici vocant) emunctoria universalia corporis crescere solent, capilli quoque ex poris dilatatis crescunt, ideo radendi fuerant, ut omnis immundicie tollatur apprehensio et perfectæ puritatis repræsentetur mundatio. Et sic inducebatur homo in castra. Sic reducitur peccator ad societatem fidelium, sed necdum permissum erat mundo ingredi ad tabernaculum suum. Sed quid hoc tabernaculum, nisi locus, in quo fidelis semper manere debet in Ecclesia; nisi, inquam, communio sanctorum et participatio sacramentorum. Ut igitur ad hanc admittatur, septem diebus probatur, ut ab omni suspicione pullulantis lepræ immunis appareat, et die septimo (9) nova lotio, nova capillorum et pilorum rasura injungitur, et hæc mysteriosa esse credo, ut

<sup>a</sup> Supplevit ad supra lineam

<sup>b</sup> Rectius: *participaturos* (cf. Ms. fr.: pour démontrer que l'esprit du nouvel homme, la charité et la douleur tirent leur vertu du sang de la veille nature humaine)

demonstretur puritas, in qua [71:] sanctuarium tuum introire et ad participationem altaris tui accedere debemus. Prout enim homo septem diebus vivere nequit, quin pili et capilli ejus crescant, ita nec momento quodammodo subsistere possumus, quin fragilitatis nostræ condicione impuritates contrahamus. Sed ad has lavandas et ad has excrescentias carnis nostræ radendas nec figura demonstrat, nec veritas requirit personam sacerdotis, sed reiterata doloris lotio et in hoc spiritu facta aquæ benedictæ aspersio sufficit.

(10. 11) Sic oportuit præparari, ut a lepra mundatus introducatur in ostium tabernaculi tui cum muneribus, ut sacrificii tui fieret particeps assumens duos agnos, ovem, similam et oleum (12. et reliqui usque ad 32). Agnus unus offertur pro delictis (procul dubio postremorum septem dierum), agnus pro peccato, et oleo unguntur auriculæ, digiti, pedes et caput, ut effectus pænitentiæ designentur, per quam homo restituitur gratiæ, et spiritualis unctionis<sup>a</sup> ad audiendum verbum tuum efficaciter, ad offerendum sacrificium, ad ambulandum in mandatis tuis et ad humiliandum submittendumque caput jugo Salvatoris nostri. His peractis offerebatur holocaustum denotans sic nos effici capaces, ut fiamus victimæ gratiæ tibi, Domine, dum nos offerimus tibi et resignamus nos integre sacrosanctæ voluntati tuæ supremum jus et dominium tuum super nos agnoscentes. Non differt sacrificium pauperum ab hoc sacrificio divitum, nisi in qualitate oblatorum, ut etiam hinc agnoscamus plus te exigere ab illo, cui seu temporaliter seu spiritualiter plus largiri<s><sup>b</sup> dignaris. Effectus tamen sacrificii unus idemque est respectu pauperis et respectu divitis, quos æqualium gratiarum reddis participes per pænitentiam in æquali dispositione peractam.

Dixi, Domine, in præcedenti capite lepram [72:] domorum figurasse seu potius repræsentasse illicitam adhæsionem ad bona temporalia et terrestria, sed quia (49) ad purificationem domorum easdem oblationes passerum et pares cærenonias præcipis, quas jam te adjuvante rettuli, ecce, obmutescit ignorantia mea in conspectu profunditatis mysteriorum tuorum. Scio, Domine, domum tuam ex vivis lapidibus<sup>1</sup> construi, et in hoc sensu posset lepra hominum et domorum ad easdem veritates referri, sed præterire crederem per domos in terra Chanaan acquirendas designatam veritatem, si hac explicatione contentarer. Sentio quippe odorem mysterii, sed unde exhalet odor, adhuc ignoro. Non permitte<sup>c</sup> me, quæso, deficere in via, quam hactenus illuminasti ut ambularem in illa! Clara reddidisti enim mihi illa, quæ rettuli, sed ecce, cado in tenebrosam abyssum hujus figuræ, et non est amplius vox in ore meo. Deest lumen in intellectu, et ecce, nè cadam, subsisto.

Quodsi munera et immolationem passerum a domino domus lepra infectæ exegisses, clara mihi apparuissent omnia. Dixisse enim propter nimiam et illicitam adhæsionem complacentiamque in domo possessorem puniri potuisse per dominum lepræ plaga percussam, idcirco mundationis cærenonias possessorem dominus magis pro se purificando, quam pro domo mundanda peragere debuisse, sed haec nequeo taliter referre, quia ipsummet sacerdotem jubes sumere passerem, coccum et hyssopum, et omnia eo ritu peragere, quo pro mundatione sua leprosum agere debuisse observavi. Dicamne purificationem peccati hujus speciei adhæsionis populo ignoti

<sup>a</sup> effectus... spiritualis unctionis? (cf. Ms. fr.: par laquelle l'homme est rétabli dans la grace et dans l'onction spirituelle pour entendre...)

<sup>b</sup> Delevit -s

<sup>c</sup> Sic!

<sup>1</sup> Cf. I Petr. 2,5.

[73:] per sacerdotem peragi debuisse, et quodammodo repræsentari, siquidem illius peccati (lege necdum vetiti) reus nemo fuit? Hinc in repræsentatione futuri peccati et futuræ expiationis omnia sacerdos peregit. Quia autem inordinata adhæsio et delectatio in bonis terrestribus nobis (qui Deum super omnia diligere et illi soli adhærere debemus) vetita est, jure merito eidem expiationis ritui subjecta est in figura objectum adhæsionis, cui subjacebat mundatio lepræ corporis? Verabat lex populo carnali concupiscere, quod fuit proximi, sed hereditariæ possessionis suæ seu domini seu agro seu vineæ et similibus adhærere non littera, sed spiritus legis (quem paucitas electorum habebat) prohibuit; et propterea quando secundum severitatem justitiae tuæ, Deus, punire voluisti prævaricationem populi, devastatione terrestrium hereditatum captivitate et translatione in terram alienam afflixisti illum; et sic populus suspiriis suis pro reditu suo in terram suam elicitis figurabat suspiria et gemitus, quos populus tuus spiritualis pro possessione terræ viventium et pro hereditate sua æterna facere debet.

Subsistit itaque in veritate (et heu, quam communis est hæc lepra domorum hodie quoque), sed non amplius lapides et parietes, non vestes inficit, sed corda nostra. Omnis enim vanitas et superbia in vestitu, prodigalitas in ædificiis exstruendis et per hæc vanæ gloriae nominisque immortalis quæstus, denique omnis adhæsio inordinata ad bona terrestria lepra est lucentes maculas, pustulas (56), erumpentes papulas et varias species impuritatum mutatis coloribus adhæsionis producens, et has [74:] purgandi occasionem dat tua misericordia, Domine, per incendia, per devastaciones bonorum nostrorum terrestrium, per usurpationes illorum, per expulsiones et exsilia nostra. Sed non mundamur ab illis impuritatibus, nisi per pænitentiam,<sup>a</sup> quam (prout jam rettuli) repræsentare dignatus es per cæremonias, quas pro purificatione domorum exegisti. Non quarar igitur aliam explicationem hujus legis lepræ præter hanc, quam mihi reddere dignatus es et simplicem et sensibilem.

Absconderas hujus legis intelligentiam heri a me, et hodie coruscare faciens fulgor luminis tui penetravit velum et, ecce, video per gratiam tuam, ut te plus diligam, et plus noscam ex imbecillitate mea, quid debeam tibi. Consolatur me misericordia tua, confortat fiducia, et ideo in tranquillo dolore respicio tot quandam et tam differentis speciei maculas, pustulas, cicatrices et erumpentes papulas lepræ cordis mei, et ecce, per totum corpus diffusa lepra concupiscentiæ in carne mea reddit me unicorem et candidum, non quia innocentem, sed quia omnium sordium, macularum, spurcitiarum et contaminationum, heu, quam susceptibilem! Lepra hæc munda est, quia si hanc concupisibilem potentiam ad te solum dirigere possem, esset in me albor innocentiae et indumentum meum stola candida esset. Sed corpus, vestis et domus animæ meæ quoque tot signis lepræ infecta est. Tu, Domine, hanc domum sæpe radere dignatus es per dolores corporis et per afflictiones ex privatione illorum enatas, in quibus delectabar. [75:] Eruisti lapides passionum, ex quibus constructa fuerat domus armati illius, cuius locum fortis armatus, Salvator neimpe meus accipere dignatus est. Sed tamen signa lepræ manent in hac domo animæ meæ et apparet, donec hæc domus corporis subsistet. Destruere igitur illam, dum tibi placuerit, et projice pulveres ejus in locum immundum viscerum terræ, – lubens consentio –, ut evolet anima mea sicut passer vivus in agrum terræ viventium!

<sup>a</sup> Correxit -ten- ex -tm-

Brevi post peccatum primi hominis corruperat omnis caro viam suam, et hæc carnalitas provocaverat justitiam tuam ad delendum totum genus humanum conservata in arca justorum paucitate, ut illorum semen propagaretur et repleret terram; sed quia homo caro esse non desiit, quo plus multiplicabatur, augebatur carnalitas, quia per peccatum dominium obtinuit super spiritum. Sensualitas itaque regnabat in homine, sed inter omnes sensualitates (ipsa organizatione corporis humani ita ferente) prædominabatur illa species sensualitatis, quæ animalitatem ad multiplicationem suæ speciei incitat et delectat, nam ipse finis, propter quem hominem creaveras, Deus, ut laboraret terram paradisi voluptatis, ipsa benedictio tua prima super omnes creaturas animatas: Crescite et multiplicamini,<sup>1</sup> hunc ordinem requisivit, ut modus multiplicandi esset delectabilis et ideo appetibilis. Quæ quia ita irradicata sunt in machina et in natura hominis, ideo nemo [76:] continens esse potest sine gratia tua.

Inceperas, Domine, manifestare misericordia consilia tua de reducendo homine ad finem creationis suæ, glorificationem nempe illi destinatam et de reparanda natura ejus, ut posset spiritus reacquirere dominium super carnem in populo Israel. Ecce, inter omnes sensualitates sensibiliissimas<sup>a</sup> maximas et plurimas impuritates lege annexis. De semine humano loquor, quod propagat massam illam corruptam, quæ quamvis infinito pretio redempta sit, justæ condemnationis suæ nascens secum fert sententiam. Lex igitur ista omnes impuritates a profluvio involuntario seminis humani contractas solummodo declarans perfectionem suam per illam legem obtinuit, quæ non tantum fornicationes et adulteria, sed et aspectum ad concupiscendum mulierem vetat, et nos castrare propter regnum cœlorum suadet.<sup>2</sup> Credo igitur, Domine, omnes has differentes species impuritatis extrinsecæ, quas hæc lex tua recentet, repræsentare species impuritatis internæ, quæ a semine humano trahunt originem, in quantum illud spiritus animales commovet, qui per phantasiam ad intellectum, ex intellectu ad voluntatem tam differentium impuritatum internarum transfrunt species, ut ex illis temptationes, commorationes, delectationes et tandem et, heu, quam sæpe deliberati consensus et actus nefarii producantur. Hinc nulla major puritas in corpore, quam castitas, quæ omnes naturæ et organizationis vires superat, nec gloriösius triumphat spiritus de carne, quam per hanc humanam naturam angelicas et spirituali naturæ quodammodo similem reddentem [77:] virtutem. Lex proinde, quæ nobis perfectionem legis vèteris manifestans internam puritatem docuit, externas puritates (quæ ducere debuerant ad cognitionem harum) tamquam cortices respicit, quia hæc externæ puritates corpus tamquam corticem spiritus nostri concernunt.

Hæc igitur, quæ in hoc capite continentur, erant impuritates illorum, qui ex sanguibus, ex voluntate carnis, ex voluntate viri nascebantur<sup>3</sup> sed qui ex te nascuntur, Deus, nascuntur ex Spiritu,<sup>4</sup> quia tu spiritus es. Et qui nascuntur ex Spiritu, vivunt in Spiritu, quæ Spiritus sunt, quærentes, quæ autem carnis sunt, mortificantes et con-

<sup>a</sup> Correxii -as ex -a

<sup>1</sup> Crescite...: Gen. 1,22.

<sup>2</sup> Cf. Matth. 19,12.

<sup>3</sup> Cf. Ioan. 1,13.

<sup>4</sup> Cf. Ioan. 3,6.

Brevi post peccatum primi hominis corruperat omnis caro viam suam, et hæc carnalitas provocaverat justitiam tuam ad delendum totum genus humanum conservata in arca justorum paucitate, ut illorum semen propagaretur et repleret terram; sed quia homo caro esse non desiit, quo plus multiplicabatur, augebatur carnalitas, quia per peccatum dominium obtinuit super spiritum. Sensualitas itaque regnabat in homine, sed inter omnes sensualitates (ipsa organizatione corporis humani ita ferente) prædominabatur illa species sensualitatis, quæ animalitatem ad multiplicationem suæ speciei incitat et delectat, nam ipse finis, propter quem hominem creveras, Deus, ut laboraret terram paradisi voluptatis, ipsa benedictio tua prima super omnes creature animatas: Crescite et multiplicamini,<sup>1</sup> hunc ordinem requisivit, ut modus multiplicandi esset delectabilis et ideo appetibilis. Quæ quia ita irradicata sunt in machina et in natura hominis, ideo nemo [76:] continens esse potest sine gratia tua.

Inceperas, Domine, manifestare misericordia consilia tua de reducendo homine ad finem creationis suæ, glorificationem nempe illi destinatam et de reparanda natura ejus, ut posset spiritus reacquirere dominium super carnem in populo Israel. Ecce, inter omnes sensualitates sensibilissimas<sup>a</sup> maximas et plurimas impuritates lege annectis. De semine humano loquor, quod propagat massam illam corruptam, quæ quamvis infinito pretio redempta sit, justæ condemnationis suæ nascens secum fert sententiam. Lex igitur ista omnes impuritates a profluvio involuntario semenis humani contractas solummodo declarans perfectionem suam per illam legem obtinuit, quæ non tantum fornicationes et adulteria, sed et aspectum ad concupiscendum mulierem vetat, et nos castrare propter regnum cœlorum suadet.<sup>2</sup> Credo igitur, Domine, omnes has differentes species impuritatis extrinsecæ, quas hæc lex tua recentet, repræsentare species impuritatis internæ, quæ a semine humano trahunt originem, in quantum illud spiritus animales commovet, qui per phantasiam ad intellectum, ex intellectu ad voluntatem tam differentium impuritatum internarum transfrunt species, ut ex illis temptationes, commorationes, delectationes et tandem et, heu, quam sæpe deliberati consensus et actus nefarii producantur. Hinc nulla major puritas in corpore, quam castitas, quæ omnes naturæ et organizationis vires superat, nec gloriósius triumphat spiritus de carne, quam per hanc humanam naturam angelicas et spirituali naturæ quodammodo similem reddentem [77:] virtutem. Lex proinde, quæ nobis perfectionem legis veteris manifestans internam puritatem docuit, externas puritates (quæ ducere debuerant ad cognitionem harum) tamquam cortices respicit, quia hæ externæ puritates corpus tamquam corticem spiritus nostri concernunt.

Hæ igitur, quæ in hoc capite continentur, erant impuritates illorum, qui ex sanguibus, ex voluntate carnis, ex voluntate viri nascebantur<sup>3</sup> sed qui ex te nascuntur, Deus, nascuntur ex Spiritu,<sup>4</sup> quia tu spiritus es. Et qui nascuntur ex Spiritu, vivunt in Spiritu, quæ Spiritus sunt, quærentes, quæ autem carnis sunt, mortificantes et con-

<sup>a</sup> Corrèxi -as ex -a

<sup>1</sup> Crescite...: Gen. 1,22.

<sup>2</sup> Cf. Matth. 19,12.

<sup>3</sup> Cf. Ioan. 1,13.

<sup>4</sup> Cf. Ioan. 3,6.

temnentes. Gemam igitur, non contemplabor de impuritatibus carnalis sensualitatis meæ tamquam de oneroso jugo, quod me tot annis vitæ meæ tenuit sub servitute peccati, carnis et Diaboli. Et adhuc me tenet in statu oppositionis tibi, quia in illis residet lex carnis, quæ me toties agere facit, quæ nolo, nec facere permittit, quæ vellem.

Miserere, Domine, de præteritis, adjuva in præsentibus, præserva a futuris, donec me tantis miseriis condicionis meæ circumdatum et afflictum esse permiseris. Da<sup>a</sup> diligere, quod jubes et vis, ut odio habeam, quæ caro jubet et vult!

#### SUPER CAPUT 16.

O Deus, qui mihi indigno gratiam largiris et nutrimentum animæ meæ in contemplandis mysteriis Scripturarum tuarum porrigit, jam quidem per doctrinam Apostoli revelasti mysterium, [78:] quod mihi contemplandum occurrit, sed quia multas particularitates ad dilucidandam veritatem proficuas procul dubio ideo reliquit Apostolus in suis obscuritatibus, ut fidei quærantium nutrimento deserviant, propterea audeo ruminare illas, et a bonitate tua lumen petere, ut lumine per Apostolum nobis dato illustratus progrediar in viis tenebrosis, per quas mihi adhuc ambulandum est, et sic perveniam eo, quo me tendere facis.

Ipsa Scriptura indicat (1) caput hoc translatum esse, et quæ continet, te, Domine, mandasse occasione mortis filiorum Aaron, qui propter ignem profanum in thuribula sua assumptum occisi fuerant. Dicamne proinde hanc transpositionem casu vel per oblivionem factam fuisse? Absit hoc ab ore meo; dignaris enim manifestare mihi ipsum ordinem relationis mirabilium tuorum requisivisse, ut prius referrentur impuritates lepræ et impuritates legales, antequam præscriberetur modus purificandi sanctuarium et sacrificandi pro peccatis communibus totius populi. (2) Quodsi docente Apostolo non cognovissem semel tantum in anno ingressum fuisse summum sacerdotem in sancta sanctorum,<sup>1</sup> littera hujus versus absque combinatione postremorum versuum hujus capitii innuisset mihi præmissis sacrificiis, quæ exigis, omni tempore ingredi potuisse summum sacerdotem in sancta sanctorum, sed gratia tua adjutus video per revolutionem annualem figurari totius temporis curriculum usque ad ingressum summi sacerdotis nostri secundum ordinem Melchisedech<sup>2</sup> in sancta sanctorum, in quod in sanguine suo semel ingressus est.<sup>3</sup>

In nube apparuisti, [79:] Deus, super oraculo, ad quod sacerdos legis non nisi statuto tempore accedere poterat. Sed in luce majestatis tuæ appares in sanctuario, in quod sacerdos noster ingressus est, sed ipsa obscura quoque apparitio tua in nube purificationem, quamvis obscuram, juste exigebat. Ex hostia proinde distincta hircorum, quam pro peccatis populi offerri jussisti, agnosco (3) vitulum pro peccatis summi sacerdotis et arietem in holocaustum ipsius particulariter offerri debuisse. Unde agnosco, quod quamvis Salvator noster nullius peccati reus fuerit, effusio tamen sanguinis ejus et purificationi veteris naturæ et corporis peccati, quod assu-

<sup>a</sup> da sc. mihi (cf. Ms. fr.: *donnez moy*)

<sup>1</sup> Cf. Hebr. 9,25.

<sup>2</sup> Cf. Ps. 109,5 sim.

<sup>3</sup> Cf. Hebr. 9,7.

mere dignatus fuit, profuerit respectu glorificationis mortalitatis suæ (4). Vestes proinde lineæ (quæ particulariter ad hunc ingressum in sancta sanctorum requirebantur), per uniformem candorem figurant innocentiam et puritatem naturæ humanae, quam novus Adam induit, antequam sancta sanctorum (postquam in sanguine suo lotus fuisset) ingressus est.<sup>1</sup> (5) Suscepit summus sacerdos duos hircos ab universa multitudine filiorum Israel et unum aritatem pro holocausto, et hæc animalia (hirci nimirum) ex natura sua fœtida singulariter carnales impuritates repræsentantia figurant naturam humanam veterem, quæ offerenda erat in sacrificium. Hircus occisus videtur mihi figurasse electos Synagogæ, qui per effusum sanguinem introducti sunt in sancta sanctorum, prout sanguinem hirci occisi in sanctuarium inferre infra jubetur summus sacerdos. Hircus autem vivus [80:] repræsentat gentem Judæorum dispersam et adhuc hodie in vera solitudine oberrantem.

(6) Oblato igitur imprimis vitulo pro se orare jubetur summus sacerdos pro se et pro domo sua, et hic figuratur oblatio Christi, per quam veniens in mundum se tibi, Patri æterno primum obtulit, et in horto ante passionem suam se voluntati tuæ resurgans hanc oblationem renovavit, et demum ante cenam pro electis suis (domo nempe sua) oravit, non pro mundo, prout ipsem dicit,<sup>2</sup> quem etiam designare potest hircus emissarius in extenso sensu consideratus. (7) Tunc fecit coram te, Deus, stare duos hircos sacerdos (8) mittensque super utrumque sortem unum pro Domino et alterum capro emissario, (9) cuius exierit sors a Domino, offeret illum pro peccato, et hanc sortis projectionem figura requisivit, ut demonstraretur sorte æterna decretorum tuorum decidi, cui<sup>a</sup> exit sors a Domino inter populum seu Israel seu totum genus humanum, ut sit aut pro Domino aut pro capro emissario in hac solitudine mundi oberrante. Obtulit itaque Christus tibi, Deus, imprimis se domumque Israel, ad quam missus fuerat,<sup>3</sup> et totum genus humanum. Satisfecit pro omnibus, sed sors decretorum tuorum separavit illos, quibus sanguis ejus profuit, et introducti sunt cum illo in sancta sanctorum, seu ex antecedenti seu ex subsequenti virtute effusionis illius, ab illis, qui seu ex Israel (per dispersionem gentis) seu ex genere humano rejiciendi a facie tua mittendi erant in desertum vitæ mundanæ, quamvis (10) etiam pro his sanguinem suum fundendo fuderit preces super ipsos. [81:] (11) His rite celebratis et immolato, prout jam supra dictum est, vitulo (12) assumptoque thuribulo, quod de prunis charitatis altaris divinitatis suæ implevit, omnes enim actiones Christi in terris velut thuribula fuerunt, per quæ incensum tibi, Pater æterne, obtulit, sed præcipue, dum intrans semel ultra velum passibilitatis humanitatis suæ in sancta captivam dicens capititatem<sup>4</sup> omnium justorum animas (quæ ab origine mundi usque ad satisfactionem, quam præsttit, captivæ fuerant peccati, sub quo omnia conclusa fuisse Scriptura dicit), tamquam compositum thyrima assumpsit in incensum gratum tibi, Deus, (13. 14. 15) intravit summus sacerdos sancta in sanguine vituli et hirci,<sup>5</sup> ut efficacia sanguinis pontificis nostri in Israel per vitulum repræsentata etiam in gentiles (per hircum figuratos) operatura designatur.

<sup>a</sup> Corrèxit *cui ex qui*

<sup>1</sup> Cf. Hebr. 9,12.

<sup>2</sup> Cf. Ioan. 17,9.

<sup>3</sup> Cf. Matth. 15,24.

<sup>4</sup> Cf. Eph. 4,8.

<sup>5</sup> Cf. Hebr. 9,12.

(16) Sic expiatum est sanctuarium ab immunditiis filiorum Israel, et a prævaricationibus eorum cunctisque peccatis, et hæc verba referuntur ad peccata totius mundi. Sed prout hæc de sanctuario figuraliter dicuntur (cum in sanctuario reales sordes non fuerint) et de sanctuario vero cæli figuraliter intelligi debent, in quo nullæ sordes repertæ sunt, sed in quantum peccatum portas cæli clauerat, in tantum potest sensus hujus purgationis extendi. Juxta hunc ritum faciet et tabernaculo testimonii, quod fixum est inter eos inter medium sordium habitationis eorum.

Sed, o Domine, numquid locus sancta sanctorum appellatus contiguus fuit tabernaculo testimonii? Cur ergo hoc et non etiam alterum in medio sordium habitationis [82:] eorum (id est filiorum Israel) fixum esse dicitur? Procul dubio per hanc distinctionem representetur differentia sanctuarii Ecclesiæ triumphantis a tabernaculo testimonii Ecclesiæ militantis, quod fixum est in medio habitationis nostræ, quod Christus ab omnibus sordibus legalium impuritatum mundavit. (17) Nullus hominum fuerat in tabernaculo, dum sanctuarium ingressus est pontifex noster, ille enim primus fuit ex resurrectione, qui illud (prout sæpe dixi) in sanguine suo ingressus est. (18) Exivit quodammodo sacramentaliter Christus ex sanctuario ad altare visibile Ecclesiæ, quod coram Domino est, ut unitus cum illis, pro quibus sanguinem suum fudit, jam semel oblatum sanguinem offerat nobiscum interpelletque pro nobis, (19) et hoc novo sacrificio instituto (seu ut aptius dicam, in locum legalium sacrificiorum tamquam veritate substituto)<sup>a</sup> emundavit et sanctificavit altare nostrum ab immunditiis victimarum cruentarum filiorum Israel.

(20) Et vere postquam (prout dixi) emundavit sanctuarium, tabernaculum et altare, offert hircum vivente, omnem scilicet hominum multitudinem in deserto mundi a cœtu fidelium separatam et oberrantem in cæcitatem sua. Etiam sic repræsentantur mihi hæc in veritate per gratiam tuam, Domine, sed adhuc particularius reperio figurari per hircum emissarium gentem Judæam post excidium Jerusalem dispersam, quæ postquam innocentem sanguinem Christi super se et super filios suos provocasset, imposuit capiti ejus manus justitiæ suæ pontifex noster, omnem iniquitatem sanguinis effusi a justo [83:] Abel et omne delictum domus Israel imprecatus est capitibus eorum (21) emisitque illos per hominem paratum in desertum, et hic homo figuravit Romanos executores sententiæ justitiæ tuæ, (26) qui dum in Ecclesiam vocati fuissent, laverunt se per baptismum et sic sunt ingressi castra fidelium.

Observaveram, Domine, in sacrificiis pro peccato sacerdotes manducare debuisse ex hostia, ut portarent iniquitatem multitudinis, et propterea fuisse iratum Moysen Eliezero,<sup>b</sup> quod hircum pro peccato oblatum combusserint, nec de illo comedenter sacerdotes. Sed in hoc sacrificio expiationis tabernaculi universam hostiam tam vituli, quam et hirci pro peccatis oblati, quarum sanguis illatus est in sanctuarium (27), ut expiatio completeretur, asportari jubes foras castra et comburi igni tam pelles, quam carnes et fimum. Et profecto hac (per gratiam tuam facta) observatione confirmatur, quod rettuli, cetera sacrificia pro peccatis virtutem sacrificii designasse et ideo debuisse comedere sacerdotes ex hostia, ut (sicut Scriptura dicit) portent iniquitatem multitudinis in hoc Christum summum sacerdotem figurando; hoc autem sacrificium expiationis ipsum sacrificium figurasse, quod extra castra debuit consummari, ut expiatio completeretur. Et quid nec sacerdotium Aaron nec Synogoga ex illo parti-

<sup>a</sup> Supplevi signum )

<sup>b</sup> Ante Eliezero in margine: Cap. 10. v. 16. 17.

cipatura erat, ideo hostiæ figurantes igne consumptæ sunt, (28)<sup>a</sup> et homo, qui combussit illas (hic denuo gentiles Christum crucifigentes designans), et vestes et carnem lavare debuit, ut castra (prout dixi) Ecclesiae ingrederetur.

(29) Hujus ingressus pontificis [84:] nostri in sancta sanctorum diem celebrat Ecclesia in die ascensionis Christi, capit is sui, qui per peccatum clausas januas cœli reserans et corpus peccati purificatum et glorificatum in sancta inferens illud tamquam sanctuarium divinitatis in illo realiter habitantis mundavit et expurgavit, quia in cœlum assumens complete glorificavit. Merito in luctu et afflictione animarum celebravit festum suum populus, ut per luctum ejus jam tunc designaretur Israel carnale[m]<sup>b</sup> figuratarum veritatum non futurum participem; sed in omni spirituali lætitia celebrat hoc festum Ecclesia, trimpho et glorioso ingressui capit is ac sponsi sui in sancta sanctorum congaudens ac conjubilans. Sic completa est semel expiatio corporis peccati in Christo. Sic sacerdos Deus mundavit, purgavit hoc templum humanitatis et sancta sanctorum. Quidquid enim rettuli, etiam ad hunc sensum referri potest referendo characterem sacerdotii ad divinam naturam, quæ naturam humana in corpore Christi purgavit mundavitque, et in hoc sensu hircus occisus hoc corpus peccati figurare potuit. Omnes enim hæ differentes explicationes eidem veritati correspondent et idem mysterium revelant etiam in hoc mysterioso expiationis sacrificio completam esse legem demonstrantes.

Nec aliud restat igitur, Domine, nisi ut tibi, o fons bonitatis et intelligentiæ, omnis veritatis largitor, Deus, gratias referam pro donis tuis! His adjuvantibus agnovi, quomodo tabernaculum veteris testamenti purgabatur et quomodo veritatem hujus [85:] figuræ exoperatus es, Salvator meus. Sed dum me ad tabernaculum miseræ animæ meæ reflecto, ecce, quot sordibus, delictis et peccatis conspurcatum et coinquinatum reperio illud, in quo tamen hunc Salvatorem et pontificem nostrum recipere vellem. Et quia ego illud sine gratia tua nec mundare nec mundum tenere valeo, adjuva me, Domine, ut faciam modo tibi grato illa, quæ miseria condicoris meæ facere non valet modo tanto hospite digno, ad quem recipiendum me præparare desidero.

O summe Sacerdos, Pontifex meus, da mihi ignem altari tuo in thuribulum cordis mei, ut tecum, in te et per te me in thymiana grati odoris offerre possim Patri aeterno!

#### SUPER CAPUT 17.

Assentio, Domine, lubens sensui illorum, qui credunt hac lege non fuisse prohibitum occidere animalia, quibus qui vesci volebat, sed illa tantummodo, quæ offerre volebat in hostiam, et in hunc sensum (v. 5) præcedentes explicare videtur. Expressio enim, quas occident, fors sumi debet: pro quas occiderent, secundum sensum interpretum. Alioquin profecto difficile foret concipere, quomodo hostiæ in agro occisæ sanguinem potuisset sacerdos super altare fundere, prout (6) præcipitur. Quamvis igitur contrariari videatur aut potius tenebrosa appareat littera, hanc spiritus seu finis legis clarius explicabit. [86:] Volueras, Domine, toties repetitis manda-

<sup>a</sup> Correxit 28 ex 26.

<sup>b</sup> Supplevi *m*

tis tuis ab idololatria revocatum populum continere in cultu tuo modis sensibilibus et carnalitati suæ proportionatis. Et propterea tabernaculum institueras, in quo te habitaturum promisisti, et præsentiam tuam per nubem et per patrata portenta sensibilem reddideras, vasa, altaria et tot diversæ specie sacrificia instituisti, de quibus exacta mandata dederas Moysi et Aaron. His institutis conveniebat, sed et necessarium erat, ut tolleretur generalis victimas offerendi potestas extra locum et sacerdotes ad offerendas illas destinatos. Confirmat hunc sensum per hæc instituta tua figurata, nobis autem manifestata veritas unitatis sacerdotii Christi Ecclesiæ communicati, et hæc unitas sacerdotii unitatem altaris et unitatem sacrificii secum fert, quæ omnia hac lege figurantur, et ideo (8) horum de domo Israel et de advenis, qui peregrinantur apud vos, qui obtulerit holocaustum seu victimam (9) et ad ostium tabernaculi testimonii non adduxerit eam, ut offeratur Domino, interibit de populo suo, dicit lex tua, Deus. Suffecit attulisse hostias ad ostium, non ut quilibet offerat, sed ut offerantur Domino.

Reliqua enim, quis nimirum et quomodo offerat, jam in præcedentibus scripta sunt. Dixi, non ut offerat, et hæc expressio non derogat illis, quæ dicta sunt de præcedentibus, ubi te, Domine, declarasse refert Scriptura velle te eligere [87:] Israel in peculium, in gentem sacerdotalem et sanctam, nec illis, ubi præcipitur, ut posita manu super caput victimæ unusquisque offerat illam Domino, quia his manifestatur et populo data sacerdotalis auctoritas et limitata offerendi potestas. Apparet sacerdotii ministerialis character, cui proprium est oblata offerre. Hic exprimitur in figura veritas nobis a Christo manifestata, quod nemo vadat ad Patrem, nisi per ipsum<sup>1</sup> et propterea lege vetitum fuerat offerre aut immolare, nisi per sacerdotes charactere mediatoris insignitos.

Sed, o Domine, illi, qui figuræ tantum velut fumum evanuisse dicunt, qui legem novam veterem legem solvisse putant, breviter prætereunt has considerationes dicentes: Christus finis legis fuit et omnia in eo impleta et consummata sunt; et profecto quis est, qui aliter dicere præsumeret? Sed ego, Domine, te illustrante semper Christum secundum verba sua non legem solventem, sed legem adimplentem<sup>2</sup> respxi. Fuisset autem solvere tollereque legem, si omnes figuræ tamquam fumus evanuissent, et pro nobis veritates, quas designarunt, tamquam legis adimplenetem non reliquissent. Scio apostolis docentibus Israel carnale Israel spirituale respexisse, dicamne omnia sacrificia denique omnes figuræ ita adimpletas fuisse, ut sensibile et visibile velum non supermaneat, quo teguntur reales veritates, quæ omnino spirituales sunt et [88:] ideo videri nequeunt, sed fidem<sup>a</sup> requirunt? Si loquuntur aliqui, sed ego opiniones illorum sequi nequeo, quia lumen dignatus es dare mihi ad discernenda magnalia tua in adoranda illa operum tuorum et temporum successione.

Nosti, o Deus, creaturam tuam, hominem, qui plasmasti illum, quod donec vivit, nequeat sensualis non esse. Hinc ab origine mundi omnia objecta fidei ejus vel verbo vel sensibilibus apparitionibus postmodum lege et figuris modo naturæ ejus proportionato exposuisti et manifestasti. Et postmodum ipsa veritas æterna, Christus ideo incarnatus est, ut omnia fidei mysteria, quæ credenda proposuit, modis sensibilibus consummaret, et ipsamet gratia, quam nobis morte promeritus est, scilicet

<sup>a</sup> Correxit fidem ex quidem

<sup>1</sup> Cf. Ioan. 14.6.

<sup>2</sup> Cf. Matth. 5.17.

Spiritus Sanctus, qui apostolos omnia docere debuit, visibiliter descendit non in figura, sed in realitate specie visibilis ignis velatus. Et ipsemet Christus (qui se usque ad consummationem sæculi nobiscum futurum promisit)<sup>1</sup> sacramentum Eucharistiae instituit in mysterium fidei, unde seu illi, qui panis substantiam in sacramento subsistere credunt seu illi, qui panem in signum recipiunt, et per has sensuales opiniones cum orthodoxa Ecclesia dissentiant, non poterunt dicere veritatem spiritualem ita esse spiritualem, quin velata sit velo visibili. Hinc ipsamet sacramenta nonnisi visibilia signa sunt invisibilem gratiam conferentia. Lavit Christus per sacrificium crucis animas nostras, laceravit [89:] schedam damnationis nostræ, et tamen nisi quis regeneratur in aqua et Spiritu Sancto per baptismatis sacramentum, non intrabit in regnum cœlorum.<sup>2</sup> An ideo, quod semel effusus sanguis non sufficerit? Absit hæc blasphemia; omnes enim, qui in Christum credunt, applicationem sanguinis necessariam esse profitentur, visibilem tamen sacramenti repræsentationem et per hanc memoriarum ejus celebrationem et spiritualem applicationem humanis inventionibus attribuunt et pro oblatione munda (quam Malachias usque ad consummationem sæculi inter gentes permansuram prædicti)<sup>3</sup> corda sua substituunt.

O Deus, non me vocasti ad illud munus, ut hæc controvertistice tractem, sed charitas proximo debita nequit non gemere de tam erroneous opinionibus, quas caro et sanguis suggessit. Elatio animi (plus patribus sapere volens) produxit, et judicia tua (quæ paleas et zizania crescere permittunt)<sup>4</sup> subsistere sinunt. Non agnoscunt legem in cordibus nostris scriptam, qui soli litteræ evangelii scriptæ ita adhærent, ut Spiritum Christi per Ecclesiam docentem rejiciant. Hi enim vere Judaizantes legem quærunt in tabulis, non in cordibus exarataem.

Sed redeo, Domine, per gratiam tuam ex digressione mea ad textum Scripturæ. Sæpius memini me hactenus legisse, quod lex esum sanguinis filii Israël prohibuerit, vix tamen memini hanc inhibitionem terminis tam energicis expressisse Scripturam. (10) Homo, inquit, quilibet de domo Israel et de advenis, qui peregrinantur [90:] inter eos, si comedenter sanguinem, affirmabo faciem meam contra animam illius, et disperdam illam de populo suo, (11) quia anima carnis in sanguine est, et ego dedi illum vobis, ut super altare in eo expietis pro animabus vestris, et sanguis pro animæ piaculo sit. Clare hic dignaris manifestare, Domine, mysterium omnium sacrificiorum, et haec causalis quoque, quia anima carnis etc. demonstrat mihi, cur sanguis Christi in altari crucis effundi debuerit, et quomodo ille sanguinem suum dando nobis in potum legem non solverit, sed adimpleverit.<sup>5</sup> Dederas sanguinem populo Israel, ut super altare in eo expiet pro animabus suis: ecce, figura; et sanguis pro anima piaculo sit: ecce veritas. Dederas sanguinem animalium, ut in eo expient, sed sanguis (secundum textum in sensu abstracto sumptus) jam tunc fuerat statutus pro piaculo. Hunc effudit Christus pro piaculo omnis animæ hominis, ergo legem adimplevit. Et quia piaculum expiavit, hunc sanguinem pro eodem fine dando nobis legem non solvit, sed adimplevit, quia hic sanguis (uti connotavi) in abstracto designatus datus erat homini pro piaculo animæ, et postquam nobis hunc sanguinem

<sup>1</sup> Cf. Matth. 28,20.

<sup>2</sup> Cf. Ioan. 3,5.

<sup>3</sup> Cf. Mal. 1,11.

<sup>4</sup> Cf. Matth. 13,29.

<sup>5</sup> Cf. Matth. 5,17.

dedisset bibendum, lex hunc sanguinem figurans tamquam adimpta succedente veritate, dictante lege in cordibus scripta proprie cessavit, quia illam, quamvis concilium Jerosolymitanum apostolorum confirmaverit<sup>1</sup> nec ullum concilium subsequens [91:] esum sanguinis permiserit et ideo nec soluta nec abrogata esse videatur, non tamen subsistit, sed prout dixi, tamquam per Christum perfecte adimpta proprie cessavit. Offirmabas itaque faciem justitiae tuæ, Deus, contra hominem de populo carnali, qui figurantem sanguinem animalis effusum comedit, et dispersisti illum de populo, sed posteaquam respexisses in faciem et sanguinem Christi tui, offirmas faciem misericordiae tuæ in eum, qui de illo digne participat et congregas illum ad populum tuum spirituale.

Nequeo, Domine, te suggestente præterire expressionem Scripturæ, quam<sup>a</sup> (12) et in præcitatō versu gentiles (quamvis populo per circumcisioñem annumeratos) advenas, qui peregrinantur (inquit Scriptura)<sup>b</sup> apud vos, appellat. Hæc enim denominatio advenarum apud legis filios peregrinantium jam tum designabat patriam et domum gentilium, non Synagogam, sed Ecclesiam futuram, in quam in decretis æternis totum genus humanum vocatum fuerat, et ideo vere peregrini sunt hodie quoque, qui extra illam (in præcedenti capite per hircum emissarium figurati) peregrinantur aut, potius dixerim, in solitudine mundi oberrant, nec sunt domestici fidei. Inhibitio (13) facta sequela præcedentis et subsequentis (14) est. Esus enim sanguinis prohibetur, quia anima omnis carnis in sanguine est; non quia sanguis est anima, sed anima est in sanguine, seu quia sanguis spiritus vitales continens unio [92:] est animæ cum corpore. Hinc sanguinem pro piaculo animæ ponens animam exegisti pro anima peccatrice, et ideo sæpe Christus dixit se posuisse animam suam pro nobis, et ponere animam pro proximo jussit discipulis.<sup>2</sup> Et hæc toties repetita expressio in Scripturis: anima enim omnis carnis in sanguine est demonstrat justitiam tuam, Deus, in redēptionem hominis totum hominem seu corpus pro corpore, sanguinem pro sanguine, animam pro anima exegisse. Corpus qua corpus semper fuit et est corpus peccati, et ideo esus carnis non fuit vetitus, sicut esus sanguinis, quin immo populi carnalis tam appropriatum fuit edulium, ut semper carnes appetierit, sed sanguis (qui pro piaculo positus fuerat) debuit esse innocens, et hanc innocentiam ab anima Christi humana (absque cooperatione hominis obumbrante Spiritu Sancto unita) sanguini acquisivit, in quo continebatur.

Et ex his apparet nos per sanguinem et Spiritum redemptos fuisse, et in hoc sensu dixit Salvator noster carnem non prodesse quidpiam,<sup>3</sup> quia caro fuit caro peccati et qua talis objectum fuit justitiae tuæ, Deus. Sanguis et anima victima fuit semper grata tibi, Domine, in memoriam innocentis sanguinis et animæ, quam sacerdos Deus purus, immaculatus obtulit pro piaculo animæ. Sed nemo mihi impingat per hæc me dicere velle carnem Salvatoris non prodesse, longe enim est hoc blasphemia ab ore meo. Resurrexit enim in carne nec amplius moritur,<sup>4</sup> et ideo dicente Apostolo, si non resurrexisset, mors ejus nobis non profuisset,<sup>5</sup> quia resurgendo corpus sancti-

<sup>a</sup> Corrixi *quam ex quem*

<sup>b</sup> Supplevi signum )

<sup>1</sup> Cf. Acta. 15,20.

<sup>2</sup> Cf. I Ioan. 3,16.

<sup>3</sup> Cf. Ioan. 6,64.

<sup>4</sup> Cf. Rom. 6,9.

<sup>5</sup> Cf. I Cor. 15,14,17.

ficavit in resurrectionem, animam [93:] redemit. Hinc quia Christus resurrexit, vivit et in æternum non moritur, nec in sacramento dividi potest realiter, quia occidi nequit, sed repræsentative. Hæc vero repræsentatio nequit efficere, ut corpus separatur a sanguine et sanguis a corpore, sed est Christus integer sub specie panis et vini. Dum Christus illud instituit, quoque, non dixit dare sanguinem effusum, sed effundendum. Si ergo non effusum, fuit in corpore, sed nec corpus datum fuit sine sanguine.

Apostoli autem (quibus hoc in memoriam faciendum jussit) hanc memoriam non nisi post descensum Spiritus Sancti celebrare incepérunt Actibus apostolorum toties docentibus<sup>1</sup> convenisse illos ad fractionem panis, et quia calicis nullibi meminit, ex eo quoque confirmor numquam fuisse sub præcepto observatam communionem sub duplice specie, sed memoriam sacrificii in celebrando hanc requisivisse ex ratione institutionis. Et profecto nec rationi nec fidei mysterio convenit credere, quod qui sumit sanguinem, non sumat et carnem, et qui manducat carnem, non sumat et sanguinem, quia corpus gloriosum nec umquam moritum sumimus. Et si Christus ipse sanguinem effundendum necdum effusum intelligi voluit, quis effusum et cum corpore reassumptum, a carne denuo divisum sumere asseret? Talis enim glorijs corporis a gloriose sanguine divisio in sensum Christianorum cadere non potest, et procul dubio illis non prodest caro, qui illam separant a spiritu, sed nec spiritus prodesse potest illis, qui illum separant a carne. [94:] Spiritus enim humanus Christi si esset separatus a corpore, <ho><sup>a</sup> ex sequela doctrinæ Apostoli præcitata nobis prodesse nequiret, alioquin etiamsi non resurrexisset, prodesse potuisset.

(15) Præterieram in præcedentibus meditari super hunc textum et huic loco reliqueram sperans per subsequentia te, Domine, adjuvante illuminatum iri, sed, o Deus, vere ignoro, quid proferam. Morticinia comedere ipsa infectionis morbi, ex quo animal moritur, ratio vetare videtur, sed animalia occisa a bestia cur impuritatem seu contrahant seu communicent, nequit penetrare ignorantia mea. Si in explicatione (3. 4) hujus capititis illorum opinionem secutus fuisse, qui statuunt, quod omne ad vescendum quoque occidendum animal ad tabernaculi ostium duci jusserris, Domine, dicerem, omnem sanguinis effusionem figurativam esse debuisse, et quia sanguis a bestia effusus non figuravit, immundus fuit, et hanc immunditatem (ob omissam effusionis sanguinis figurativam memoriam) homini communicavit, sed quia [hæc]<sup>b</sup> subsequentium versuum consideratione prædictam opinionem secutus non sum, hanc rationem allegare nequeo. Memini me legisse impuritatem non tantum ex comedione, sed ex tactu quoque cadaverum etiam humanorum contractam fuisse, et hoc fors ex illa ratione, ut fœditas peccati, quæ in sanguine diluenda fuerat, redderetur sensibilior. Sed nec ista ratio est applicabilis materiæ, de qua hic agitur.

Tu nosti, Domine, incitamentum, quod me in his scrutandis perseverare facit; tu enim dedisti illud. Adjuva igitur me, quæso, et dispelle tenebras meas, et manifestentur [95:] mirabilia tua! Nihil enim fecisti, quod ratione, justitia et æquitate caret. Nihil his addet mea eloquio, hæc enim ipsa tua erit, si veritati corresponderit, sed et silentium meum et ignorantia mea gloriam præstabit tibi. Sed petenti dare promisi-

<sup>a</sup> Delevit ho

<sup>b</sup> Exclusi hæc (cf. Ms. fr. je n'ay point suivi l'opinion susdite par la consideration des versets suivants)

<sup>1</sup> Cf. Acta. 2,42.

sti.<sup>1</sup> Fac igitur, ut bene et convenienter petam intelligentiam, ut tuam obtinere possim gratiam.

Certum est omnem impuritatem externam impuritatis internæ fuisse repræsentationem sub lege, et hinc manifestatur mihi esum morticiniorum, de quibus textus loquitur, nonnisi ex concupiscentia sensualitatis produci potuisse, cuius tam differentia germina per jam dictas impuritates legales repræsentantur, nec enim necessitati hic legem imposuisti, Domine, ex necessitate enim nec ipsos panes propositionis manducasse peccaminosum fuisse ipse David exemplo demonstravit, sed ex concupiscentia etiam morticia manducare juste vetusti.

Hic igitur dignaris manifestare mihi, etiam in actionibus sæpe ad apparentiam indifferentibus (prout esus aut morticiniorum aut a bestia occisorum esse potuit) maculari animam, et lotione gemitus et doloris in virtute lotionis in baptimate receptæ operantis nos mundari debere, (16) alioquin portamus iniquitatem nostram. Quia igitur subsistit in corpore nostro concupiscentia, Christus et hanc legem adimplavit omne verbum otiosum<sup>a</sup> (non solum actus otiosos magis ex concupiscentia, quam ex necessitate factos) condemnando.<sup>2</sup> Hinc præcipit simplicitatem oculi omnesque cogitationes malas cavere jubet, ad quarum, uti dixi, species referuntur impuritates legales, quæ in corpore repræsentarunt [96:] populo carnali effectum, quem producunt in populo spirituali. Præstet tibi, Deus, gloriam hæc veritas, quam, ecce, cum jucunditate dignatus es manifestare mihi. Vere enim ex his quoque ad apparentiam tam exilibus profunditas sapientiæ, justitiæ et nos docentis misericordiæ tuæ manifestatur, cui sit laus, honor et gloria!

#### SUPER CAPUT 18., 19.

Omnia opera tua, Deus, fundantur in veritate et justitia, sed hæc ordinem servat, et in operibus tuis, quæ in genere humano manifestasti, tempus observat. Hominem creasti masculum et feminam, et illico<sup>b</sup> matrimonium instituisti, ut ex duorum unione in carne una procederet fecunditas. Adam adhuc in innocentia sua mulierem videns hanc institutionem tuam agnovit, sed post lapsum ejus viam carnis sequens posteritas confudit hunc ordinem, quem ipsa natura hominis proprio instinctu conservasset, si in innocentia permansisset. Quapropter non in tantum multiplicationis generis humani necessitas, quam carnalis concupiscentia uxorum multitudinem et indiscretam copulam causavit, quam ordo justitiæ tuæ, Domine, in populo tuo corrigerre volens hanc legem instituit. Propterea jubes, (3) ne juxta consuetudinem terræ Ægypti et morem regionis Canaan agant nec in legitimis eorum ambulent. Ordo proinde justitiæ tuæ tempore, quo populum elegisti, se manifestavit in his, quæ ad vitam civilem necessariam societatem colendam [97:] ac firmandam consona, utilia, quin et necessaria fuerunt. Imposuerunt hæc præcepta tua etiam libidini frenum, ne omne, quod liberet in carnali copula, liceret, et sic conformarentur omnia præceptis Decalogi: Honora patrem et matrem, non mœchaberis, non concupisces uxorem

<sup>a</sup> Supplevit *otiosum* supra lineam

<sup>b</sup> Correxit *il-* ex *id-*

<sup>1</sup> Cf. Matth. 7,8.

<sup>2</sup> Cf. Matth. 12,36.

etc.<sup>1</sup> Absque his legibus autem (in hoc capite contentis) et in consequenti priorum institutis vel honori patrum et matrum derogatum fuisse, vel sententiæ, quam justitia tua Evæ in condemnationem pronuntiaverat<sup>2</sup> mulierem sub potestate viri futuram declarans, nam alioquin mater filio juncta filio subesse debuisset, et sic honori vi præcepti Decalogi debito derogatum fuisse.

Sed, o Deus, his quoque considerationibus sepositis vel solam naturæ pravitatem ex moribus, consuetudinibus hodieum usitatis ruminando quanto ordine, quibus utilitatis et convenientiis privata, quantis autem turbationibus et inconvenientiis subjecta fuisse hominum societas, si has ordinis justitiæ tuæ leges inter populum tuum spiritualem non retinuissest in cordibus eorum scripta veritas et communis consensus –, ita quidem, ut etiam respectu multitudinis vias carnis in libidine sequentis pauci reperiantur, qui leges respectu proximitatis sanguinis primorum graduum infringant. Ex horum exacta consideratione itaque facit me agnoscere misericordia tua alia esse immutabilia æternæ justitiæ tuæ præcepta, quæ per legem naturæ cordi humano impressisti, alia esse mandata, quæ ordo justitiæ tuæ exigit secundum rationem temporum. Et hæc est [98:] lex positiva. Quodsi copula fratrī cum sorore semper vetita fuisse, humanum genus complures hominēs creando multiplicare oportuisset, et per consequens si in primis nascentis mundi temporibus his legibus gradus proximitatis definitis illas in matrimonii observari jussisses, Domine, genus humanum propagari nequivisset. Ordo justitiæ tuæ requisivit itaque, ut hæc leges differentur usque ad tempus, in quo ordinem justitiæ tuæ in populo tuo quoque manifestare voluisti, cui ordini pro ratione temporum et humanæ condicōnis derogari posse docuit nos Veritas æterna dicens matrimonium a Deo institutum fuisse nec nisi propter duritatem cordis populi permisisse Moysen dare libellum repudii, cuius usum, ut legis spiritum adimpleret, Christus sustulit.<sup>3</sup> Ad has leges ordinis justitiæ tuæ, Deus, referuntur leges disciplinæ seu ecclesiasticæ seu civilis, quas potestatem habentes pro ratione temporum regnorum, morum et indolis populorum condunt et tollunt, in quibus tamen semper legis naturæ et dilectionis proximi etiam vi illius debitæ habenda est ratio.

Fatebor itaque, Domine, præter matrimonii unionem et primorum graduum sanguinis commixtionem pauca posse de his, quæ statuuntur, referri ad legem illam immutabilem justitiæ tuæ, quæ semper eadem est et permanet, et propterea quia tantummodo ordinem justitiæ tuæ concernunt, in casibus bono publico et charitati convenientibus ab Ecclesia (cui ad discernendum spiritum veritatis dedisti)<sup>a</sup> complura relaxari [99:] possunt ex illis, quæ gradus consanguinitatis in matrimonio respiciunt. Sic considero ego magnam partem legis moralis veteris testamenti tamquam gubernium civile populi tui concernentem, et per consequens ordinem administrationis justitiæ tuæ temporis, statui populi tui seu peregrinantis seu terram promissam incolentis accommodatam.

Unde ex illis nobis (populo nempe spirituali) convenientia in parte observat, ex parte relaxavit Spiritus tuus, quia descendens in corda apostolorum et fidelium tuorum, Domine, docuit omnia, et per consequens illa, quæ disciplinam populi spiritualis respiciunt, quam pro ratione temporum mutari posse hæc ipsa legis moralis (quam prædictus ordo justitiæ tuæ exegerat, ut statueres populo carnali) in parte

<sup>a</sup> Supplevi signum )

<sup>1</sup> Cf. Ex. 20,14 etc.

<sup>2</sup> Cf. Gen. 3,16.

<sup>3</sup> Cf. Matth. 19, 1–9.

abrogatio clare demonstrat. Agnosco tamen esse, quæ misericordiam erga pauperes respiciunt (prout cap. 19. v. 9. 10), quæ adhuc hodie salutariter practicari possent, quia misericordiam erga pauperes in longe excellentiori gradu docuit Christus, quam lex vetus. Unde potius ab avaritia et a pravitate hominum provenit, quod hæc et alia pauperes concernentia sub præcepto subsistere non considerentur.

#### SUPER CAPUT 20., 21., 22.

Respici[un]t<sup>a</sup> vel maxime sacerdotes tuos, Deus, quæ in his capitibus referuntur, in quibus de conductu vitæ illorum particularia præcepta dat ordo justitiæ tuæ, ut ex illis eo magis constaret nobis sanctitas characteris illorum. Multa sunt, Domine, quæ de sacerdotibus [100:] occurrunt mihi consideranda, quæ fors magis conveniret referre super caput 3. Numerorum, in quo præcipis separari tibi tribum Levi ad administrandum ordinem cultus tui. Sed quia in hoc opere singulare meum propositum est contemplari magnalia tua, non doctrinaliter scribere super Scripturam, recedo a convenientia et methodo sequens lumen gratiæ tuæ in connotandis illis, quæ mihi dignaris revocare in mentem.

Redemeras, Domine, totum Israel ex captivitate Pharaonis morte primogenitorum Ægypti, propterea in memoriam hujus redemptionis singulariter jusseras tibi offerri tribum Levi, cuius pars hereditatis tumet ipse fuisti. Et his figuratur, quod quamvis totum genus humanum redimendum erat, ordinem tamen sacerdotum institues tamquam ordinem ministerialem ad exercendum cultum tuum. Hinc quamvis Israel carnis fuerit, et tamen sacerdotalis, ita et spiritualis populus Israel fit pariter sacerdotalis, et in hunc characterem unctionis in Aarón et filiis ejus et sanctitas in tuis legibus ipsis præscripta particulariter maneat in sacerdotibus Israel spiritualis in veritate communicata per pontificem nostrum immaculatum et æternum, Christum. Et hunc ordinem ipse instituens in apostolis suis et septuaginta discipulis, elegit fecitque eos (prout exprimunt evangelistæ) ex omni multitudine plebis sequentis illum et recipientis doctrinam ejus.

Et sic ordo electionis misericordiæ tuæ per veram vocationem et ordo conservationis ejusdem ordinis successive permanet in populo tuo spirituali. Ex omni multitudine hominum solum Israel elegeras tibi in peculium et in gentem [101:] sacerdotalem. Propterea ex<sup>b</sup> hoc consequenti et ex jam dictis appareat, cur ordo sacerdotalis et exercitii cultus tui ad solam tribum Levi restrictus fuerit, sed a quo totum genus humanum redemptum factum est peculium, regnum et hereditas Filii tui, Deus, eligit ipse sibi sacerdotes ex omnibus gentibus, quæ ingrediuntur regnum et hereditatem ejus per adoptionem in filios. Ex electione filiorum Levi<sup>c</sup> tamquam figura apparet, cur versus 3. et 7. concernant matrimonium sacerdotum. Oportuit enim, ut semen Levi conservaretur, cui ordo sacerdotalis particulariter collatus fuerat, sed in electione apostolorum et discipulorum (adimpletis in Christo promissionibus) Christus sacerdotes suos elegit ex omni multitudine universalitatem Israel spiritualis repræsentante. His dedit potestatem curandi infirmos, pellendi dæmones adhuc ante

<sup>a</sup> Supplevi -un- (cf. Ms. fr.: *Ce qui est rapporté .... concerne....*)

<sup>b</sup> Correxit ex ex et

<sup>c</sup> Ante *Levi* in margine: *Cap. 21.*

passionein suam, pascere oves et agnos singulariter Petro jussit,<sup>1</sup> solvendi et ligandi potestatem omnibus contulit. Docere, baptizare, evangelium omni creaturæ prædicare pariter cunctis mandavit.<sup>2</sup> Sed quod singulare est, in ultima cena recumbens cum duodecim passionis suæ, id est, sacrificii sui instituit fieri memoriam.<sup>3</sup> Hæc et complura alia, quæ ex Actibus apostolorum et ex doctrina illorum clare patent, sunt, quæ singularem specialemque characterem sacerdotalem manifestant in illis et in omnibus successoribus illorum, quos ad regendam Ecclesiam vocat Christus, ordinat et mittit in vineam suam. Hi appellantur lux mundi, sal terræ,<sup>4</sup> angeli ecclesiærum,<sup>5</sup> dispensatores gratiarum Dei<sup>6</sup> in charactere longe eminentiori, quam populus sacerdotalis.<sup>7</sup> Illi enim, in quantum [102:] dispensatores sunt gratiarum et ministri sacramentorum, etiam mediatoris characterem participarunt a Christo, quia cum ipsis, per ipsos offert populos et sacrificii faciens memoriam immolat. Sic est implementum in veritate, quod per sacerdotium Judaicum repræsentabatur in figura. Hinc sacerdotibus illis tamquam figuris quoque præcipis: (6) Sancti erunt Deo suo et non polluent nomen ejus, incensum enim et panes Dei sui offerunt, et ideo sancti erunt.

O Domine, quam mysteriosa est hæc expressio: panes Dei offerunt! Cur non dicitur: panes Deo offerunt? Cur non ideo sancti, quia victimas et cruenta sacrificia, sed quia (8) panes propositionis offerunt? Patet nobis hæc veritas, Domine, quæ illis ignota fuerat, victimam enim in cruce cruentam Deus sacerdos obtulit, quæ in cruentis sacrificiis figurata fuit, sed non respectu <hujus><sup>a</sup> figuræ hujus sacerdotii divinitatis participarunt sanctitatem, sed in quantum figurarunt sacerdotium humanitatis Christi, in quantum nimirum panem Dei (seu ut figuratam veritatem edicam) panem, qui de cælo descendit,<sup>8</sup> obtulerunt in figura, quem sacerdotes Ecclesiæ offerunt in veritate. Quodsi igitur tantam sanctitatem requisivisti, Domine, in sacerdotibus futuras veritates et in charactere et in hostiis figurantibus, quid non requiris in illis, qui tibi, prout dixi, verum panem Dei, verum panem animæ de cælo descendenter offerunt (15)? Non amplius requiritur (quin salutari instituto Ecclesiæ inhibitetur) carnalis generatio sacerdotum populi spiritualis. A quo enim Christus manifestavit esse, qui se castrant et eunuchi [103:] fiunt propter regnum cælorum,<sup>9</sup> a quo Apostolus virginitatis statum suadet<sup>10</sup> tamquam aptiorem ad serviendum tibi, Deus, nihil ministerio sacerdotum dignius esse potest, quam servare corpora sua tamquam hostias viventes et templa Spiritus Sancti, ut eo purius perfectiusque current illa, quæ tua sunt, Domine, et inter te et mulieres suas non sint divisi. Ordo proinde tam sanctus, tam purus, qui non jure sanguinis succedit, sed per gratiam tuam vocatur, et sic generatur spiritualiter speciali vocatione et vocatio multa probatione indiget. Sicut enim deformis<sup>b</sup> corpore et maculosi non admittebantur ad sacerdotium Judai-

<sup>a</sup> Delevit hujus

<sup>b</sup> Sic!

<sup>1</sup> Cf. Marc. 3,15; Ioan. 21,15 sqq., Matth. 18,18.

<sup>2</sup> Cf. Marc. 16,15.

<sup>3</sup> Cf. 1 Cor. 11,25.

<sup>4</sup> Cf. Matth. 5,13.

<sup>5</sup> Cf. Apoc. 1,20 sqq.

<sup>6</sup> Cf. 1 Petr. 4,10.

<sup>7</sup> Cf. 1 Petr. 2,9.

<sup>8</sup> Cf. Ioan. 6,41.

<sup>9</sup> Cf. Matth. 19,12.

<sup>10</sup> Cf. 1 Cor. 7,25–26.

cum (17), ita profecto deformitas et maculæ spirituales reprobantur a te in sacerdotibus legis novæ.

Dignaris, Domine, respectu sacerdotum quoque repetere illa, quæ jam ad populum mandavera Moysi, ut ediceret, ut sacerdotes quoque noscerent se exemptos non esse ab impuritatibus ceterorum hominum, quæ eo gravius punientur in illis, quo sanctiores esse debent. Dicis enim (3) præcipi ad eos et ad posteros eorum, ne ille, in quo est immunditia, accedat ad illa, quæ aut consecrata aut oblata sunt tibi, Domine. Secus enim peribit coram te. (4) Judices lepræ statuisti sacerdotes, sed illos ipsos a plaga lepræ non exemisti, nec a reliquis immunditiis, quibus corpus humum fors adhuc plus subjectum fuerat, antequam regenerata fuisset natura. Quamvis enim hæc regeneratio potissimum animam respiciat, quia tamen etiam corpus reparavit in resurrectionem, per infinitam virtutem suam multas heterogeneitates ejus tollere [104:] potuit, propter quas etiam corpora mortua hominum tangere vetitum esse potuit.

Non derogant, Domine, hæc, quæ profero illis, quæ de reparatione seu regeneratione naturæ humanæ spiritualiter intelligi debent, sed adhuc magis manifestant opera misericordiæ tuæ. Quodsi enim peccatum mortem et corruptionem corporum induxit, quis sanæ rationis negabit materiales impuritates non induxisse in corpora, quæ profecto omnes ablatae non sunt, quia adhuc tot morborum et contrarietatum quodammodo impuritatibus<sup>a</sup> subjecti sumus. Poterant tamen fuisse quædam, quæ renovando naturam fors ablatae sunt, et hujus speciei potuerunt esse lepræ et fluxus seminis, quibus populum illum subjectum fuisse apparet ex toties reiteratis præceptis de immunditia illorum, qui his contaminati fuerant.

Agnosco, Domine, particulares esse has cogitationes meas, audeo<sup>b</sup> tamen referre, quia non derogant justitiæ et misericordiæ tuæ, sed hanc et illam eo plus manifestant. Justum enim fuerat in semine peccati has impuritates manifestare, opus misericordiæ fuit renovando et reparando naturam eas secundum quid et in aliqua parte tollere etiam modo captui nostro proportionato. Potissimum enim ex hac ratione voluisti, Deus, ut populus carnalis spiritualem populum figuraret, ut in illo apparentes sensibiles impuritates ducerent nos in cognitionem spiritualium impuritatum, quæ in sensu nostros cadere non possunt. Sic manifestatur misericordia tua et sapientiæ tuæ profunditas [105:] nobis, quibus hæc instructionis loco scripta tradidisti. Hinc exigis a populo et potissimum a sacerdotibus tantam puritatem externam, ut sanctitatis tuæ appareat puritas et ex opposito pateat nobis humanitatis nostræ impuritas.

Dignaris, Domine, sensibiles mihi reddere has veritates, sed ne cum dignatus es illuminare me, ut intelligere possim, (5) cur reptilia pro immundis habere jusserris, nisi forsitan, ut onus legis eo sit sensibilius, ut liberatorem desideret populus ardentius. Populo enim in tam vasta, prout mihi imaginari possum, solitudine reptilium multitudini repleta profecto magno oneri esse potuit cavere a tactu illorum, sed hæc ipsa reptilibus per legem, non per naturam annexa impuritas docet me vitare debere terrestria, quæ per se bona sunt, sed illorum tractationes animam coinquianter et impuram reddunt. Unde proprie fit sordida respectu dignitatis<sup>c</sup> animæ spiritualis.

<sup>a</sup> Suppelvit quodammodo impuritatibus cum atramento nigriore

<sup>b</sup> Correxii audeo ex audio

<sup>c</sup> Correxit dignitatis ex divinitatis

Elegeras, Domine, (prout s<sup>a</sup>epe rettuli) Israel in peculium tibi, sed tribum Levi adhuc singularius jussisti voveri tibi, et tumet ipse factus es pars hereditatis ejus. Hinc justum erat, ut tu singularius aleres illos ex illis, quæ offerebantur tibi, et in hujus legis adimptionem docet Apostolus illos, qui altari serviunt, de altari vivere debere.<sup>1</sup> Ut tamen illorum quæ tibi offerebantur, singularis respectus imprimatur, et figuræ omnimode designent sanctitatem veritatum, quas figurabant, sanctitatem omnium, quæ offerebantur tibi, compluribus versibus exprimit lex (10), tamen adhuc et aliam veritatem cooperit, cuius sensum [106:] Christus explicuit dicens: Si quis non audierit Ecclesiam, sit tibi, sicut ethnicus et publicanus.<sup>2</sup> Ille enim est proprie alienigena, qui degit<sup>a</sup> extra Ecclesiam, qui non audit illam. Et hic nullo modo participat de communione Ecclesiæ.

(18. 19. 20. 21. 22) Quæ hic de victimarum qualitate præcipiuntur, ducunt me ad considerationem duarum veritatum, quas victimas designasse autumo, nam procul dubio respectu mortis et effusionis sanguinis victimam illam adorandam repræsentarunt, per cujus sanguinem mundati sumus, sed in quantum offerentem respiciebant, et requirebatur, ut offerens manus capitibus victimarum imponeret, ipsum offerentem, qui illas pro se obtulit, repræsentabant. Per hanc proinde puritatem, quam in victimis requiris, non tantum integritas corporis tibi offerendi figuratur, sed et dispositio cordis offerentis. Et in hoc sensu figurabant victimæ cultum intrinsecum adorationis et oblationis in Spiritu et veritate, qui ut tibi sit gratus, non a corde a vanitatibus mundi excæcato, non a pravis habitibus fracto, cicatrices male sanatas habente, non papulis amoris proprii, non scabie consuetudinum sæculi, non impetigine superbiæ infecto offerri debebant, nec ex his adolendum erat super altare tuum. Cor enim tale contritis, tuis, sectis ablatisque testiculis est, quia quamdiu illis impunitatibus repletur et in illis perseverat, gratia tua privatus homo bonas cogitationes et opera producere et quadammodo generare nequit.

(23) Proprietas voti exprimitur mihi in hoc versu, ad quod præstandum homo non [107:] obligatur, votum tamen factum quam exacte servare teneatur, exprimitur. Quilibet Christianus mundo, carni et Diabolo renuntians ac jugum præceptorum tuorum amplectens renuntiando mundo promittit tibi paupertatem, renuntiando carni promittit castitatem amplectendo præcepta tua, promittit obœdientiam spiritualiter. Et hæc tibi offerre potest. Sed respectu consiliorum, quæ nobis evangelium manifestavit, respectu paupertatis nimirum vendendo omnia et dando pauperibus,<sup>3</sup> respectu castitatis se voluntarie castrando propter regnum cœlorum<sup>4</sup> et respectu obœdientiæ voluntarie<sup>b</sup> agnitis superioribus præstandæ propter Christum, modus hæc exsequendi spiritualiter tantum etiam respectu praxis consiliorum (quæ hæc corporaliter quoque facere suadent) quandam mutilationem extrinsecam præ se ferunt, quam quidem acceptas, Domine, dum tibi offertur, sed et voluntarie offerri possunt, sed si de his (secundum consilia præstandis) votum emittitur, votum ex illis spiritualliter solummodo servatis) solvi non potest.

<sup>a</sup> Correxit *degit ex deget?*

<sup>b</sup> Correxit *ex -ae?*

<sup>1</sup> Cf. 1 Cor. 9,13.

<sup>2</sup> Cf. Matth. 18,17.

<sup>3</sup> Cf. Matth. 19,21.

<sup>4</sup> Cf. Matth. 19,12.

(25) Alienigena fuit respectu populi tui carnis, Domine, quisquis circumcisus non fuerat, alienigena est itaque respectu filiorum tuorum, qui baptismatis charactere caret, sed in sensu doctrinæ Filii tui et respectu perfectionis legis alienigena est, qui vocem ejus non audit. Hinc panem, quem tibi offerunt et quidquid offerunt, vere tamquam corrupta et maculata sunt respectu actionis ipsorum, et ideo dixit Salvator noster: Ad quid dicitis mihi, Domine, Domine, et mandata mea non facitis?<sup>1</sup> Non omnis, [108:] qui dicit mihi, Domine, Domine, intrabit in regnum cœlorum, sed qui facit voluntatem Patris.<sup>2</sup>

(27) Triple potuit esse ratio, ex qua hoc mandatum dare potuisti populo tuo, Domine, ut nimur fetus animalium, ex quibus victimas præstari jusseras, ante octavum diem partus illorum non offerrentur. Prima ex decentia, ut victimæ majorem soliditatem membrorum acquirerent, secunda, ut sacerdotibus, qui ex illis vivebant, sui sint, tertia, ne ex avaritia fetus infirmi debiles offerrentur tibi, sed illorum sanitas septem dierum spatio melius dicerni possit. (28) Jussisti præter hoc, ne tibi mater cum fetibus una die immolaretur, ut hoc fors ideo, ne figura (veritatem illam repræsentans, per quam humano generi vita et salus redonda fuerat), per oblationem matris et fetuum destructionem speciei quodammodo repræsentaret.

(29) Non quæro, Domine, aliam rationem, cur hostias pro gratiarum actione oblatas eadem die comedere jubeas, præter illam, quam mihi manifestare dignaris, hostias nempe illas pro receptis beneficiis oblatas singularem lætitiam et gaudium excitasse in illo, qui beneficia receperat. Unde mandationem hostiarum ex illa quoque ratione protrahere potuisset, ut sub hoc prætextu complures dies in ducendis choræis (prout mos fuerat) et ne fors in aliis oblectamentis transigeret, quæ populum a labore et operibus ordinariis status sui avocarent. (31) Præcipis, o supreme Legislator, Deus, denuo custodire mandata tua, et quid æquius, cum tu sis [109:] Dominus? (32) Vere enim polluitur hoc sacrum Domini et Legislatori nomen, dum lex et mandata tua non observantur. Hæc igitur expressio Scripturæ: Ne polluatis nomen sanctum meum, ut sanctificer in medio filiorum Israel, ducit me in agnitionem, quod sanctificare te sit observare mandata tua. Sed subjungis: Ego, Dominus, qui sanctifico vos, ut nos doceas ideo te sanctificari, quia tu sanctificas, et ex hac sanctificatione, qua sanctificas, procedit observantia mandatorum tuorum, per quam sanctificaris in medio populi spiritualis filiorum tuorum. Dum ergo Christus nos orare docuit, nobis in adimplitionem hujus legis injunxit petere, ut sanctificetur nomen tuum, et huic statim subjungere: Adveniat regnum tuum,<sup>3</sup> quia tunc sanctificaris, cum regnas in corde. Tunc regnas per charitatem, dum sanctificaris per executionem mandatorum tuorum, quæ dum prævaricamur, (uti dixi), polluimus nomen sanctum tuum, Domini et Patris. Te enim solummodo ore profitemur, sed Domini et Patris qualitatem in corde non agnoscimus, quia tibi non obœdimus.

(33) Tu, Deus, per Filium tuum eduxisti me de terra Ægypti, terra illa captivitatis peccati, ut essem mihi in Deum. Tu igitur, Dominus, sanctifica me, ut sanctificem te!

<sup>1</sup> Cf. Luc. 6,46 sim.

<sup>2</sup> Non omnis...: Matth. 7,21.

<sup>3</sup> Adveniat...: Matth. 6,10.

Sanctifica, inquam, me per charitatem, ut dicens: Domine, Domine, faciam voluntatem tuam cunctis diebus vitae meae!

[110:] SUPER CAPUT 23.

Instituisti, Domine, quotidiana memorialia in sacrificiis et in cultu<sup>a</sup> tuo matutino et vespertino. Instituisti omni septimana sabbathum, ut populus te cælum et terram creasse et septimo die requievisse meminerit. Instituisti phase in recordationem exitus e captivitate, prout jam de his, quæ dare dignatus es, rettuli tibi. Sed adhuc te interrogat homo, cur oportuerit augere ferias per reliquas sollemnitates, quarum quasdam septem diebus observari jussisti, et taliter a labore suo avocabatur populus. Hæ sunt enim loquelæ illorum, qui contrariari, qui dissentire querunt cum illis, qui in libertate filiorum Dei legis litteram seponentes spiritum ejus, qui illam adimplevit, sequuntur, ut per hunc spiritum, non per opera legis sanctificantur. Præter memorialia quotidiana sacrificiorum lex docuit populum beneficiorum tuorum memoriam recolere non tantum in unione interna spiritus, (quod omni die præstare oportebat), sed et in unione externa cultus, in quem finem hæ feriæ institutæ fuerant, et propterea quater in anno omnis populus comparere debuit cum muneribus in conspectu tuo, Domine, in loco, ubi majestatis tuae sensibilis præsentia repræsentabatur in tabernaculo. Requirebat hoc tuae præsentiae dignitas, sed et ordo, uti dixi, justitiae exigebat, ut in hac congregazione totius [111:] populi mutua firmaretur amicitia, extinguerentur odia et dissidia, administraretur justitia, et sic visibiliter et sensibiliiter regeres populum, cuius tu, Deus et Dominus fueras et ille peculium tuum.

Hæc visibilis unio figurabat invisibilem illam charitatis unionem in communione sanctorum, quæ durat in orthodoxa Ecclesia tua per totum orbem diffusa et in triumphanti Ecclesia tua usque ad conspectum gloriæ tuae (in terram nempe viventium) extensa. In hoc spiritu celebrat ferias suas Ecclesia, quarum feriæ Judæorum figuræ fuerant et exoperatarum respectu salutis suæ veritatum in feriis suis recolit memoriam. Diem regenerationis seu recreationis suæ, diem quietis Sponsi sui celebrat pro sabbatho, et phase seu transitum Domini sui de vita mortali veteris Adam ad vitam immortalem novi Adam celebrat in veritate. (10) Oblatio manipuli spicarum post ingressum et possessionem terræ promissæ inchoanda memoriale fuit, ut recordaretur populus terram suam ex tua bonitate possidere, Domine, et quia pars hereditatis nostræ terra viventium est (quam adhuc in peregrinatione existentes nonnisi in spe obtinuimus) hæc oblatio spicarum cessavit in sensu jam declarato, est tamen oblatio quotidiana in illo sensu, in quo omni die sacerdotes tui per orbem terrarum in templis nomini tuo dicatis congregatum populum velut manipulos in agro tuo crescentium segetum offerunt tibi per Sacerdotem æternum. (16) Die quoque quinquagesima post celebratum phase illius [112:] mysterii et diei celebrat memoriam, in qua primitias promissionis tuae per dona visibiliter descendensis Spiritus Sancti recepit, in quorum donorum figurativam memoriam offerebantur tibi septem agni, quorum sanguinis effusio pretium sanguinis (cujus effusione illa septem dona nobis demerita sunt) repræsentavit. (24) Hæret, Domine, ignorantia mea et penetrare nequit

<sup>a</sup> Correxit -u ex -o?

mysterium institutionis sabbathi in memoriale plangentibus tubis prima die mensis septimi. Sunt interpreses, qui hanc sollemnitatem statutam fuisse dicunt in memoriale publicatae legis in sonitu et clangore buccinæ seu tubarum datae, sed ego automo præcedens festum Pentecostes clarius denotasse hanc legis publicationem, quæ quinquagesimo<sup>a</sup> die post celebratum primum phase in exitu de Ægypto sumpsit exordium et uno anno (pro una die sumpto) duravit legis publicatione.

Subsisto itaque, Domine, [et]<sup>b</sup> donec dignatus fuerus loqui mihi, ut eloquar magnalia tua. Septimus mensis per numerum septenarium quietem indicat, ad quam clangentibus tubis convocabatur populus, et ut se ad subsequentem diem decimum ejusdem mensis, ad diem expiationis et pænitentiae præpararet, quæ dies propitiationis fuit (28), ut propitiareris illis. Sub his feriis confitebatur pontifex peccata populi, ingrediebatur et mundabat sanctuarium et hircos offerebat pro peccatis. Unde credo repræsentasse afflictionem et gemitum generis humani sub figura totius populi adventum Redemptoris et Pontificis sui anhelantis, qui in sanguine suo [113:] ingrederetur sancta sanctorum et ablato peccato aperiret januas illius. Ad hanc salutarem afflictionem clangentibus tubis (quæ voces prophetarum figurabant) convocatus fuerat populus totum genus humanum figurans, et propterea consummato magno illo opere redemptionis nostræ memoriale quoque et figura, quæ supra dictam veritatem velaverat, cessavit. Ut tamen indicaretur redemptionem subsequens militantis Ecclesiæ peregrinatio, (34) quinto post die tabernaculorum sollemnitas instituitur, ut peregrinationis antecedentis memoria subsecuturæ peregrinationis esset figura, cuius dies octava non jam septima<sup>c</sup> (seu Judæorum sabbathum), sed populi spiritualis dies Domini magnum illum diem Domini præfiguravit, qui erit (36) dies cœtus et collectæ totius generis humani. Tantarum veritatum memoriam sub tam obscuris figuris celebrabat populus carnalis, quas postquam populo tuo spirituali manifestare dignatus es, Domine, non jam figurarum, sed jam impletorum mysteriorum celebrat memoriale. Affligit animas suas omni die, sanctuarium corporis sui expiat, habitat super terram quodammodo in tabernaculis et diem illum (39) Domini sui, sabbathum magnum et requiem exspectat in patientia.

Hæc sunt, o Domine, quæ adjuvante gratia tua connotavi de feriis populi, in quantum figuræ fuerunt, jam enim de sacrificiis (occasione feriarum factis) præcedentia ansam dederant scribendi, nec de illis novas reflexiones faciendi occurrit materia. Reliqua, quæ versiculatim referuntur in Scriptura, ad hanc generalem feriarum explicationem reduci posse credo. Nec igitur aliud [114:] restat, quam tibi pro dato lumine referre gratias et novum lumen petere pro intelligentia sequentium, ut per te adjuta debilitas et illustratæ tenebræ meæ præstent tibi gloriam, et ex tam absconditis sapientiæ tuæ mysteriis, quo plus vixero, eo plus discam diligere te, lumen cordis mei!

<sup>a</sup> Correxit -gesimo ex -sesimo

<sup>b</sup> Delevit et

<sup>c</sup> Correxit septima ex septimana?

Quodsi tabernaculum testimonii figuram Ecclesiæ tuæ, Deus, quodsi ignem perpetuo ardente figuram charitatis fuisse te, Domine, illuminante agnovi, quid possum aliud in consequenti horum statuere, quam quod luminaria bona opera fidelium, oleum virtutes, per quas producuntur et charitatis flamma aluntur, figuraverint? Sed quia omnia hæc ante redemptionem in cælum (cujus porta necdum reserata fuerat) ducere nequiverant populum, ideo ut figura responderet veritati, (3) extra velum testimonii in tabernaculum fœderis ponebantur. Hoc tamen non oberit, quin candelabrum (cui septem lucernas imponi jussisti) septem dona Spiritus Sancti in Ecclesia continuo fulgore arsura repræsentare potuerint; panes autem (5) sacramentum altaris figurasse, prout rettuli, nunc quoque agnosco. Prout enim illi in conspectum tuum exponebantur, ut recordareris tribuum populi tui, ita se sub hujus sacramenti velo Filius tuus, Pater æterne, tibi exhibet pro universis hominibus, quos sanguine suo redemit, ut tuam placans justitiam obtineat misericordiam.

[115:] Præteriret ignorantia mea tamquam historice relatum eventum (10), nec consideraret tamquam figuram, quæ in subsequentibus versibus referuntur, si illa, quæ de nefario blasphematore nominis tui referuntur, non contexerentur inter illa, quæ cultum tuum concernunt, Domine, et illa, quæ statuisti, concludunt. Quapropter hunc nefarium malitiæ humanæ ausum hic referri autumo, ut designarentur futuræ illæ adhuc in apostolorum temporibus subortæ hæreses Simonis et Nicolai, quæ ex matre Israelita seu Ecclesia et patre Ægyptio seu patre perverso, perfido, ne dicam, Diabolo suam traxerunt originem. Illi hæresiarchæ enim primi fuere, quorum unus dona Spiritus Sancti emere volens, alter corpus Christi phantasticum fuisse asserens se in suis nefariis et scelestis dogmatibus univerunt et in unam hæresim coaluerunt; qui per universam Ecclesiam fidelium convicti lapidibus anathematum et maledictionum obruti sunt, et sic ad mortem mortis condemnati æternas luerunt pœnas hæresum suarum, quia (15) maledixerunt Deo suo, portarunt peccatum suum et (16) blasphemantes nomen Domini morte mortui; maledictionis lapidibus obruit illos omnis multitudo filiorum tuorum, Domine.

Occasione hujus blasphemi (cujus historiam refert Scriptura) profert sententiam hanc, et legem talionis in subsequentibus versibus statuit rigor justitiæ tuæ, Deus, sed hujus legis perfectionem Veritatis æternæ charitas filios tuos (populum, cuius ille ductor et legislator est), docuit. Rigor itaque justitiæ tuæ, Domine, præcepit [116:] animam pro anima, fracturam pro fractura, oculum pro oculo, dentem pro dente exigere,<sup>1</sup> sed charitatis justitiæ (quæ, quod nobis fieri volumus, proximo in suo vero sensu præstare præcipit)<sup>2</sup> misericordiam, quam nobis reis fieri optaremus, proximo vere reo facere docet. Hæc debet esse nostra erga proximum in nos peccantem et nobiscum male agentem dispositio, sed hac non obstante magistratus (seu justitiæ tuæ in terris vicaria potestas) hanc legem tuam talionis exercet, ut puniantur scelera, nec semper auctorentur indulgentia. Sic per dispositionem, in qua quis est, respectu injuriarum sibi illatarum, legem Christi adimpleret et principum ac magistratum vicaria justitia justitiæ tuæ, Deus, secundum editam hic legem satisfacit. Sic

<sup>1</sup> Cf. Levit. 24,20.

<sup>2</sup> Cf. Matth. 7,12.

vere vanus est humanus motus, qui sibi illatas<sup>a</sup> ulcisci cupit injurias, quia in suis viribus confidens<sup>b</sup> homo impotens est et sibi attribuens judicium et vindictæ potestatem alteri facit, quod sibi fieri nollet. Sed si quis propter te condonat rem suam, etiam condonando justitiæ tuæ relinquit illum, quæ ultrix est scelerum, protectrix debilium, et cum erga proximum charitatem (quam sibi condonando optaret), exercet, mandata tua sequentibus promissa præmia recipit, et in tua justitia injuriarum suarum vindicem repperit.

Noli proinde me, quæso, tradere motibus meis, Domine, et siquidem te adjuvante ex corde dicere possum, dimitte mihi debita mea, sicut dimitto debtoribus [117:] meis!<sup>1</sup> Fac, ut persequentes me convertantur et vivant, sint objecta misericordiæ tuæ, non justitiæ, cum debeat esse objecta charitatis meæ!

#### SUPER CAPUT 25.

Posteaquam repetitis vicibus manifestasses in Scripturis tuis, Domine, septenarium numerum quieti consecratum esse, ecce, quietis numerum ad annorum septimanam et annorum septimanam ad indicandam longe perfectiorem quietem applicas. Nosco, Domine, per gratiam tuam misericordiæ leges erga pauperes, quas exercere Salvator noster jubet, nescio tamen, num illis datis hanc legem de anno sabbathali ita cessare voluerit, ut etiam in Christianitate exerceri nequivisset, si illam potius hominum avaritia, quam data filiis tuis libertas magis usu, quam positiva intentione non abrogasset. Procul dubio perfectior fuit primorum Christianorum fervens in charitate proximi zelus, qui universa bona sua vendentes pecuniam ad pedes apostolorum deponebant,<sup>2</sup> sed quia crescente fidelium multitudine et undique dilatata Ecclesia usus ille ob varias persecutions et temporum discrimina subsistere non potuit, hæc tua misericors lex quoque, quas gentiles non obligaverat, ingredientibus illis in Ecclesiam prædicto charitatis usui non successit, et cum observantia sabbathi observantia quoque annorum sabbathi cessavit.

Verum est, Domine, quod tua misericors cum filiis tuis agendi ratio lege statuere vetuit, quod a volentibus et ex charitatis motivo incitatis desideras. [118:] Et ideo hujus legis observantiam Spiritus tuus nec per Ecclesiæ præcepta injunxit. Fors tamen non erro credens, quod salutaris consilii loco multis aliis devotionibus præferendo hujus legis observantia respectu septimi anni suaderi posset, si se non opponeret avaritia, quæ uno anno non seminando et terram incultam relinquendo unumquemque in egestatem deductum iri fortius non imprimerebat mentibus hominum, quam misericordia in pauperes persuaderet et fides viva contrarium credere faceret. Sed quid in rem<sup>c</sup> civilis quoque regnum principiumque politicæ sanius, conservationi familiarum civiumque utilius hac lege jubilæi statui<sup>d</sup> posset? Regna enim, quæ magnatum acquirendi cupiditas, pauperum oppressio sæpe subvertit, conservata statuum æqualitas et adempta bona

<sup>a</sup> In rasura (*jil?*)

<sup>b</sup> -den- in rasura

<sup>c</sup> Supplevit *in rem* supra lineam

<sup>d</sup> Correxit *statui ex statuere*

<sup>1</sup> Cf. Pater noster (Matth. 6,12).

<sup>2</sup> Cf. Act. 4,35.

quoquomodo acquirendi facultas conservaret, usuarios coiceret, mercatorum aviditatem refrenaret et lex tua in suo vero spiritu exsecutioni mandata benedictionem tuam obtineret. Denique tota hæc lex justitiae tuæ conservationi societatis humanæ civilique vitæ tam conformis est, ut auctore suo digna appareat, et in<sup>a</sup> hunc fidem solummodo condita esse videatur, nec igitur quærit figuram in illa debilitas mea, sed auctorem ejus in omni humilitate adorat, et si placitum est tibi, Domine, optaret inter homines ejus usum videre.

Sed si te adjuvante, Domine, sensum spiritualem quoque hujus legis considero, legem a Christo per Apostolum nobis traditam hujus legis adimptionem et perfectionem esse reperio. Prout enim per complures versus hujus capititis populo repetiisti tuam esse terræ, [119:] quam dedisti, proprietatem, et se debere populum tantum velut incolas reputare, vere ita et nos omnia tamquam non possidentes possidere<sup>1</sup> et pro viatoribus peregrinisque super terram reputare deberemus continuis gemitibus aspirantes ad patriam nostram et hereditatem, cuius nos coheredes<sup>2</sup> efficere dignatus es. Vere, Domine, sordet illi humus, qui hanc reflexionem per gratiam tuam in viva fide facere potest, et annum illum jubilæi vere magni sabbathi impatienter exspectaret, si se voluntati suæ subjectum non teneret. Tunc subsequetur misericors illa tua debitorum remissio et hereditatis filiorum tuorum restitutio. Tunc clangentibus per quatuor ventos buccinis vocabuntur filii tui ad accipiemad hereditatem per primogenitum Fratrem in possessionem bonorum æternorum introducendi, ubi nulla amplius servitus, nullus temporalis incolatus, sed sempiterna possessio, perennis fruitio, semper duratura jubilatio succedet annis miseriарum, peregrinationis et exsultatus nostri. Tunc requiesces, Domine, ab operibus tuis, dum omnia unientur tibi. Cum enim omnia redibunt ad centrum perveniendo<sup>b</sup> ad finem suum, requiem succedere oportet motui, in quo extra centrum constituta omnia inquietudini subjecta esse oportet.

O Deus, recordare miserationum tuarum, respice miseram et tot condicionis meæ miseriis expositam creaturam tuam! Scio, Domine, quod sicut terram lacte et melle manantem sub illa condicione promiseras populo, si mandatorum tuorum observantia fidelis fuerit, ita et mihi hanc optabilem hereditatem promittere dignatus es. Fidelis es, Deus, in [120:] promissionibus tuis, sed ego infidelis fui et, eheu, sum quotidie in observandis obligationibus meis. Hinc dum diem hunc magnum valde, diem jubili et jubilæi respicio, gadeo, quia te miserente spero, contribulor, quia infidelitates meas timeo, sed consolor, quia te diligendo timens confido. Et quia me voluntati tuæ subjicio, te miserente tranquillus exspecto.

#### SUPER CAPUT 26.

Ecce, Domine, dignatus es mandata tua dare populo tuo per manum Moysis. Statuisti cuncta, quæ cultum tuum respiciunt, quæ vitam illorum moralem concernunt, quæ denique justitiam tuam et ordinem ejus respiciunt. Illas leges æternas, has pro ratione temporum et status accommodatas; et in præcedenti capite clare edixisti populo tuo: (23) Terra quoque non vendetur in perpetuum, quia mea est, et vos

<sup>a</sup> Supplevit *in in* margine

<sup>b</sup> Correxit *-do ex -tis* (in rasura)

<sup>1</sup> Cf. I Cor. 7,30.

<sup>2</sup> Cf. Rom. 8,17.

advenæ et coloni mei estis. Omnia, quæ hactenus feceras cum populo tuo, manifestabant omnipotentiam tuam et supremum dominium tuum non solummodo super ipsos, sed super universam naturam. Justum igitur est, ut hic concludens leges tuas denuo repetas (1) te esse Dominum et Deum ipsorum. Præmones igitur, ne sibi idolum et sculptile faciant, nè titulos erigant, ne insignes lapides ponant in terra sua, ut adorent eum. In his enim potissimum consistebant superstitiones eorum, qui te, Deum [121:] quærebant in adinventionibus suis.

Et postquam hæc præcepisset justitia tua ex eo, quod sis Dominus Deus ipsorum, (2) exigis, ut custodiant sabbatha tua et paveant ad sanctuarium. Quare? Quia tu Dominus. Suffecissent profecto illa, quæ hactenus fecisti cum populo tuo, ut hæc exigeres ab illo jure Domini, sed non suffecerunt infinitæ misericordiæ tuæ, quæ etiam opera, quæ præstare tenebantur, ex justitia seu ex obligatione Domino suo præmiare et retribuere voluit, et ecce, promittis, (3) si in præceptis tuis ambulaverint, si mandata tua custodiverint et ficerint ea, daturum te illis in sequentibus versibus denotata bona, ex quorum attenta consideratione colligere potest homo, quæ sit felicitas terrestris et in quo consistat (ut ita dicam) beatitudo sensualis. Quæ tamen etiam originem suam trahit e cælo secundum cursum naturalem quoque considerata.

Primo igitur omnium promittis pluvias de cælo, sed temporibus suis, ut appareat ordo ille sapientiæ tuæ, quæ omnia ita disposuit, ut in temporibus suis dentur, ut bona sint, alioquin flagella sunt. Sicut essent pluviae extra tempus datæ, et hæc pluviae in vita<sup>a</sup> spirituali populi tui spiritualis figurant pluvias illas salutares gratiarum, quas das temporibus suis, quæ germinare faciunt (4) terram aridam naturæ nostræ, germen suum, non alienum, id est, germen status et vocationis nostræ, et pomis, fructibus nempe bonorum operum replentur arbores, quæ per se nonnisi [122:] folia producere possunt (5). His pluviis salutaribus irrigata terra hominis producit messem seminis verbi tui et messem hanc apprehendit tritura contemplationum, hanc tritaram vendemia<sup>b</sup> sequitur dans vinum confortans, et hæc<sup>c</sup> vendemia<m><sup>d</sup> occupat semen et comedit novum·panem verbi tui in saturitate, et sic homo absque pavore habitat in terra, quia in tranquillitate spirituali vivit, (6) quoniam das pacem in finibus suis, quæ pax distinctum et gratuitum donum tuum est. Tunc dormit, et non est, qui terreat. Prout enim dormiendo usus sensuum suspenditur, ita et in vita spirituali pax non degustatur, nisi sensualitates domentur, et tunc nemo est, qui terreat, quia spirituales anxietates cessant. (7) Tunc persequitur homo inimicos suos, temptationes nimirum carnis et dæmonis, et corrunt coram illo, (8) persequitur quinque sensus inimicos suos et centum boni instinctus decem millia pravarum suggestionum persequuntur, et cadunt inimici hi gladio charitatis transfixi in conspectu suo. (9) Sed tunc quoque oportet, ut respicias, Domine, et crescere facias et firmes pactum tuum, (10) ut comedat homo contemplando vetustissima veterum magnalium tuorum, et vetera (novis supervenientibus reflexionibus) quodammodo projicit. (11) Sed oportet, ut dans justitiam (seu charitatem habitualem) ponas tabernaculum in medio ejus, et non abjiciat illum anima seu spiritus tuus [123:] tradens hominem sibimet ipsi. (12) Necessæ est igitur, ut ambules et opereris cum ipso, et sis Deus illius, ille autem e numero populi tui.

<sup>a</sup> Correxit

<sup>b</sup> Sic!

<sup>c</sup> Correxit *hec ex hanc*

<sup>d</sup> Correxit *-a ex -am*

Hæ sunt, Domine, benedictiones spirituales per benedictiones terrestres figuratae. Hæc est vita beata populi spiritualis per populum carnalem figurati. Ad hunc populum spiritualem pertinet proprio sensu, (13) illum enim eduxisti per Filium tuum de terra Dæmonis, ne servirent illi, et confregisti catenas cervicis eorum, ut inciderent erecti, sed vice versa, (14) quodsi non audierit te hic populus nec fecerit omnia mandata tua, (15) si spreverit leges tuas et judicia tua contempserit et non fecerit ea, quæ a te constituta sunt et ad irrum reducat pactum tuum, (16) visitas velociter in egestate sua relinquendo hominem et in ardore concupiscentiæ, qui conficit oculos ejus offuscando et consumit animam. Tunc frustra serit sementem verbi tui, quæ ab avibus in parabola Christi<sup>1</sup> de seminante indicatis tamquam hostibus devoratur. (17) Ponis faciem tuam contra illos, qui veritatem non vident, et currunt coram hostibus, subjicitur Diabolo, qui odio habet illam, et sic fugit veritatem nemine persequente, (18) sed si nec sic obœdierit tibi homo, addit correptioni septuplum propter peccata. (19) Conteris superbiam duritie ejus, quæ omnia de se præsumere solet, et cum retrahis efficaces gratias tuas, fit illi cælum ferreum et terra naturæ ejus ænea, (20) et sic consumitur incassum labor illius, nec terra ejus germen, nec arbor operum salutiferos fructus præbet. (21) Si ambulaverit ex adverso tibi in via iniquitatis, nec te audire voluerit, addis plagas tuas in septuplum propter [124:] peccata, et sic immittuntur in hominem (22) passiones sensuales tamquam bestiæ agri proprii, quæ consumunt illum et opera ejus ex instinctu facta, et sic rediguntur ad paucitatem et desertæ fiunt viæ ejus. (23) Quodsi autem nec sic voluerit recipere disciplinam, sed ambulaverit in viis peccati (id est ex adverso tibi), (24) tu[nc]<sup>a</sup> quoque ex adverso incedis, Domine, et percutis septies propter peccata (25) inducens super illum gladium ultorem fœderis tui, qui gladius est justitiæ tuæ reprobans animam et in manus hostis sui, Diaboli reprobatus.

(26) Reliqua hic contenta prophetica sunt, prout litteraliter intellecta, (hæc quæ spiritualiter rettuli), pariter prophetica fuerunt respectu populi tui carnis, Domine, in quo secundum diversitatem temporum et prævaricationum ejus hæc omnia completa sunt, de quibus dignata est illos quodammodo præmonere bonitas tua. Hæc postrema flagella tua nunc quoque videmus in illis, (40) donec confiteantur iniquitates suas et majorum suorum, quibus prævaricati sunt in te, (42) et denuo recorderis fœderis tui, dum nimurum advenerit tempus misericordiæ tuæ et multitudo gentium intraverit in Ecclesiam tuam, prout de his futuram misericordiam tuam, Deus, Scripturæ prædicunt. Sed nec cælum et terra præteribunt, donec omnia et vel unum iota verborum tuorum compleatur<sup>2</sup> (45).'

Hæc sunt, o Deus, judicia atque præcepta et leges, quas dedisti in sensu litteræ filii Israel in Monte Sinai per manus Moysi. [125:] Hæc sunt judicia, præcepta et leges, quas dedisti in sensu Spiritus per Filium tuum in Monte Calvariæ. In illo enim demeruit nobis Spiritum, quem reliquit, per quem legem tuam (docente et explicante Spiritu ejus per Ecclesiam) intelligimus et te adjuvante sequimur. Ruminabo itaque denuo pœnas, quibus te castigaturum minaris populum mandatis et legibus tuis rebellerem, (16) et dilucidabo, quæ per gratiam tuam jam rettuli.

Prima visitatio tua est egestas illa spiritus, in qua homo fastidit spiritualia, et respectu illorum pauper efficitur, quia negligit et seponit illa. Hujus autem egestatis sequela est

<sup>a</sup> Correxit tu ex tunc

<sup>1</sup> Cf. Matth. 13,3 sqq.

<sup>2</sup> Cf. Matth. 5,18.

ardor, qui conficit oculos, nec amplius videt aut discernit illa, quæ spiritus sunt. Sed primo per ardorem oculorum fertur ad extra videre, quæ curiosa sunt. Hic ardor conficit primo oculos spirituales, qui caligare incipiunt et sic consummatur anima quoque egestate in caligine. **Dum** itaque in hunc statum pervenit homo, veritates spirituales non videns ad vana, illusoria et a veritate aliena deflectit, et sic opponitur faciei veritatis tuæ, Domine, et corruit in temptationibus sensualitatis, quibus tamquam hostibus subjicitur incipiens fugere veritatem nemine persequente. Tunc, o Domine, aggravas manum tuam super peccatore propter peccata, et quia in illo statu jam ad gradum illum præsumptionis pervenit, ut non amplius a te, sed a cupiditatibus suis ducatur in remorsibus conscientiae suæ, consulis quandoque Scripturas in superbia et in duritie sua, sed hæc dispositio reddit cælum ferreum, et quia gratiis tuis abutitur, propter superbiam et duritatem ejus retrahis gratiarum tuarum efficaciam, et sic terra quoque cordis [126:] sui fit ænea. Consumitur incassum labor ejus, quia nihil facit in bona dispositione et intentione, et ideo nec dicta terra cordis ejus germinat, nec opera fructificant.

Sed, o Domine, quia numquam tam justus es, quin sis et misericors, ideo numquam privas illum gratiis communibus, quibus si bene uteretur, ampliores promereretur. Sed si his abutitur ambulans ex adverso tibi, nolens audire te, auges plagas tuas in septuplum, et dum illum integrum tradis sibimet ipsi, exsurgunt passiones ejus tamquam bestiæ agri, quia agunt per instinctum carnis et Diaboli, et sic fiunt desertæ viæ ejus. Nihil agit enim, per quod duci posset ad te, et sic in malo perseverans adhuc plus elongaris ab illo, quia ipse ambulat ab adverso tibi, et tandem inducis super illum gladium furoris ultricis justitiæ tuæ et reprobatus occiditur. His itaque instruit me bonitas tua longanimitatem, patientiam tuam. His mihi manifestat justitiam et misericordiam tuam. Denique clare doces, Domine, quam sæpe vocas, quamdiu exspectas, quam sæpe misericordiam exerces, antequam ex justitia reprobes.

O homo, vere egens es, et ardore confecti oculi tui consumunt animam tuam, qui hæc non vides in tantis exemplis, quæ tibi exhibet misericordia Dei tui, et cor tuum æneum esse oportet, cum bonitatem ejus non diligis! Convertere ad illum, o anima mea, audi mandata ejus, et sequere illa, ut recipias bona, quæ promisit diligentibus se et sequentibus in docilitate magistrum, [127:] Pastorem, Ducem, viam, veritatem et vitam,<sup>1</sup> quam dedit tibi!

#### SUPER CAPUT 27.

O Deus, quam stupendæ et incomprehendibiles essent mihi expressiones Scripturæ tuæ dicentis (1 et 2): Homo, qui votum fecerit et spoponderit<sup>a</sup> Deo animam suam, sub æstimatione dabit pretium, si me non reflecterem loqui te ad populum Israel carnalem. Sed inter illum quoque quis fuit (qui acceptata lege tua et se obligans sponte et libere ad sequendam illam) qui animam suam non vovit tibi? Et quod potuit esse pretium, quo redimere potuit illam, quæ tam pretiosa fuit in conspectu tuo, ut in redemptionem ejus Filium tuum morti tradideris?

Et ecce, in sequentibus versibus limitas pretium animæ secundum differentiam annorum ætatis. Unde manifestatur mihi, quod secundum proprietatem linguae origi-

<sup>a</sup> Correxit *sprop-* ex *spon-*

<sup>1</sup> Cf. Ioan. 14,6

nalis hic anima sumatur pro vita et, per consequens, votum pro obligatione spontanea, quam quis libere suscepit, sed ad illam præstandam vel per ætatem vel per infirmitatem corporales ineptus et inhabilis redditus est. Unde haec, quæ hic referuntur, secundum communem explicationem interpretum respiciunt illos, qui se quoque modo (pia et bona intentione ducti) ad servitia externa, ut ita dicam, tabernaculi astrinxerant ex aliis tribubus, [128:] quam ex tribu Levi, cui, ut ita dicam, intrinsecum servitium tabernaculi commissum fuerat. Hinc vota hæc seu obligationes respiciebant opera illa (prout theologi vocant, supererogatoria), quæ vi obligationis legis facere non tenebantur, et quia in illis suscipiendis multi indiscrete procedere poterant, misericordia tuae, Domine, effectus fuit, quod populo hanc legem dare dignatus fueris, per quam se immunes et liberos reddere potuerunt ab obligatione hujus speciei, quoquomodo contractæ vel maxime cum ex (v. 5) appareat inter hos fuisse, qui ad similia vota per parentes suos obligati fuerant, antequam annos discretionis attigissent. Quodsi igitur combinentur hæ duæ expressiones, nempe (2) homo, qui votum fecerit et sponderit<sup>a</sup> Domino animam suam, et (28) omne, quod Domino consecratur, sive homo fuerit sive animal ..., non vendetur, nec redimi poterit, quidquid semel consecratum fuerit, sanctum sanctorum erit Domino (29). Et omnis consecratio, quæ offertur ab homine, non redimetur, sed morte morietur.

Te, Domine, illuminante apparet differentia respectu sponsonis et consecrationis, non dico consecrationis illius, quæ unctiones concernebat (quia hic non de illa consecratione loquitur Scriptura, cum illam etiam ad animal et agros extendat), sed sub expressione hac credo hic intelligi sollemne votum, per quod se obstringit homo, aut, ut clarius dicam, publica coram facie Ecclesiæ facta missio, prout respectu plebis tuae [129:] spiritualis est missio in baptismate facta, a qua nemo immunis reddi potest. Hujus generis vota (aut, ut cum Scriptura loquar, consecrationes) sunt vota religiosa, per quæ se quis obligat ad illa, quæ in baptismate promisit spiritualiter, etiam corporaliter servari coram facie Ecclesiæ spondet et vovet, et de his ampliores reflexiones faciendi occurret occasio in libro Numerorum.

Hic enim de primi generis votis seu sponsonibus statuis leges, Domine, quæ (prout nunc explicantur) firma proposita vel particularia non sollemniter coram facie Ecclesiæ enim vota respiciunt et vi legis hujus in duas classes repartita sunt. Primæ sponsones sunt sponsones respectu propriæ personæ factæ, alterius speciei sunt, quæ animalia ad sacrificium oblata aut agros et domos tibi in persona sacerdotum datas concernunt, et quia in sacrificium oblata animalia figurativa fuerunt, consecrationem directe tibi factam sapiebant, et ideo (9. 10) mutari nullo modo potuit animal nec melius malo, nec pejus bono. Quodsi mutatum fuit, et ipsum, quod mutatum est, et illud, pro quo mutatum est, consecratum erat tibi, Domine. Hinc colligo illa, quæ tibi per personas sacerdotum offerebantur (domus nimirum et agri), figurativa fuisse, sed considerabantur tamquam pia oblata, quæ modis per ordinem justitiæ tuæ præscriptis mutari poterant convertendo in pretium, quia [130:] sponsones in (v. 2) respectu hominum factas sapiebant, non consecrationes et vota solemnia.

Omnium horum, quæ in hoc capite continentur, salutarem praxim retinuit Spiritus tuus, Domine, in Ecclesia secundum statum populi tui spiritualis accommodatam, quia Spiritus novæ legis præceptorum tuorum perfectionem nos docuit. Omnes enim

<sup>a</sup> Correxit *spon-* ex *spon-*

## [1:] CONTINUATIO MEDITATIONUM IN FORMA SOLILOQUIORUM SUPER LIBRUM NUMERI

### SUPER CAPUT I.

Descenderat Moyses de monte clarificata facie, tulit secundas tabulas lapideas, promulgavit legem, erexit tabernaculum, consecravit Aaron et per præcedentem legem Leviticam te inspirante, Deus, ordinavit omnia, quæ ad cultum tuum spectabant. Et ecce, hic in libro, qui Numerorum vocatur, instituis gubernium politicum populi tui, Domine. Quam admirando et adorando mihi ordine procedunt hæc! Moyses Aaron consecravit, et occasione consecrationis illius ipse Moyses victimas immolavit, Aaron vestibus induit, sed postquam hæc perfecisset, in ducendo<sup>a</sup> et in gubernando populo regalem characterem Christi figurare videtur, prout Aaron sacerdotalem repræsentat.

Sed te illuminante, Domine, hæc, quæ mihi exhibere dignaris, sub duplici respectu et sensu (litterali nempe et spirituali) [2:] consideranda sunt, ut eo melius apparent magnalia tua in utroque gubernio, spirituali et temporali patefactæ. Spirituali dico non solummodo in tantum, in quantum spirituale plebis Israel gubernium respiciunt, sed in quantum figuræ fuerunt nascentis Ecclesiæ. Nam ipsa connumeratio populi, cuius generatio repræsentatur in Genesi, captivitas et exitus in Exodo, hic instituitur (v. 1. 2), ut figuret veritatem illam nobis per Filium tuum revelatam (quæ in subsequentibus adhuc clarius et horribilis apparebit), quam sit nimirum exiguis numerus electorum. Quodsi enim populi istius, quem elegisti in peculium tibi, Domine, numerus respectu totius generis humani consideretur, in omnibus his connumerationibus hæc veritas patebit, et in ingressu hujus populi in terram promissionis modo nobis vix comprehensibili indicatur.

Status igitur Ecclesiæ militantis in hoc libro Numeri repræsentatur, in quantum in sensu extenso per gratias efficaces vocati in illam electi dici possunt respectu illorum, qui non vocantur, nisi per gratias communes, per quas omnes homines vocas et sufficientes, quamvis non respectu omnium efficaces gratias largiris. In hoc sensu repræsentatur itaque hic mihi Christus in Moyse inter duodecim apostolos suos tamquam principes tribuum, quodammodo subdividens genus humanum et eos principes super omnem orbem terrarum constituens, numerum tamen per efficaces gratias vocandorum in Ecclesiam in æternis decretis suis prædefiniens, et hos credo (3) designari per viros [3:] fortes ex Israel, qui connumerari jubentur, et per illos, qui hanc connumerationem ingressi non sunt, gratis communibus vocandi designantur.

Hæc sunt, o Domine, quæ ego respectu figurarum te adjuvante video, sed respectu sensus litteralis non minus adorandus est mihi ordo, quem instituis respectu gubernii politici populi tui. Dignatus fuisti, Domine, demonstrare mihi in quibusdam reflexionibus meis tripliciter te manifestasse hominibus, scilicet per manifestationem essentiæ tuæ Moysi per verbum Ego sum, qui sum factam, per manifestationem virtutis et potentiae tuæ in eductione et conductu populi tui, tandem per manifestationem veritatis per Filium tuum. In his igitur, quæ hic et in sequentibus littera

<sup>a</sup> Correxit in ducendo ex inducendo

refert, est mihi singulariter consideranda manifestatio virtutis seu potentiae tuae, et haec requisivit manifestationem ordinis, in quo omnia regis et gubernas, quem in manifestatione veritatis Filius tuus instituit per Spiritum suum in Ecclesia militanti.

Ut igitur sensibilibus modis pateat hominibus virtus potentiae tuae, siquidem populum tuum in manu forti decrevisti educere ex captivitate et in brachio excenso inducere in terram promissam gentesque per abominationes suas mensuram iniquitatis replete a facie ejus extirpare per arma populi statuisti ex justitia. Ex hoc consequenti oportuit talem ordinem instituere inter illum, ut ad bella tua ducenda redderetur idoneus. Ex hac litterali consideratione historiae populi tui edocemur itaque adorandum [4:] ordinem sapientiae tuae exigere, ut sicut tu, Deus, omnia gubernas unus in essentia, ita omne ordinatum gubernium, omnes subdivise potestates reducantur ad unitatem, in qua reuniantur omnis potestas seu in uno homine seu in compluribus eodem jure gaudentibus.

Sed in te, Deus, duo sunt praedicata essentialia, per quae omnia gubernas: justitia misericordia, quae procedunt a charitate tua erga omnia creata. Hinc oportuit esse ministros justitiae et misericordiae tuae, quae ministerialia munia respectu tui erant potestates respectu populi. Hinc exsurgit potestas justitiae in principibus, potestas misericordiae tuae, Deus, in sacerdotibus, sed quoniam numquam justitia tua separatur a misericordia, nec haec ab illa, ideo in hac ministeriali separatione quoque, quam dixi, una alteram non excludit, quamvis separata appareat. Prout enim princeps exercet etiam misericordiam in temporalibus, ita et ministerium sacerdotalis justitiam administrat in spiritualibus. Sed in quantum principes gladium justitiae tuae portant, sacerdotes dispensatores gratiarum tuarum sunt, locum habere potest hoc differens ministerium et quodammodo separat potestas justitiae et misericordiae. Vere enim a potiori princeps exercet justitiam qua justitiam, sed sacerdotes exercent justitiam, ut tu, Domine, facias misericordiam.

Sensibilis est mihi haec repartitio statim ab initio gubernii populi tui, et haec veritas hodie quoque subsistit. Ministri justitiae principis sunt [5:] magistratus et milites, sed quia principes quoque respectu tui ministri sunt, hinc fit, quod per magistratus exerceatur justitia interna regnum, per milites justitia externa in populos, quos flagellare statuens justitia tua, Deus, bella imimit, quae semper ex hac causa justa esse oportet, secus enim principes ministri justitiae tuae peccant contra illam et deviant ab ordine illius.

Jam Scriptura rettulit instituisse Moysen ministerium justitiae civilis ex consilio Jethro socii sui, huic autem te jubente ordinat ministerium ad manifestandam virtutem justitiae tuae in populos, quos extirpare decrevisti. Connumerantur itaque viri fortes in Israel per turmas suas, quae ex consilio Jethro jam suos decanos, quinquagenarios et centuriones habuerant, et totus populus subdividitur in duodecim principum potestatem, qui erant principes tribuum, quos tumet ipse nominas, Domine, (45) fueruntque omnis numerus filiorum Israel per domos et familias suas ..., qui poterant ad bella procedere 63 550 (46). Sed ecce, in hac prima connumeratione separantur Levitae, nec connumerati sunt (47). Ex his formatum fuit ministerium misericordiae tuae, Domine, quibus ad impetrandam et exercendam illam leges dedisti in Levitico. Et hic (v. 49 etc.) functiones eorum designas respectu ministerii tabernaculi et vasorum ad cultum tuum pertinentium. Et hic cultus tuus spectabat ad regimen misericordiae tuae, quae in illo figurata fuerat.

Hæ sunt, Domine, considerationes, quæ [6:] respiciunt populum tuum tamquam ministrum justitiae tuæ, sed in quantum hunc ipsum populum respicio qua figuram Ecclesiæ militantis, hæc, quæ mihi exhibentur, spiritualiter consideranda occurunt. Bellum gerit Ecclesia tua contra mundum, carnem et Diabolum in concreto considerata et quodlibet membrum ejus in individuo quoque eadem bella gerit contra passiones suas, sed ad hoc bellum nonnisi fortis illi viri connumerantur, qui per gratias tuas efficaces fortis redduntur. Ceteri enim quamvis in Ecclesia comprehendantur, ad hæc bella inepti sunt. Respectu hujus belli singulariter Christus, caput Ecclesiæ suæ invisibile, Dux noster est, et bellum hoc geritur invisibiliter, in quantum spiritualiter exercetur, non tamen minus realiter, et propterea etiam gubernium temporale visibile per capita visibilia in Ecclesiæ, per principes nimirum et sacerdotes subsistunt ita, ut Christus Ecclesiæ suæ corpus utroque modo, visibili nimirum et invisibili regat per visibles vicarias potestates jam dictas justitiae et misericordiae suæ, ipse autem regit qua rex et pontifex per invisibilem spiritum suum gubernans et disponens omnia.

O mysteriosum, o adorandum, sanctum, regale et sacerdotale Christi gubernium, quam potens, quam suave es spiritui et quam incomprehensibile appares sensibus hominum, qui non intrant in connumerationem fortium bellatorum in hoc Israel spirituali. Hi et illi educti sunt ex servitute per baptismum. [7:] Peregrinantur, sicut illi, qui ex populo connumerationem ingressi non fuerant, sed non bellant, castra tamen sequuntur (51). Levitarum munera fuit deponere, portare, erigere tabernaculum et utensilia illius, et quisquis exterorum accesserat ad illa, occidebatur. Majestatis tuæ sensibilis repræsentatio hunc rigorem requirebat, Domine, et ordo justitiae tuæ jam tunc demonstravit velle te, ut quilibet in functione, ad quam vocatus est, serviat tibi.<sup>1</sup> (53) Porro Levitæ per gyrum tabernaculi figebant tentoria, ne fiat indignatio super multitudinem filiorum Israel, et excubabant in custodia tabernaculi testimonii. Ecce, functio ministrorum singulariter misericordiæ tuæ! Manent circa tabernaculum, ne fiat indignatio. Hic est character ille mediatoris, Christi, summi Pontificis nostri, quem ille sacerdotibus suis in tantum communicat, in quantum sunt ministri et ipsius et populi. Christus enim sacramenta per illos dispensat, populus se per illos offert et per manus illorum hostiam immolat, et hujus mediatoris characteris proprietas est excubare, ne fiat indignatio super multitudinem filiorum Israel.

Quam admirabilis est ordo, Domine, quem in veritate instituisti in Ecclesia tua, in qua hic mediatorius character a Christo participatus in eo longe excellentior est, quod hostias, quas offerunt, gratias, quas dispensant, in veritate offerunt, nec amplius figuræ, sed velatæ realitates sunt. (54) Hæc Ecclesia tua est, Domine, de qua dici potest, quod faciat juxta omnia, quæ præcipit illi caput, dux, legislator, sponsus suus, sed sicut hæc [8:] Scriptura refert de illo populo, qui connumeratus est et constabat ex fortibus Israel, ita etiam docilitas in populo tuo spirituali non cadit nisi super illos, qui fiunt fortis per gratiam tuam. Fac me igitur talem, Domine, ut comprehendatur nomen meum inter illos, qui connumerati sunt, non solummodo inter imbelles, qui tamen in castris manebant, sed quæ præceperas, non faciebant.

<sup>1</sup> Cf. 1 Cor. 7.20.

## SUPER CAPUT 2.

Adjuva me, Domine, ut persistam in conspectu tuo, et redde mentem meam atten-  
tam ad magnalia tua. Hunc ordinem enim, quem instituere continuas, non tantum  
spiritualiter, sed et temporaliter est utile mihi et convenit considerare tamquam fun-  
damentum omnis artis bellicæ, quæ ex hac institutione tua sumpsit originem. Ut  
igitur (prout jam in præcedentibus dixi) omnis potestas reuniatur in Moyse, ductore  
exercitus tui et vicario tui visibili inter populum, duodecim principes tribuum ad  
quattuor castra repartiris, ut in solitudine et undique patentibus locis gradiens et  
commorans exercitus æquale undique acquireret robur et eandem haberet defensio-  
nis facilitatem. (2) Singuli igitur per turmas signa, vexilla et domos cognationum  
suarum castra metari jubentur, per gyrum tabernaculi fœderis, sed in subsequentibus  
non solummodo in quattuor castra divisum populum quadratain castri metationem  
formare jubes, sed qui ad orientem, qui ad [9:] meridiem, qui ad occasum et ad  
septentrionem considunt, ipsem et designas.

Unde adhuc clarius agnosco hunc ordinem militarem secundum omnes defensio-  
nis regulas institutum vivam figuram esse exercitus totius Ecclesiæ per quattuor  
partes mundi diffusæ et militantis, in cuius medio est Spiritus Christi, sicut taberna-  
culum repræsentatur in medio Israel, et inter populum et tabernaculum in quadro  
considentes Leviatæ repræsentant characterem illum mediatorum in sacerdotibus,  
quibus competit dispensare nobis verbum et gratias tuas, Deus, et offere tibi, Pater,  
vitulos labiorum nostrorum<sup>1</sup> cum Christo, in Christo et per Christum uniendos tibi in  
sacrificium. Et ex hac ipsa repræsentatione hujus characteris apparet, (33) cur Levi-  
tæ non fuerint numerati inter filios Israel.

## SUPER CAPUT 3.

(1) O Domine, ad clariorem intelligentiam horum, quæ hactenus in Monte Sinai  
acta fuisse repræsentavit Scriptura, reflectendum est mihi de novo Moysen post  
clarificationem faciei suæ attulisse legis tabulas, quæ repositæ sunt in arca, ordinas-  
se, erexisse consecrasseque tabernaculum Aaron et filios ejus, et te, Domine, ad  
solum Moysen mandante conscriptum fuisse populum, et hic de novo (5) soli Moysi  
loqueris dicens: (6) Applica tribum Levi, et fac stare in conspectu Aaron sacerdotis,  
ut ministrent ei et excubent (7) et observent, quidquid ad cultum [10:] pertinet mult-  
itudinis coram tabernaculo testimonii, (9) dabisque dono Levitas (10) Aaron et filiis  
ejus, quibus traditi sunt a filiis Israel. Aaron autem et filios ejus constitue super  
cultum sacerdotii. Externus, qui ad ministrandum accesserit, morietur.

Quid in his (quæ Moyses te directe ad eum mandante egit) clarius designatur,  
quam quod Christus post resurrectionem et glorificationem suam manifestavit apo-  
stolis: Data est mihi omnis potestas.<sup>2</sup> A quo? Profecto a divinitate, quam Moyses ex  
mandato tuo agens, Domine, singulariter in consecratione Aaron figuravit. Non so-  
lum Aaron consecravit autem, sed et filios ejus cum ipso, ut sole clarius figuraretur  
potestas sacerdotalis a divinitate humanitati Christi et mystico corpori ejus (seu

<sup>1</sup> Cf. Osee 14,3.

<sup>2</sup> Data....: Matth. 28,18.

Ecclesiæ) in Christo, cum Christo, per Christum participavit, et sic manifestatur sacerdotes ministros tuos, Deus, esse directe et mediatores dispensatoresque gratiarum tuarum, sed oportere, ut omnia cum Christo et per Christum agant, quæ functio-nes eorum concernunt. Et sic sacrificia orationum fidelium offerunt et sacramenta conferunt [11:] in unita potestate cum Christo. Quidquid igitur in his faciunt, Christus facit sum ipsis, per ipsos, in ipsis agens per Spiritum, et in hac virtute agunt consecrando, peccata remittendo, ordinantes characterem communicando etc.

Ex his manifestatur mediatorius character sacerdotum inter te, Deus, et populum, qui hac plenitudine characteris sacerdotii non gaudet. Plenitudine, dico, quia non plus conferre potest, quam in quantum characterem sacerdotalem secundum quid<sup>a</sup> recepit omnis homo per baptismum in sanguine Christi. Hinc fit, quod ab omni homine per formulam institutionis collatus baptismus validus est, quia omnis homo in sanguine Christi baptizatus est virtualiter, et sic hunc baptismum etiam applicare potest per formulam, quamvis baptizans non recepit formaliter applicationem hujus sanguinis per sacramentum. Sed ut iste character sacerdotalis respectu fidelium clarius constet, per unctionem quoque repræsentatur in baptimate, quam tamen unctionem non docet Ecclesia necessariam esse ad salutem, quia non oleum, sed aqua præbet testimonium cum sanguine et Spiritu.

His præmissis ex harum veritatum quoque figuris clare appareat omnes ecclesiasticos gradus inferiores ministeriales esse respectu sacerdotum, et solos sacerdotes ministros esse tuos respectu populi et ministros esse populi respectu tui, sicut mediatores esse oportet; sed hoc mediatorio officio nonnisi per [12:] Christum, in et cum Christo fungi debere, prout jam dictum est. Sed, o Domine, si hæc sic se habent, si (10) Levitas a filiis Israel traditos esse dicit Scriptura, Aaron et filios<sup>b</sup> ejus super cultum sacerdotii constitutos, cur dicis: (12) Ego tuli Levitas a filiis Israel pro omni primogenito erunque Levitæ mei? Tenebrosa est hæc mea quæstio et prorsus obscura est illis, qui omnem cultum relativum superstitionis esse dicunt, sed non mihi per gratiam tuam illustrato, qui ex his clare video Levitas tibi per sacerdotes tamquam mediatores fuisse datos et te quoque Levitarum ministerium per sacerdotes acceptasse et ut tui sint, instituisse, ut offerantur a populo Aaron et filiis, ut per hos mediatores applicati ad ministerium tuum segregatos offert sibi populus, ut ordinentur in sacerdotes. Hinc requiruntur in ordinationibus assistentes, qui populum repræsentant. Hæc autem Ecclesia hodie quoque practicat per Spiritum summi Pontificis nostri edocta in exemplo primi concilii Jerosolymitaní,<sup>l</sup> in quo Matthias et Joseph a toto concilio oblati fuerunt tibi, et a te, Domine, Matthias per sortem inter apostolos annumerari meruit, quia apostoli necdum Spiritum repererant, qui illos omnia docuit, sed edocti per illum subsequenter per impositionem manuum, quod habuerunt, communicarunt fidelibus, quos constituerunt in sacerdotes.<sup>c</sup> Sed hæc occasionaliter [13:] relata sunt! Non est enim propositi mei lucem doctrinae Ecclesiæ per figurarum tenebras illustrare, sed potius ex illarum obscuritatibus veritates, quas hæc docet, pro nutrimento fidei meæ eruere, ut sic novam legem reperiens in veteri spiritus Scripturarum vivificet spiritum meum, et sic ubique te, veritatem æternam reperiam et adorem.

<sup>a</sup> Supplevit *quid* in margine

<sup>b</sup> Correxii *-os* ex *-is*

<sup>c</sup> Supplevit post ultimam lineam *quos constituerunt in sacerdotes*

<sup>l</sup> Cf. Act. 15.

In castri metatione populi Juda ad partem orientalem recubuit, Moyses quoque ad eandem partem castra figere jubetur cum Aaron (38) habentes custodiam tabernaculi in medio filiorum Israel. His quoque figurabatur Ecclesiam prima castra sua in Oriente metaturam et in illo tabernacula fixuram, donec se extendens ad meridiem dilataretur ad occidentem et orbem repleret per septentrionem. Vere, Domine, dignus es tu, Deo ordo, quem in hoc capite circa ministeria tabernaculi instituis et munias in familias Levitarum repartiris. De funibus, de paxillis tabernaculi curam geris tu, qui omnes capillos hominis numeratos habes, nec ullus de illis decidit te nolente.<sup>1</sup> Omnis status et dignitatis homines normam possunt reperire in his, quomodo domestica servitia repartienda sunt, ut qui subsunt, illa curare, qui præsunt, rationem de illis exigere noscant, quæ uniuscujusque curæ committuntur.

Hunc ordinem in illis, quæ hic circa tabernaculum ordinasti, Domine, sensibilius observat debilitas intellectus mei, quam illum, quem instituisti, Domine, in administratione universalis œconomiae tuæ in creatis. Hinc ipsi beati ministeriales spiritus in hierarchias et [14:] choros, sic et omnis multitudo hominum in dignitates, status, denique differentes gradus repartita est. Quam beata esset in peregrinatione sua hominum condicio, si cupiditas et concupiscentia, ex quibus passiones nascuntur, hunc tam admirandum ordinem gubernatricis sapientiæ tuæ non turbarent et in omnibus statibus non confunderent. Ex hoc quoquo ordine institutionis tuæ agnosco ego, quam juste condemnat justitia tua amorem illum proprium, qui se plus respicit, quam hanc admirandam ordinationem tuam, quam contemnit agens omnia secundum voluntatem suam, non tuam. Ex his discernitur, quam juste exigas rationem perprimis de illis, quæ unicuique secundum statum vocationis et ordinationis suæ agere convenit. Non minorem curam injunxisti filii Merari (33. 36. 37) vectium, basium, paxillorum et funium, quam filii Caath (27. 28. 31) arcæ vasorum et altarium. Hinc justitia tua ab his de arca, ab illis de paxillis exigebat rationem.

Iste admirandus ordo, de quo meditandi hæ minutiarum repartitiones sensibilem dant occasionem, demonstrat mihi, quam justum, quam dignum fuit separare tribum unam præcise pro servitio tuo, Domine. Omnia aguntur aut potius agi deberent pro te, sed alia directius, alia indirectius referuntur ad te. Illa, quæ cultum tuum respiciebant, directius pertinebant ad te, quam illa, quæ populi multitudo militans agere debebat bellando ad exsequendum decretum justitiae tuæ in extirpandis gentibus, ad implendas promissiones tuas [15:] respectu acquirendæ terra promissæ, quamvis in consideratine obligationis Levitarum et populi hujus et illorum<sup>a</sup> eadem fuerit ratio. Ordo tamen exigit, ut quisque particulari obligationi suæ incumberet. Hinc Levitæ dispensabantur a pugnando et armigeri arcebantur a cultus tui administratione, respectu cuius pro exteris habebantur, quamvis Abrahæ filii et ejusdem promissionis heredes fuerunt. Quæ quia ita sunt, justitiæ et sapientiæ tuæ conforme fuerat pro cultu tuo primicias hominum in primogenitis exigere, in quorum morte redemisti et eduxisti totum populum ex captivitate. Primus homo peccavit, juste igitur in primogenitis apparuit justitia, ut in primogenito filiorum Dei manifestaretur misericordia, posteaquam in passione ejus satisfacta fuisset justitia tua. Hoc adorandum consilium sapientiæ tuæ figurabat exactio primogenitorum tamquam debitum. Dicis enim: (13)

<sup>a</sup> Corrigit!

<sup>1</sup> Cf. Luc. 21,18.

Meum est primogenitum, ex quo percussi primogenitos in terra Aegypti. Sanctificavi mihi, quidquid primum nascitur in Israel, ab homine usque ad pecus mei sunt.

Sed cum hæc ita sint, audeamne inquirere, Domine, cur pro omnibus primogenitis unam tribum exegeris, et hoc jus tuum, hoc debitum a toto populo, ut ita dicam, semel pro semper transferas ad tribum Levi? Profecto hujus conductus tui duplum causam dignaris manifestare mihi. Prima fuit ex ratione ordinis, ut cultus tuus melius, dignius et adæquatius administraretur ab una tribu in domos et cognationes suas ordine naturæ subdivisa, [16:] quam administratus fuisset a multitudine ex omnibus tribubus congesta, unde subsecuta fuisset tribuum confusio et generacionum, quas secundum ordinem consiliorum tuorum distinctas voluisti conservare. Secunda ratio fuit, ut sub unitate tribus figuraretur unitas illius Primogeniti, cui committenda erat veri cultus tui administratio, et in illo explendum erat debitum, ut subsequeretur non solum primogenitorum, sed omnium hominum redemptio et filiorum tuorum sanctificatio. Hanc autem sanctificationem virtualiter ad omne genus humanum et ipsasmet creaturas extendendam fora præallata expressio designat: Sanctificavi mihi, quidquid primum nascitur in Israel, ab homine usque ad pecus mei sunt. Hæ rationes demonstrant proinde (12), cur tuleris Levitas a filiis Israel pro omni primogenito, qui aperit vulvam in filiis, Israel, eruntque Levitas mei.

Sed unde Domine, plus tui, quam ceteri? Profecto ex ratione cultus, qui tamen secundum jam præcitatum versum 6. non nisi per Aaron et filios ejus seu per characterem sacerdotii referebatur ad te. Sic exsolutio debiti respectu primogenitorum refertur ad unitatem tribus Levi. Sic character sacerdotalis ad totum populum extensus Exodi cap. 19. v. 6: Et eritis mihi in regnum sacerdotale et gens sancta, in suo sensu restringitur ad tribum Levi respectu cultus, et hic character denuo restringitur, ut uniatur in sacerdotio Aaron et filiorum ejus, sacerdotium nimirum humanitatis Christi et Ecclesiæ figurans, quod sic redit ad [17:] divinitatem, a qua hæc et illa participavit, dum humanitas Christi omnem protestatem acquisivit.

O Deus infinite bonus, quam exaltandus es, et eo plus diligendus est mihi hic ordo sapientiae tuæ, quam Spiritus tuus, ecce, tam clare manifestat, littera autem sub tam obscuris figuris tegit illum, ut videntes non videant, legentes non intelligent, audientes non audiant<sup>1</sup> illi, quibus Spiritus tuus hæc non revelat. Revelat autem per ipsam modernam et visibilem Ecclesiæ tuæ hierarchiam, docet per illam et, ecce, illius doctrina clavis ad instar aperit mihi hæc arcana et removet figurarum velum fugaque omnem umbram illarum. Sentio itaque, non tantum spiritualiter video veritatem, et in quantum sentire das, intelligere et diligere facis opera tua. Hinc sacerdotalem characterem tamquam divinum revereor, et qua<sup>a</sup> divinum, indelebilem esse agnosco. Hinc illius unitatem reperio, sanctitatem admiror, ad illius obligationem horreo et de illius abusu, irreverentia (ne dicam, in tot millibus sacerdotum prostitutione) gemo.

Quidquid igitur lex tua<sup>b</sup> de Levitis præcipit, quidquid in cultu tuo instituit summus acerdos et Pontifex noster, in illis legem non solvit, sed implevit.<sup>2</sup> Cessarunt Levitarum functiones in hoc capite de portando tabernaculo et vasis institutæ, postquam arca testamenti super Sion requievisset, quia in quantum tabernaculum tem-

<sup>a</sup> Correxit ex *quia*

<sup>b</sup> In rasura (sic?)

<sup>1</sup> Cf. Matth. 13,13.

<sup>2</sup> Cf. Matth. 5,17.

plum Salomonis figuravit, quæ hoc templum respiciebant, adimpleta fuerunt, ideo cessare debuerunt, quamvis expressa lege abrogata non sint. Sic etiam illa, quæ post templum ædificatum continuata [18:] sunt, Christo legem adimplente cessarunt, quia impleta sunt. Sic quæ nunc circa cultum tuum, Deus, visibiliter aguntur, cessabant, dum per adventum cælestis Jerusalem promissio implebitur. Illius enim templum et sol tument ipse es,<sup>1</sup> Deus, in quo uinent omnia tamquam in centro, ad quod tendunt omnia, et in fine, pro quo creata sunt omnia.

Sed quo me abripuit contemplatio tam sublimium, tam profundarum veritatum? Profecto ad te, o Deus, ad quem me ducunt omnia, quæ in Scripturis reperio. Secus enim veritates non essent, si me alio ducerent. Sed me duxerunt per veritatem, et sic ad te perveni per Christum, ad quem me duxerat consideratio sacerdotalis characteris per figuram Aaron, ad quem perveneram per Levitas, ad Levitas per primogenitos, ad hos autem per considerationem operis redēptionis populi ex captivitate, et hoc opus ad te me reduxerat. Non fui igitur abreptus, sed mansi tecum, et unde inchoavi, illuc reversus sum, quia omnium finis et initium Christus,<sup>2</sup> veritas æterna, et per Christum tu, Deus, es.

Quo plus considero itaque, eo mysteriosior apparet mihi sacerdotalis character, per quem dispensantur nobis gratiæ tuæ, Deus, et eo majorem sanctitatem purioremque vitam requirit, quanto majorem unionem cum Christo oportet habere sacerdotem. Non absque causa dixi itaque sacerdotes esse ministros plus misericordiæ, quam justitiæ tuæ, quia ipsam justitiam exercent ex misericordia per potestatem ligandi. Ligant enim, ut efficacius solvant pænitentes. Separant, ut purificandi et sic reunieri dent occasionem. Omnim sacramentorum administratio [19:] hunc divinum in illis characterem manifestat, quem exercent cum Christo, in Christo per ipsos, sed præcipue manifestatur in potestate remittendi peccata, quod solus Deus facere potest. Hic Christus agit per ipsos et ipsi agunt cum Christo.

Quanta est, o Deus, hominum cæcitas, qui tanta mirabilia tua, tantam misericordiam tuam, tantum beneficium in Ecclesia militanti per characterem sacerdotalem largitum non agnoscent et non venerantur! Quantæ tenebræ illorum, qui statuerunt sacerdotem peccatorum sacramenta valide administrare non posse! Tales enim characterem illis impressum per communicationem potestatis Christi non agnoverunt in ratione characteris similem esse characteri baptismatis, qui per redēptionem omnibus hominibus virtualiter impressus est (quamvis ad salutem etiam realem<sup>a</sup> impressionem exigat), et hic character emanat ab effusione sanguinis et satisfactione Christi. Character autem sacerdotalis emanat et est communicatio omnis potestatis Christi, in quantum hæc ad dispensationem gratiarum et visibilis Ecclesiæ gubernium requiritur. Hinc sunt vere vicarii Christi visibles.

O Domine, præscindo ego in his reflexionibus meis cogitationes meas de differentia characteris simplicis sacerdotis et episcopi. Ad illas enim figure in Aaron et in filiis ejus repræsentatae non dant occasionem. Agnosco sacerdotium esse unum et in suo character indivisibile, sed quia Spiritus tuus omnia agit in ordine et in mensura, respectu sacerdotum <enim><sup>b</sup> secundi ordinis omnes functiones sacerdotales exercendi potestatem restringere fors tantummodo ordo requisivit, nec hæc restrictio ex [20:] defectu character-

<sup>a</sup> Post *realem* rasura

<sup>b</sup> Delevit enim

<sup>1</sup> Cf. Apoc. 21,22–23.

<sup>2</sup> Cf. Apoc. 21,6.

ris procedit. Cur enim ordo requisiverat, video, et hanc institutionem sanctam et ad bene et ordinate agendum necessariam esse agnosco, sed differentiam (aut cum omni respectu characteris dixerim) insufficientiam ex defectu hujus provenire posse necdum intelligo, quamvis me in humili docilitate submittam ordinationi et Spiritui, per quem regit et suas disciplinæ leges statuit Ecclesia, quæ hæc ex usu apostolorum didicit et sequitur. Nihil hæc disciplina derogat unitati et indivisibilitati characteris, cuius exercendi potestas restringitur, non virtus diminuta communicatur.

Hæc autem veritas etiam ex figura patet. Aaron enim et filii ejus eodem gaudebant sacerdotio, quamvis functiones ministeriales differentes fuerint et Aaron cum majoris plenitudinis repræsentatione agebat et vestes quoque differentes habebat, ut hæc differentia sit sensibilior. Sed hæc adhuc clarius discernuntur in veritate per Filium tuum nobis manifestata, qui alios apostolos, alios discipulos nominavit, et per illos cum potestate plus et minus extensa Ecclesiam suam regere docuit, et sic figuræ seu legem in hos quoque respectu adimplevit. Illi igitur sit laus, honor et gloria a te, o anima mea, in sæcula sæculorum!

#### SUPER CAPUT 4.

Disponis, Domine, ordinem ministerii tabernaculi tui secundum repartitas in priori capite Levitarum functiones, et hæc quoque mysteriosa esse repræsentat mihi gratia tua, quæ hic ordinantur [21:] in detentione tabernaculi, et majestatem divinitatis tuæ imprimunt, quam populo tuo reddidisti terribilem, nobis autem amabilem esse manifestasti. Ex ipsa figura ingressus summi Sacerdotis in sanctuarium<sup>1</sup> Apostolo docente patuit sanctuarium fuisse figuram cæli, velum autem, quod pendebat ante sanctuarium, figuravit cælum clausum fuisse ante consummationem legis et operis redemptionis nostræ. Hinc dicam velum hoc repræsentare potuisse naturam humanam, in quantum per corruptionem suam ab ingressu cæli arcebat hominem, et in hac consideratione velum potuit repræsentare corpus peccati, in quod (5) involvenda erat arca testimonii, veritas nempe æterna in pallio naturæ humanæ intratura sanctuarium suum (6) per velum proinde janthinarum<sup>a</sup> seu violacearum pellium passibilitas, per hyacinthinas<sup>b</sup> seu cæruleas pelles designabatur glorificatio.

Ideo (7) mensa quoque panum propositionis cum panibus simili panno involvebatur, sed super hoc pallium hyacinthinum<sup>c</sup> (gloriam repræsentans) extendebatur pallium aliud coccineum per colorem sanguineum memoriam passionis repræsentans, quod rursum velamento janthinarum seu violacearum pellium involvebatur (8. 9), quia in hac mensa continue expositi panes figurabant sacramentum, cuius mysterium nobis revelatum est, quod et passionem et glorificationem respicit. (9. 10) Candelabrum janthinis seu violaceis pellibus altare aureum seu thymiamatis primo hyacinthinis seu cæruleis postea [22:] violaceis pallibus cooperitur, et in consequenti illorum, quæ dixi (candelabrum septem dona Spiritus Sancti designasse) indicatur illa dona militanti Ecclesiæ, naturæ nempe mortali (quæ per violaceum colorem repræsentatur) danda fore. Altare

<sup>a</sup> In rasura, corredit yantinarum fortasse ex hyan-

<sup>b</sup> y- corredit ex (?) varias scripturas vocabuli hyacinthinus (hyacentinus sim.) ad normam hodier nam redigi

<sup>c</sup> y- in rasura

<sup>1</sup> Cf. Hebr. 9,12.

aureum seu altare thymiamatis (quod orationes sanctorum designasse jam in præcedentibus rettuli) primo cæruleis (glorificationem indicantibus), dein violaceis (passibilem naturam significantibus) pellibus cooperitur, ut communionem orationum triumphantis et militantis Ecclesiæ designent. Et ex hac ratione, ecce, (12) omnia vasa sanctuarii cæruleo et violaceo pallio involvuntur, ut spirituales, sensibiles tamen seu visibles sub palliis apparentes veritates designare manifestetur.

(13) Altare itaque holocausti, figura altaris crucis (in horum, quæ dixi, consequentia), ecce, purpureo vestimento induitur, et cum omnibus vasis fors instrumenta passionis designantibus ianthinis<sup>3</sup> seu violaceis pellibus involvitur, nec his color cæruleus seu cœlestis (gloriam, uti dixi, designans) superadditur, ut hæc, quae involuta erant, vere humani, passibilis corporis passionem concernere clarius figuretur. Aaron et filii ejus sacerdotes hæc primum involvere jubentur, ut repræsentetur sacerdos ab æterno, qui veritates (quas representabant hæc tabernaculi utensilia) tantis palliis figurarum involutas populo suo traditurus erat. Postquam enim hæc peracta fuerunt, intrabant filii Caath populum sacerdotem repræsentantes (15), quibus hæc [23:] figuræ onerum adinstar portanda tradebantur, et ab ipso tactu figurarum tantorum mysteriorum prohibebantur (17. 18. 19. 20).

Taliter distribuntur in sequentibus quoque versibus hujus capititis omnia, ut portarentur a filiis Gerson et Merari, quæ absque involucris tradebantur illis, quia non nisi templum Salomonis (in quo arca collocanda erat) per ambitum tabernaculi figura- bant et sic vel figurarum figuræ vel tantum ad dignitatem cultus tui convenientia ornamenta fuerant. Quamvis enim omnia illa, quæ ad tabernaculum testimonii ordinata fuerant, ad sensus spirituales extendi et ad doctrinam moralem quoque referri possent, debilitas mea non reperit in omnibus illis tam mysteriosas figuras, prout in illis, quæ sanctuarium et sanctuarii vasa respiciebant. Sed omnia redemptionis mysteria et figuræ oneris adinstar portabantur sub lege, quæ salvare non poterat. Hinc ipsa quoque Scriptura (48. 49) onera appellat.

Sed, o Domine, prout admirandus ille ordo et functionum repartitio illa ipsa onera levia reddidit, ita tot ac tantarum gratiarum misericordiæ tuæ gratuita largitio reddit onus Filii tui leve, quod portandum fratribus suis cum suavi jugo suo imposuit,<sup>1</sup> et onus portare exemplo suo docuit. Hæc fuit inter servos legis et filios tuos magna illa disparitas, quæ te, Deus, reddit nobis eo plus diligibilem, quanto lumen gratiæ tuæ hanc veritatem facit sensibiliorem. Non, non, Domine, quidquid nobis portandum dedisti, profecto onus dici nequit, si oculis rationis, [24:] non autem corporeis seu sensualibus respiciantur, nam omnia spiritualis vitæ præcepta ipsimet corpori, ipsimet vitæ mundanæ magis conveniunt, quam instinctus, quod vita carnalis et animalis suggestum et lex corruptionis nostræ præscribit. Quidquid nobis portandum dedisti, per ipsam legem naturæ cordibus nostris impresseras respectu notionis, sed corruptio carnis delevit, quod impresseras respectu dilectionis. Hinc dum corpus et ejus sensualitates diligimus, opera carnis facimus. Dum rationi adhæremus, virtutes morales exercemus, quia nos in his et in illis diligimus. Sed dum cordibus nostris dilectionem tuam inscribis, omnia ad te referimus, nec onus sentimus, quia diligimus. Sic sua quemque trahit voluptas, quia ratio, imago illa divinitatis tuæ dictat diligere, quod quis bonum esse cognoscit. Hinc cognitio boni principium dilectionis est, quia sequela cognitionis est dilectio. Sed in eo

<sup>3</sup> i- postea y- in rasura

<sup>1</sup> Cf. Matth. 11,30.

consistit naturæ corruptio, quod illi desit veri boni cognitio, et propterea dum homo sine gratia agit, quia in cognitione veri boni deficit, te, Deum, qui summum bonum es, non diligit.

Te existere demonstrat ratio, sed non hanc cognitionem sequitur dilectio, sed bonitatis tuæ intrinseca persuasio est vera illa cognitio et voluptuosa tractio, per quam ad te trahitur ratio, et sic per te reparatur naturæ corruptio. Præceperat lex te diligere, sed hanc dilectionem nequivit dare. Potuit te populus diligere propter promissionem [25:] terræ, quam datus eras, sed non trahebatur ad te per dilectionem objectorum, quæ sub figuris designasti. Omnes hæc fuere gratiae ad salutem ducentes, sed salvare non valentes, sed postquam manifestata fuisset tua dilectio, perfecta est redemptio et hanc sequitur salvatio, quia demerita est et a te datur veri boni cognitio, quæ est illa, quam dixi, voluptuosa tractio,<sup>a</sup> quia illam sequitur dilectio; et sic illam persuadet, nutrit, confortat ipsa illuminata ratio.

Ex his me facis agnoscere, Domine, quam sit misericors tua erga me et in me operatio, et quam suavis, quam voluptuosus est tuarum gratiarum ductus, quem sequitur æterna salus, et quam sterilis sit humana ratio, in quam te miserente non imprimitur supremi et vere boni cognitio. Sed hanc ipsam rationem super se met ipsam elevas, dum excluso, ut ita dicam, omnis boni objecto temet ipsum non qua præmium, sed qua Deum diligere das. Nam in hoc consistit omnis dilectionis perfectione, ad quam pervenire nequit, nisi (ut ita dicam) deificata ratio, quia hæc est directa illapsus Dei incomprehensibilis operatio et charitatis in novam creaturam sensibus quodammodo destitutam infusio.

Sed, o Domine, hæc, quæ balbutio, nec illi, qui senserunt, enarrare potuerant, quomodo ego de his dicere præsumerem, qui præter humanæ condicionis miserias nihil in me sensibilius experior. Sileat ergo de his infirmitas mea, quæ in sanctis tuis, quos tantarum gratiarum fecisti particeps, adoret potius magnalia tua. Fuerunt enim inter illos, in quibus has inenarrabiles virtutes magnalium [26:] tuorum adhuc in hac mortali vita specialiter manifestare dignatus es, quapropter te diligere peto modo tibi placito.

#### SUPER CAPUT 5.

Posteaquam omnia præcepisses, Domine, quæ ad cultum tuum pertinent, et fors posteaquam tabernaculum erectum fuisset<sup>c</sup> et in majestate tua visibili in tabernaculo apparuisses (1), loqueris, Domine, ad Moysen dicens: Præcipe filiis Isræl, ut ejicant de castris omnem leprosum et qui semine fluit pollutusque est super mortuo, (3) tam masculum, quam feminam ejicite de castris, ne contaminet ea, cum habitavero vobiscum.

Confirmant me, Domine, hæc in illis, quæ te illuminante jam in præcedentibus dixi, quantum respectum volueris præstari visibili majestati tuæ a populo, cui sensibilia majestatis tuæ dederas objecta, et hinc patet legales impuritates alias fuisse, quæ per modum poenæ immittebantur, prout lepra et fluxus seminis. Has reddidisti abominabiles, ut poena sit eo sensibilior illis, quibus immittebatur, ut ardentius recurrent ad remedia sacrificorum, quæ pro acquirenda puritate instituerat. Aliæ fuerunt, inquam, impuritates *<in>* evitabiles,<sup>b</sup> quæ per ignorantiam, errorem aut obli-

<sup>a</sup> Correxit -ct- ex -x-

<sup>b</sup> Delevit *in-* in margine

vionem contrahebantur, ut erat esus animalium vetitorum et occisorum a bestiis, tactus cadaverum aut insectorum, quæ abominationem præmemoratarum impuritatum non infligebant, mundationem tamen requirebant. Sed videtur fuisse impuritates, quæ prorsus [27:] erant inevitabiles, et hujus speciei fuerat pollui super mortuo. Quodsi enim cadavera nemo tetigisset, quomodo potuissent sepeliri? Quomodo fratres et consanguinei funeris obsequium præstitissent? Sed hæ ipsae impuritates duplicitis speciei videntur fuisse: aliæ, quæ simplicem lotionem vestimentorum et corporum requisiverunt, aliæ, quæ exclusionem ex castris et quandam abominationis speciem inflixerunt, prout hæc citatus versus 2. indicat.

Et ecce, in consideratione tam mirabilium denuo attonitus hæreo. Dicamne has leges manifestare impuritatem corporis humani, quam per peccatum contraxerat, ut<sup>a</sup> appareat illam nonnisi per incarnationem Dei ablata fuisse lotionesque ad purificandum requisivisse, ut figuraretur baptismatis necessitas, per quod mundamur ab omnibus impuritatibus massæ humanæ, in qua nascimur. Hæc potest esse ratio universalis legis, quæ corpora mortuorum tangere vetuit. Sed separationem ex castris, quæ species pollutionis super mortuo requisiverit, ex illis, quæ hactenus per gratiam tuam meditatus sum, adhuc ignoro, propterea de his suspendo reflexiones meas, lumen tamen a te petere non cessabo, ut possim meditari de his, dum per subsequentia Scripturæ loca<sup>b</sup> occasionem habuero.

Loqueris, Domine, ad Moysen (5) dicens: (6) vir sive mulier, cum fecerint ex omnibus peccatis, quæ solent hominibus accidere et per negligentiam transgressi fuerint mandatum Domini atque dereliquerint<sup>c</sup> etc. Et profecto ex hoc [28:] obscuro textu difficilius est mihi reperire, quæ fuerint peccata, quæ solent hominibus plus accidere, quam non accidere. Non est enim dubium, quin sint peccata, ad quæ unus plus inclinatur, quam alter. Sed hic non videtur magis de illis agi, quæ hominum individua concernunt, sed quæ humanam condicionem respiciunt. Hæc autem omnibus peccatis obnoxia est in statu oppositionis suæ legi tuæ. Sentit enim homo Apostolo docente legem aliam oppositam legi tuæ,<sup>d</sup> quæ nescio, num illum sæpius peccare faciant contra te, quam contra proximum, sequens tamen versus 7. manifestat mihi hic agi potius de peccatis, quæ accidere solent contra proximum, quam de illis, quæ patramus contra nosmet ipsos, quia confessionem peccati, restitutionem et per quintæ partis solutionem desuper satisfactionem præcipit. Hinc fors non erro, si hæc de furtis, de fraudationibus et sibi quoquo modo appropriandis bonis proximi statuta esse dixero, ad quæ fors populus in deserto peregrinans, sub tabernaculis habitans pronus fuit, sicut hæc inter exercitus, armigeros et castri metationes hodieum contingere experimur, nisi exacta disciplina militari et frequentibus exemplis arceantur; (8) et ne ulla retinendi bona tali modo contra justitiam ablata spes et prætextus supermaneat, si non fuerit, qui recipiat, sacerdotibus dari et arietem in sacrificium offeri jubes. Et quia hæc lex tua restitutionis in lege naturæ et in justitia tua æterna fundata est, non figura, [29:] sed semper duratura veritas est.

Hæc igitur consideratio vitæ et peregrinationis populi persuadet mihi, Domine, ordinem justitiæ tuæ propterea constituisse legem zelotypiæ quoque in residuis hu-

<sup>a</sup> ut in macula artamenti

<sup>b</sup> Sic!

<sup>c</sup> Sic (vel delinquerint?)

<sup>d</sup> Cf. Rom. 7,23.

jus capitisa<sup>a</sup> versibus relatam. Vita enim illa castrensis, tabernaculorum vicinitas plurimas occasiones dare potuerunt et ad suspiciones zelotypiae et ad crimen exercendum, ad quod præcavendum nulla vigilancia sufficere potuit, et si occultatio criminis ad evitandam pœnam suffecisset, impune committi potuisset. Hinc sapientia justitiae horrorem incutit et vel solam suspicionis dandæ occasionem refrenare potuit. Sæpe enim magis retinet hominem a crimine metus suspicionem causandi, quam ipsum crimen occulte committendi. Ita quidem, ut dicere ausim, quod hodie dum quoque plures feminas ab adulterio retineret hujus legis executio, quam æternæ damnationis consideratio. Sed non placuit tibi, Deus, populum filiorum tuorum per timorem legis ducere, sed per timorem offensæ regere. Sed quamvis hac adulterii lege statuta perquisitio sensualitati tam horrenda videatur, pœna criminis subsistit, et est eo terribilior, quia æterna est, quamvis in sensu non eodem modo cadat, nec eundem horrorem incutiat.

Sed in omnibus his appareat, o Domine, quomodo populum carnalem sensibilibus, populum spiritualem spiritualibus objectis regere et refrenare voluerit [30:] ordo ille adorandus justitiae tuæ. Regnum enim Filii tui non est de hoc mundo<sup>1</sup> visibili. Animas enim, quas invisibiliter regit, spiritualiter dirigit et punxit, nec redemit animas propter corpus, sed corpus redemit propter animas, et sic totum hominem misericorditer glorificandum esse voluit. Per legem carnalem et puritates corporeas præcipientem populum ad legem et ad puritatem spiritualem ducere volebas, ut anima ad salutem, corpus perveniret ad glorificationem, et fors nihil inconveniens proferam, si dixero in populum Israel temporale te exerceuisse dominium, quia animæ neicum redemptæ peculium tuum neicum merebantur esse, et fors etiam immundorum animalium esus ideo fuerat vetitus, ut homo dominium super illa secundum quid amisisse per peccatum sentiret. Quod quia per redemptionem (restituta gratiæ anima) denuo homo adeptus est, libertati et dominio utendi omnibus animalibus restitutus est. Nam per satisfactionem Filii tui omnia ordini, omnia fini suo restituta sunt, in quem creata fuerunt, seu, ut correctius loquar, illius finis obtinendi tota natura capax reddita est per gratiam, in quem creata fuerat per misericordiam.

### [31:] SUPER CAPUT 6.

Separasti, Domine, in cultum tuum tribum Levi ex omnibus tribibus Israel, sed ne hæc apprens et specialis separatio exclusionem totalem ceterorum hominum de populo præ se ferret, indicat modum bonitas tua, per quem unusquisque de populo (1. 2) modo particulari posset se tibi consecrare. Primo igitur spontaneam voluntatem requiris ab illis, qui votum fecerint, ut sanctificantur et se voluerint Domino consecrare. (3) Secundo mortificationem sensus, gustus requiris a vino et ab omni potu inebrianti inhibens illos, non quod vinum et alii potus mali essent, sed quia multorum malorum proximæ causæ sunt. Quodsi enim natura hominis ad malum tam prona est et sensibus suis complacere tam proclivis est homo, quod majus peccandi periculum incurri potest, quam per potum talium liquorum, qui spirituum et

<sup>a</sup> Correxit -tis ex -tibus?

<sup>1</sup> Cf. Ioan. 18,36.

sanguinis fermentationem per calorem causant, vapores in caput transmittunt et per hos cerebrum offuscando hominem ab ipso rationis usu privantes brutis similem<sup>a</sup> reddere possunt et saepe reddit. Omnes peccandi occasiones periculose sunt, sed ebrietatis occasio omnium periculosisima est. In ceteris enim homo rationem retinet ita, ut illam nonnisi ab objectis sensuum custodire debeat, ne per illa moti sensus frenum hujus excutiant, sed per ebrietatis occasionem statim ad offuscationem rationis ipse homo occasionem [32:] suppeditat, et sic spontanee effrenans rationem omnibus sensibus relaxat habenas, et eo libentius moventur ab objectis.

Vel ex hac sola igitur hujus legis tuæ consideratione edoceor, Domine, quam periculosæ sint opiniones, quæ ebrietatem et immoderatum potum liquorum inebriantum excusare, ne dicam, admittere, sed vel saltem relaxare videntur. Hi enim non considerant, quanta sensualitatum irritatio proveniat ex fermentatione sanguinis. Spiritus enim vitales consistunt in sanguine, unde vel minimus motus illorum, ne dicam, fermentatio in toto corpore extraordinarium effectum præstat, et omnium primo illas passiones excitat, ad quas uniuscujusque temperamentum inclinatur, quibus quam primus peregrinus seu extraordinarius motor accedit, statim periculosior est, quia fortiores fiunt, et sic augetur illis resistendi difficultas. Sapiens dicit, quod vinum lætitiat cor hominum,<sup>1</sup> et his paucis verbis omnem proprietatem vini exprimit. Sed hæc cordis carnalis lætitia est cordis spiritualis vera tristitia; cum enim omnia mala Salvatore docente ex corde exceptant<sup>2</sup> et natura hominis ad malum tam prona est omnibus diebus vitae suæ,<sup>3</sup> quis non concipiet hanc cordis lætitiam vel primo motu non potius inclinare ad malitiam, quam ad bonum? Alia profecto est cordis carnalis, alia cordis spiritualis lætitia. Primum exsultat a vino, hoc exsultat in te, Deo, salutari suo.<sup>4</sup> Illud lætitatur a vino naturali,<sup>5</sup> hoc jucundatur a vino germinante virgines. Unde agnosco salutare consilium Apostoli, qui potum vini non ad lætitiam, sed ad conservationem sanitatis, [33:] medicinæ loco adhiberi suadet.<sup>6</sup>

Sed cum in potibus inebriantibus occasio excedendi detur naturæ, humanæ fragilitatis metus juste posset inspirare illis, qui se tibi voluntarie et modo particulari consecrant, observantiam hujus legis tuæ, quam non ita abrogatam esse credo, quin salutaris consilii loco respici et recipi possit. Quodsi enim omnis homo, qui se tibi quoquo modo consecrat, te quærere debet, quanto magis ille, qui se tibi modo particulari consecrat, a cordis carnei lætitiae occasione abstinere consultius esse credere deberet. Insipientis esset dicere te absque causa præcepisse Nazareis seu separatis ad sanctificationem, ut se ab omni potu inebranti abstineant, nec ego quærere possum hujus legis aliam rationem, quam illam, quam ex ipsa cognitione naturæ et proprietatis similium potuum protuli: quia hanc legem jam sacerdotibus tuis dederas in Levitico, ne ingressuri in sanctuarium potum inebriantem bibant. Sed quia hanc potus inhibitionem non ad omnes Levitas, sed nec ad ipsos sacerdotes pro omni

<sup>a</sup> Supplevit *brutis similem* supra lineam

<sup>1</sup> Cf. Eccli. 40,20.

<sup>2</sup> Cf. Matth. 15,19.

<sup>3</sup> Cf. Gen. 8,21.

<sup>4</sup> Cf. Luc. 1,47.

<sup>5</sup> Cf. Eccli. 40,20.

<sup>6</sup> Cf. 1 Tim. 5,23.

tempore extendisti, nec ego qua præceptum, sed qua salutare consilium considero abstinentiam ab omni potu inebrianti.

Verum ex occasione meditationis super hoc præceptum tuum, quod Nazareis dedisti, nequeo non gemere de doctrina, quæ ferme communis evasit inter Christianum populum separatum et consecratum in hereditatem tuam. Præter opiniones enim de ebrietate occurrit in mentem axioma illud vix alicui ignotum, qua gratum: Potus non frangit jejunium. Quodsi ad solum potum aquæ restrinxissent ejus inventores, [34:] fors tam commune non reddidissent, sed quia generale est et se super omnes potus extendit, profecto tam suave est auribus carnalibus, quam exosum et durum esse deberet auribus aut, potius dixerim, auditui spirituali. Jejunium, quod ad coercendum carnis petulantium instituit Ecclesia, considero, et ecce, huic salutari institutio ni hoc axioma contrariari vel in limine video. Sive enim potu sive esu satietur aut irritetur sensualis carnalitas, jam spiritui jejunii seu intentioni mortificationis satisfieri quomodo dicere possum? Alius potus nutrientes bibit, alias confortantes sumit et necessitatem prætexit, quæ si realis est (et ad frangendum jejunium ex sana et legitima ratione obligat) et comedere et bibere potest, sed si potum (et præcipue aut patientem aut nutrientem aut confortantem) seu ex appetitus seu sensualitatis complacentia seu ex satietatis et non necessariæ confortationis dictamine sumit, quomodo sensualitatem (quæ carnis petulantia est) se refrenasse putabit, dum ex ejus complacentia bibit?

Vanæ et ferme ridiculæ mihi videntur quæstiones et disputationes, quæ de qualitate et quantitate potus exoriuntur, si Ecclesiæ mentem et spiritum taliter considero. Illas enim spiritus carnis format et fovet, non cor pænitens et contritum, quod se mortificare, carnem refrenare, sensualitates coercere, non autem illis complacere querit. Unde apparet per qualitatem aut quantitatem potus hoc tantum decidi posse, quantum sibi possit complacere seposita mortificatione homo, propter cuius mortificationis finem statutum est præceptum. [35:] Non extendo me ad considerandas causas et prætextus, propter quos queruntur relaxiones, dispensationes et indulta. Sunt enim tot ac tam differentium specierum, ut ego hæc recensere nequeam. Cuilibet<sup>a</sup> differentes rationes rumpendi jejunium representat sensualitas, et legitimas ab illusoriis discernere opus et labor est particularis gratiæ, quam ego mihi petere a te, Domine, non cessabo. Duxit me ipsa naturalis ratio te illuminante ad cognitionem causæ, cur separatis ad sanctificationem et consecrationem omnem potum vini, quin ipsummet esum uvarum seu recentium seu siccårum interdixeris (4).

Sed cur (5) præcipias, ne capillos radant et caput illorum novacula ne tangat, debilitas mea aliam rationem nequit reperire, nisi ut distinguatur a cetera multitudine populi, inter quem caput radere commune fuisse credo. Sed (7) v. et subsequentes (8. 9) sunt mihi penitus incomprehensibiles, et ad considerationem illorum obmutescit ignorantia mea. Cur nimirum contaminatione casuali quoque (non solummodo voluntaria) superveniente super mortuo caput bis radi juss eris, ac si impuritas quædam in capillis contracta fuisset et quodammodo differens ab impuritate ordinaria, quæ contrahebatur a cadaveribus, propter quam ceteri de populo non radebant capillos, sed tantummodo Nazarei. Mutus efficior itaque, Domine, nisi me adjuveris illustrans mentem meam. Seu enim considerem Na-

<sup>a</sup> In rasura, correxit *cui- ex qui-*

zareorum legem per misericordiam tuam institutam pro illis ex populo, [36:] qui ab hominum communi ratione vivendi separari voluerint et se tibi consecrando santificari, seu respiciam illos qua figuram anachoretarum, monachorum et ascetarum, qui sunt singulari modo separati a populo et ab ipsomet statu ecclesiastico ex ratione regularum et institutorum particularium sunt consecrati tibi, non valeo rationem invenire hujus rasuræ capillorum.

Subsisto igitur, Domine, donec aperueris labia mea, ut eloquar magnalia tua. Magnus es, Domine, et laudabilis nimis in operibus tuis! Ecce, ad altiora dignaris elevare mentem meam respectu Nazareorum, quam in præcedentibus rettuli. Hos enim statuere dignatus es, ut in illis figuraretur nobis repræsenteturque, quomodo se habuerit sanctitas et consecratio Judaica seu legalis respectu sanctitatis et consecrationis filiorum Dei. Primum signum aggregationis inter populum (quem tu, Deus, sanctum appellare dignatus fuisti) erat signum externum circumcisionis. Signum autem consecrationis et sanctificationis, ecce, statuitur in cesarie capit is, et quid hoc instituto clarius designare potuisset, quomodo ante redemptionem omnis sanctitas tam extrinseca fuerit animæ, prout hæc circumcisionis et capillorum consecrationis signa se habuerunt respectu corporis. Ipsa enim circumcision (in virtute cuius etiam advenæ annumerabant populo) non imprimebat characterem animæ, sed erat solummodo signum futuri characteris. Consonum itaque erat etiam gratiam sanctificantem et hominem in cursu vitæ suæ consecrantem repræsentare in capillis in parte corporis nobilissima crescentibus. Hinc dicitur, (5) quod Nazareus [37:] sanctus erit crescente cæsarie capit is ejus. Vere enim crescente gratia crescit et sanctitas.

Sed non sufficiebat tantummodo capit is cæsarium crescere sinere, ut quis Nazareus esset, sed votum erat faciendum et sacrificium offerendum statim ad initium consecrationis, ut repræsentaretur hanc gratiam sanctificantem post baptismum amissam non posse acquiri, nisi per baptismum laboriosum pænitentiæ, quæ respectu firmi propositi renovationem voti baptismalis requirit et per iteratum sacrificium cordis acquiritur. Vita itaque Nazarei vitam pænitentem repræsentat, in qua se quis ab omnibus etiam licitis corporis nutrimentis et sensualitatibus (prout potus vini et esus uvarum etc. repræsentant) abstinere debet, et amodo vivendi hominum filiorum mundi separare in spiritu pænitentiæ. Et hac figura taliter considerata in Nazareo repræsentatur mihi contaminationem super mortuo designare contaminationem pænitentium super opera, quæ mortem inducunt animæ. Seu enim illa fiant deliberate seu ex fragilitate, inconsiderate, sicut (9) repræsentatur per mortem casualem aliquius hominis coram Nazareo, reiterata rasio et repetita septimo die injungitur, ut difficultas reparationis sanctitatis repræsentaretur in figura, et huic rasoni oportet superaddi reiteratum sacrificium (10. 11) duorum tururum, unius pro peccato, alterius in holocaustum, quod reiterationem voti seu propositi manifestat. (12) Dies enim priores irriti fiunt, quoniam polluta est sanctificatio ejus.

Verum, ut vitam [38:] pænitentem et sanctificantem non solummodo in actionibus externis pænitentiæ et separationis consistere ex figura quoque appareat, unicuique liberum reliqueras, Domine, sibi præfigere tempus separationis, quo finito deponebatur cæsaries pro signo extrinseco separationis instituta. Quamdiu enim portabatur, omnino (prout dixi) figura gratiæ sanctificantis (quæ per pænitentiam reparatur) esse poterat, et donec Nazarei per actus externos pænitentiam repræsentabant, hoc signum separationis suæ in sanctificationem portabant, sed docente (13) ista est lex consecrationis ejus: Cum dies, quos ex voto (ad exercendos actus externos pænitent-

tiæ) decreverat, complebuntur ..., (14) offeret oblationem ejus Domino (et hanc triplicem), agnum anniculum in holocaustum, ovem anniculam pro peccato et arietem immaculatum hostiam pacificam. Apparet itaque ex expressione prænotata ista est lex consecrationis depositionem cæsariei sanctificationem non finivisse, sed consecrationem adimpta sacrificiorum lege perfecisse.

Et in his holocausto et sacrificio pro peccato superaddita hostia pacifica denotat per opera pænitentiæ ademptam intrinsecam pacem. Hostia pacifica tamen non separatur ab holocausto et a victima pro peccato, ut designetur ad consecrationem conservandam necessariam esse horum sacrificiorum internam continuationem etiam finitis ex voto suscepto diebus externæ separationis a vita communi populi sancti. Hæc fuerant sacrificia cruenta sacrificium cruentum figurantia, per cuius virtutem acquiritur sanctificatione et consecratio. Sed ut ejus applicatio per sacrificium incruentum legis novæ futura designetur, (15) panes [39:] azymi conspersi oleo et lagana absque fermento uncta oleo ac libamina singulorum offerri jubentur, ut præcedentia triplicis speciei cruenta sacrificia in materia panis et libaminum (id est vini) repetantur (16), ut nimirum cessante cruento sacrificio ejus virtus sub horum visibili specie applicanda figuretur. (17) Hinc offeruntur cum immolatione arietis in hostiam pacificam, ut legis gratiæ et pacis hoc sacrificium proprium futurum adhuc clarius designent.

(18) His enim rite peractis vere raditur cæsaries Nazarei et capilli operum externorum pænitentiæ et ponuntur super ignem charitatis, qui supponitur sacrificiis pacificorum. Sed, o Domine, quid hoc particulare mandatum significat, quod (v. 19) injungit, ut sacerdos armum coctum arietis tortamque absque fermento et laganum azymum tradat in manus Nazarei, postquam rasum fuerit caput ejus, (20) suscipiensque rursum ab eo elevabit in conspectu Domini? In ceteris sacrificiis sufficiebat ponere manum super caput victimæ, reliquum sacerdotes peragebant, in hoc autem sacrificio Nazarei repeatebatur carnis coctæ et panum per Nazareum facta oblatio. Te, Domine, interrogare præsumo, ut respondeam et eloquar intelligentiam, quam dare dignatus es, singulariter figurari in hoc sacrificio per armum coctum victimæ pacificæ cor pænitentis coctum in lacrimis doloris, quod tibi offerendum est cum sacrificio sub speciebus panus instituto per sacerdotem, ut elevetur seu ut in unione Spiritus cum victimam offerente summo sacerdote Christo per manus ministri sacerdotis obtineatur sanctificatio [40:] et confirmetur per gratiam tuam rasis capillis (seu, uti saepe dixi) cessantibus externis operibus pænitentiæ consecratio, et post hæc poterit bibere Nazareus vinum seu ducere vitam communem Christianorum, quæ quamvis usum creaturarum non penitus excludat, continuam tamen cordis cocti seu intrinsece mortificati oblationem<sup>a</sup> præscribit et secum fert. (21) Hinc <ta><sup>b</sup> non tantum illa offerre debet, quæ obtulit ad complendum votum, sed et illa, quæ inventerit manus ejus seu quæ facere poterit præter illa, quæ fecit, juxta quod in mente (seu intrinsece per firmum propositum faciendi bonum) devoverat et ita faciet ad perfectionem sanctificationis suæ, quæ quia in hoc vita acquiri nequit, semper tendendum est, ut ad illam extra vitam mortalem pervenire valeamus.

<sup>a</sup> Supplevit *oblationem* supra lineam

<sup>b</sup> Delevit *ta*

Hac lege Nazareorum taliter statuta (22) loqueris, Domine, denuo ad Moysen dicens: (23) Loquere ad Aaron et filios ejus! Sic benedicatis filiis Israel et dicetis eis etc. Diceret insipientia mea hæc quodammodo peregrine referri in consequentia præcedentium, si mentem meam non illuminares, ut agnoscerem hanc sequentem benedictionem appropriatam esse filiis Israel Nazareis seu separatis, de quibus agebatur in præmemoratis. Illis benedicis enim, Domine, (24) et custodis illos; (25) ostendis illis faciem tuam et misereris illorum; (26) convertis vultum gratiarum tuarum ad illos, et das illis pacem, (27) invocaturque nomen tuum super hos filios Israel spiritualis, et tu benedicis eis. Iste est sensus genuinus hujus benedictionis tuæ, quæ respectu Israel carnis figurativa fuerat, in sensu [41:] autem allato appropriata, (24) quia benedictio respectu temporaliū ad custodiā ab inimicis referebatur (25) et per ostensionem faciei tuæ adventus Messiae desiderabatur ad misericordiam obtinendam. Sed his superad-dendum erat in benedictione, ut non tantum ostendatur illis, Domine, facies tua in Filio tuo incarnando, sed etiam ut ille (per excellentiam Dominus, quia Deus) (26) convertat vultum suum ad illos se illis interne monstrando, ut habeant pacem, (27) ut per ipsum invocetur nomen tuum super illos, et sic tu quoque benedicas illis. Sic docebas, Domine, omnem efficaciam benedictionis tuæ in figuris, et sic largiris illam in veritate populo tuo Israel spirituali, qui Nazareus seu separatus est in hereditatem Filii tui, inter quem etiam illa species Nazareo-rum seu modo vivendi communi respectu exercitii vitæ pænitentis separatorum in tot millibus monachorum et ascetarum utriusque sexus subsistit et viget.

Hæc sunt, o Domine, mysteria, quæ per bonitatem tuam adjutus de lege Nazareo-rum rettuli et tenebri ignorantiae meæ prorsus impenetrabilia videbantur, antequam dedisses intelligentiam mihi, pro qua utinam sat humiles gratias possem referre tibi laudans et glorificans magnalia tua!

#### [42:] SUPER CAPUT 7.

Habuit procul dubio fineī sapientia tua, Deus, cur Moyses historicus magnalium tuorum et totius generis humani eventus quodammodo referre inordinate videatur præcepta moralia cum cærimonialibus commiscendo. Jam enim Exod. cap. 40. ret-tulit te jussisse, Domine, mense primo, die prima mensis erigi tabernaculum. Jam et consecrationem Aaron et sacrificia occasione mortis filiorum ejus rettuli. Hic tamen denuo ordinatur recensere oblationes, quæ in die, quo tabernaculum erectum est, factæ sunt. Easdem leges jam morales, jam cæmoniales sæpius repetit, hoc tamen ideo factum fuisse credo, quod primo referantur tamquam a te in monte aut in taber-naculo dictatæ conscribebantur, secundo tamquam populo publicatæ referuntur. Ea-dem tamen exactitudo Moysis, fidelis servi domus tuæ, ubique observatur, quod nec minima a se ordinaverit, sed in omnibus te, Deum ac Dominum consuluerit, et sic omnia ex mandato tuo peregerit, et in hoc exemplo docet, quidnam vicariæ potesta-tes tuæ facere debeant in gubernando et in administrandis functionibus, quas concre-didisti illis.

Omnia ad Montem Sinai mysteriosa fuisse et sapientia tua ordinante acta fuisse clarum est, nec igitur has oblationes, quæ in hoc capite referuntur, aliter considero, quam tamquam suggestiones tuas. In oblatis tamen mysteria non quæro. Supponit

enim ignorantia mea illa vel simpliciter [43:] oblata vel ad sacrificia necessaria utensilia fuisse. (3) Quælibet tribus bovem unum obtulit, plastrum tectum duæ tribus donarunt ad servitium tabernaculi, quæ te ordinante (4 et 5) repartita sunt inter Levitas filios Merari et Ithamar (8). Filiis autem Chaat plastra data non sunt (9),<sup>a</sup> quia in sanctuario serviebant et onera propriis portabant humeris, et hinc quoque confirmor in illis, quæ jam te adjuvante rettuli, alia nimurum figurative, alia ad decentiam majestatis cultus tui instituta fuisse in illis, quæ tabernaculum respiciebant. Illa propriis humeris Levitarum portabantur, hæc plastris vehebantur. (11) Ut autem omnia suo ordine et cum majori sollemnitate fierent, singulis diebus munera offerri jubes, et duces populi oblationes has secundum ordinationem castrorum (numerationem populi subsecutam) fecisse videntur, per quam Juda primatum in ceteris tribubus obtinuit et secundum prædictam ordinationem ad orientem collocatus primus dona offert omnis speciei sacrificia concernentia, ut completa esset oblatio.

Sed cum has oblationes jam tabernaculo erectorum et stabilito omni ordine cultus tui, Domine, factas fuisse me reflecto, potuit hæc sollemnitas oblationum per singulos dies instituta figurare ingressum regum et principum in Ecclesia, quorum singuli temporibus in æternis decretis tuis designatis ingressi sunt cum populis suis. Adoro igitur iterum iterumque etiam in minutissimis sapientiam tuam, et admiror ordinem ejus, qui mihi per has institutiones tuas manifestatur. Omnia, quæ [44:] fieri præcepisti, digna sunt institutore suo, omnia majestatem præ se ferunt, omnia gubernatricis providentiæ tuæ miram harmoniam manifestant. Confunditur humana prudentia in horum consideratione, quæ rerum eventus jam casui, jam naturalis prudentiæ conductui insane attribuit, et dum hanc populi tui historiam attente pervolvit et in illa te de minutissimis quoque disposuisse, in omnibus tantum ordinem observasse videt, quomodo potest dubitare te eandem curam non habere respectu gubernationis universorum creatorum, nisi quia tenebris suis naturalibus tradita fidem ad invisibilia objecta non<sup>b</sup> elevans, quia te interne loquentem non audit, omnia fortuite fieri credit, et tandem in tam spissarum caliginem tenebrarum præcipitetur, ut Scripturæ tuis fidem denegans demere vellet, si posset? In hac dispositione leguntur Scripturæ tuæ a plurimis, quos littera Scripturarum in curiositate sciolitateque lecta occidit, quia ad veritatem, quæ litteræ velo tegitur, non perveniunt, sed nec penetrare possunt, quia cæci lumen videre nequeunt.

Quam sæpe recurrit occasio has reflexiones facienti, ut eo profundius imprimam menti meæ, quid debeam tibi, Deus, ut hæc ipsa debiti mei agnitus sit infirmitatis et naturalis insipientiæ meæ confessio. Tua sunt itaque, Domine, omnia, et vere tua sunt, non mea, quæ in meditationibus meis bona sunt, et huic veritati ipsæ ariditates, tepiditates et inhabilitas mea ad meditandum præbent testimonium. Quam sæpe subsistit calamus, dissipantur cogitationes et hebes [45:] efficior, quis imperfectiones delictaque mea tenebras exhalant, propter quas veritatem reperire non semper valeo, sed dum misericordia tua dissipat exhalationes et vapores humanitatis meæ, redeunt cogitationes, et quia fulget veritas, datur scribendi facultas.

Hæc sunt, o Deus, quæ mihi manifestant impuritatem status cordis mei, quam tu vides, mihi autem sæpe ignota est, nec nisi ex effectibus agnosco. Procul dubio enim illæ sunt, quæ tam sæpe causant ariditates et obscuritates mentis meæ. Sed et hic

<sup>a</sup> Supplevit *non* supra lineam

<sup>b</sup> Correxit 9 ex 8

tuus mecum procedendi modus (dum me in ariditate relinquis) te dignus est, et misericordiae tuæ erga me operatio et sæpius providentia tuæ dispositio est, ut me coram te humiliandi detur occasio. Fiat igitur meum semper secundum voluntatem tuam. Confundar in meis, ut gloriari possim in tuis, agnoscens, quid tibi debeam, ut te adjuvante te plus diligam!

#### SUPER CAPUT 8.

Tria sunt, Domine, quæ mihi mysteriosissima seu, potius dicam, principalia mysteria figurasse videntur inter cetera, quæ in tabernaculo instituisti: arca nimirum, mensa panum propositionis et candelabrum septem luminarium. Hæc fuerant enim objecta (ut ita dicam) relativa cultus tui, in quantum principalia repræsentabant mysteria. Quartum enim, scilicet altare aureum thymiamatis, quod ponebatur in tabernaculum, ad ministerium [46:] cultus pertinebat, et prædictæ tres figuræ sacro-sanctæ Trinitatis mysterium repræsentabant.

Arca in Sancta Sanctorum posita divinitatis fuit repræsentatio. Inde recipiebantur oracula et ponebatur in locum (prout sæpe dixi) cælum repræsentante[m]<sup>a</sup> veloque non tantum ideo separabatur, ut portas cæli clausas fuisse repræsentetur, sed etiam ut obscuram mysterii personarum Divinitatis cognitionem repræsentet. Et quia Filii et Spiritus Sancti distincta notio Ecclesiæ danda fuerat, in incarnatione et in visibili descensu Spiritus Sancti manifestanda, figuræ, mensa nimirum panum propositionis et candelabrum secundum hujus mysterii exigentiam in figuris repræsentatam in sanctuario ponebantur, prout hic (1. 2) ordinatur, et in distinctas mundi partes collocari jubentur, ut hæc manifestatio universalis per quattuor partes mundi futura denotetur. Candelabrum e regione panum ponitur, et Spiritus Sanctus per septem lumina-ria respectu donorum figuratur, ut per hujus testimonii lumen danda luminosa fides et Divinitatis in humanitate et panis de cælo descendentis<sup>1</sup> agnitus futura indicetur.

Ex quibus clare confirmatur altare aureum respectu harum figurarum tamquam utensile ministeriale fuisse et in illo oblatum thymiana sanctorum orationes in conspectum Sacrosanctæ Trinitatis delatas figurasse (4). Hæc enim erat factura candelabri, tam medius stipes, quam cuncta, quæ ex utroque calamorum latere nascebantur, ex eodem stipite procedebant, [47:] prout in Exodo candelabri factura uberioris expressa fuit, et hic et ibi septem dona distincta ab eodem Spiritu dari clare figurat.

(6) Quod igitur Levitarum oblationem attinet, veritatem in consequentia præcedentium manifestant omnia, quæ referuntur, ut omnem characterem sacerdotalem a natura divina per Christum conferri et ex virtute Dei sacerdotis victimam in cruce offerentis emanare<sup>b</sup> designetur. Moyses itaque, qui hanc naturam divinam figuravit et in consecratione Aaron et hic victimas obtulit, consecravit Aaron et filios, Levitas, (qui plenitudinem sacerdotii non receperunt), Moyses tulit et purificavit, aqua lustrationis (7) aspersit, (8) bovem de armentis et libamen-tum ejus, similam oleo conspersam Levitæ obtulerunt in holocaustum, prout infra (12) declaratur. Sed bovem alterum de armento pro peccato ipse Moyses

<sup>a</sup> Supplevi -m

<sup>b</sup> Sic!

<sup>1</sup> Cf. Ioan. 6,33.

accipere jubetur, ut clarius repræsentetur hostia humanitatis per sacerdotem Deum cruenter oblata, in cuius virtute applicantur Levitæ coram tabernaculo. (10) Ponunt filii Israel manus suas super eos, sed non offerunt illos directe Deo, sed per Aaron (11), qui jubetur offerre illos tamquam munus in conspectu Domini a filiis Israel, ut serviant in ministerio ejus.

Unde patet hujus sacri ministerii omnem ordinem conferri a Deo per Christum ministerio sacerdotum, et sic exercetur omne munus illorum in consecratione et gratiarum dispensatione. Sic fiunt (uti jam relatum est) participes omnis potestatis Christi per Christum. Potestatis, inquam, quam in Christo natura humana a divina participavit, cum illi omnis potestas [48:] data est. Hinc solvitur in cælis, quod solvunt in terris<sup>1</sup>. (13) Statuuntur itaque Levitæ non tantum in conspectum Aaron, sed et filiorum ejus, sed Moyses consecrat oblatos Domino. Sic Aaron (seu Christus sacerdos), sic filii Aaron (seu sacerdotes in Ecclesia) statuunt, exhibent consecrando, quos in Christo, *per<sup>a</sup> et cum* Christo, in unitate sacerdotii divinitas consecrat. Per hunc characterem (14) separantur de medio filiorum Israel, ut sint Dei, quamvis maneant in castris Israel seu in peregrinatione super terram in Ecclesia. Inferiores igitur ordines, prout Levitæ fuerant, (19) traduntur dono Aaron et filiis ejus de medio populi, seu ut in veritate apparet, traduntur sacerdotii unitati in Christo et Ecclesia primo per Aaron, secundæ per filios ejus figuratis, ut serviant, Deus, tibi pro Israel in tabernaculo fœderis et orent pro eis, ne sit in populo plaga.

(20) Feceruntque Moyses et Aaron et omnis multitudo filiorum Israel super Levitis, quæ præceperas, Domine. Ecce, opus characteris sacerdotalis aut, potius dicam, unitatis sacerdotii, in quo etiam populus participat, non tamen populus, (21) sed Aaron elevavit Levitas in conspectu Domini et oravit pro eis. Christus enim solus est, qui coram te, Pater, efficaciter orat pro nobis, (22) sed dum purificati quoque ingrediuntur ad officia sua, in tabernaculo fœderis coram Aaron et filiis ejus ministrant.

Non quæro, Domine, figuram in ceteris versibus hujus capitinis, visible est enim rationem habuisse onerum, quæ Levitæ humeris suis portare obligabantur, et ideo servitium illorum a viginti quinque annis [49:] completarum virium ad quinquaginta annos, a quibus vires deficere incipiunt, exegisse. Residuo autem tempore fratribus servire obligabantur in illis, quæ mandabantur. Magnæ sunt, Domine, et sublimes veritates, quarum fidem his, quæ mihi manifestare dignatus es, confortavit in me misericordia tua. Ex his patet, cur sancti patres sacerdotii characterem ipsis angelis præposuerint, et vere nihil in terris illo sanctius, nihil majore virtute pollens, nihil spirituali potestate eminentius, quam character tam excellens, tam sanctus, qui ab ipsa divinitate per Christum, in Christo et a Christo participatur et omnis potestatis huic traditæ in cælo et in terris illo sanctius, nihil majore virtute pollens, nihil spirituali potestate eminentius, nihil cultu tuo dignius et ministerio tuo convenientius, quam character tam excellens, tam sanctus, qui ab ipsa divinitate per Christum, in Christo et a Christo participatur et omnis potestatis huic traditæ in cælo et in terra, id est, in militanti Ecclesia, quæ regnum et Christi, fit particeps ille, cui in omni sua plenitudine communicatur.

<sup>a</sup> Sic! (*per et cum*)

<sup>1</sup> Cf. Matth. 28,18.

Paucis essent fors sensibilia, quæ profero tibi, Deus, quia pauci sunt inter laicos, qui in sacerdotibus characterem plus quam personam illorum respiciunt. Sed et respectu characteris sunt sacerdotes, qui se considerabiles vellent reddere, sed non in Spiritu Christi. Quodsi vero in Christo et cum Christo uniti non agunt, exercent potestatem in virtute indelebilis characteris, sed in condemnationem suam et ab hominibus non semper præstatur illis debitus respectus, quia in vita ipsorum non repræsentatur Christus, cuius sacrosanctum verbum impletur in ipsis: Qui se exaltat, humiliabitur, qui se humiliat, exaltabitur.<sup>1</sup> Magnæ considerationis est verbum illud aeternæ veritatis: Regnum meum non est de hoc mundo,<sup>2</sup> non veni ministrari, sed ministrare.<sup>3</sup> [50:]

Hæc enim omnia suam connexionem habent. O quanto major est (in suo sensu) cæcitas ferme communis Christianorum, quam fuit cæcitas Judæorum, qui Messiam potentem, regem divitem, bellicosum, triumphatorem in sensu mundano et temporali exspectarunt. Hanc enim ideam omnes prophetiæ litteraliter interpretatæ dabant ipsis. Quid mirum, si de futuris taliter judicarunt? Sed quomodo non miranda est Christianorum cæcitas, quibus non tantummodo revelata est prophetiarum intelligentia, sed illas adimpletas esse credunt. Agnoverunt illum in humilitate, quem prædictæ prophetiæ designabant in exaltatione. Non est illis crux Christi in scandalum, nec in stultitiam,<sup>4</sup> quia credendi receperunt gratiam. Demonstravit nobis Christus exemplo omnia, quæ docuit; scimus, quomodo se humiliando exaltatus fuerit,<sup>5</sup> quomodo ministrando regnaverit, sed capere non volumus, quomodo regat mundum et quomodo regnum ejus sit visibile in mundo, nec tamen sit de hoc mundo.<sup>6</sup> Hinc procedit illa stupenda et fidelibus indigna contrarietas, quod illa, quæ ille contemnebat, ambiamus, quæ ambivit, rejiciamus, et ubi ille ministravit, ministrari velimus. Qui in alieno dominari vult, usurpator dicitur, et nemo miratur, dum talem usurpatorem justitia persequitur, et talis character usurpatoris (qui aliena sibi vindicat injuste, arroganter) plerumque odio habetur,<sup>a</sup> sed quam pauci sunt sacerdotum tuorum, Domine, bona terrestria, honores mundanos, divitias quærentium, qui se tales esse agnoscent. Excedunt tales [51:] sphæram<sup>b</sup> activitatis suæ, et dum characteris potestatem in regnum filiorum mundi alienum extendunt, prostituunt, quia sacer ille character datus est ad ministrandum, non ad dominandum. Portio hereditatis illorum tu ipse es, Deus, nec tamen omnes illorum hereditati suæ terrestri renuntiant, sæpe qui renuntiant quoque, aliena ambiunt. Alienæ dico, quia quæ ex piis fundatorum legationibus ecclesiis data sunt, cultu tuo, pauperibus, piis usibus dicata sunt et quorum administratores esse deberent, domini, usurpatores, ne dicam dissipatores fiunt.

Non censuro mores, vitia, communem vivendi modum, quibus si possibile esset, character ille tam sanctus, tam tremendus deleretur, non tantum obscuraretur et contemneretur. Quare? Quia illius sanctitatem contaminant, quia illo in alieno regno uti

<sup>a</sup> -tur corrigendo

<sup>b</sup> Corrixi ex *sueram?* (cf. Ms. fr.: *ils excedent la sphère de leur activité*)

<sup>1</sup> Cf. Luc. 14,11.

<sup>2</sup> *Regnum....* Ioan. 18,36.

<sup>3</sup> Cf. Matth. 20,28.

<sup>4</sup> Cf. 1 Cor 1,23.

<sup>5</sup> Cf. Luc. 14,11.

<sup>6</sup> Cf. Ioan. 18,36.

volunt, cuius incolatum regno Filii tui præferunt. In alieno regno dico, non in regno Filii tui. In suo sensu enim (in quo ille regnum suum de hoc mundo non esse dicit) regnum mundi qua carnis regnum Diaboli est, et ideo quam primum in hoc alienum (carnis, vitæ nempe mundanæ et Diaboli) regnum per modum suum vivendi licentiosum et irregularem ingrediuntur, merito infelices, usurpatores dicuntur prostituunturque a filiis mundi, possessoribus regni hujus, quia in illo characteris sanctitas ignoratur. Voluit misericordia tua erga homines (quos omnes salvare vellet), ut hi ministri tui, Domine, viverent in hoc alieno regno tamquam dispensatores gratiarum amplificatoresque [52:] regni tui et dilatatores finium illius, sed heu, quam plurimi exemplis conniventiis, ne dicam doctrinis alienum dilatant regnum et inimici tui extendunt dominium.

Nolo, Domine, hæc, quæ profero, ita restringere ad unctiones sacerdotes tuos, qui extendi nequeant ad totum populum tuum, cui sanctitatis sacerdotalemque charactrem in suo supra explicato sensu promeritus [est]<sup>a</sup> sanctus Pontifex noster, Filius tuus. Homo enim pronus est ad malum omnibus diebus vitæ suæ et prope modum omnis caro corrupti viae suam, et præter hoc quoque in regno illo amabili Filii tui omnia munia, omnes functiones ex institutione sua ministeriales<sup>b</sup> sunt, non tantum sacerdotum, quia sicut membra in corpore mutuum et respectivum exercent ministerium, ita et in hoc regno (quod Filius tuos corpus suum sesse voluit) fieri oporteret; sed eheu, Domine, quis regum, quis principum est, qui se pro tali reputet? Quis Dominus appellatur, qui se respectu inferiorum talem esse non credit et dominatum loco ministerii non exerceat in illos? Scio superesse, qui non flexerunt genua sua coram Baal,<sup>1</sup> habes enim electos tuos in omnibus statibus, nec ego consiliarius tuus factus sum, sed judicia tua adorare debeo, nec aliena ita considero, quin meorum obliscar, nec hæc repræsento, ut me a prævaricatorum numero eximam, pastor enim fui gregis magni, sed gregem disperdidi. Minister tuus fui et sum, sed fors nunc quoque adhuc plus ministrari volo, quam ministro. Bonitatis tuæ et humilis confidentiæ ac gratiarum actionis est [53:] hæc mea expressio, non præsumptionis, quod hoc verbum fors his, quæ refero, adjungam. Illud enim respectu ministerii illis, quos mihi adhuc commisisti, debiti intelligo, non respectu ministerii tibi a me qua creatura debiti, de illo enim, quod illis debet, te adjuvante et miserente non arguit conscientia, sed nec me reddit præsumptuosum, ut me ab omni defectu immunem esse credam, verum in illis, quæ te respiciunt et quæ tibi a me, misera creatura debentur, condemnat et culpat multum.

Respicere me itaque oculis misericordiæ, non justitiæ tuæ, et videbis me creaturam tuam debilem, fragilem et infirmam nimis, cui velle tibi ministrare dedisti, sed posse non adjacet.<sup>2</sup> Justum est tamen, ut et hoc, quod dico de posse, in timore et tremore proferam. Quod enim segniss ac tepidus multa negligam aut omittam, non ex<sup>c</sup> gratiæ tuæ defectu, sed ex fragilitatis meæ effectu procedit. Hinc quia parum aut nihil proficio, fors non posse, sed velle meum accusare debeo. Exhibeo me itaque tibi, ut me corrigas et castiges, et me ad implendam sanctissimam voluntatem de me, in me et per me adjuves!

<sup>a</sup> Supplevit *est* cum abbreviatione vocabulis interserendo

<sup>b</sup> Correxit *minis-* ex *mine-*

<sup>c</sup> Correxit *ex ex est*

<sup>1</sup> Cf. 3 Reg. 19,18.

<sup>2</sup> Cf. Rom. 7,18.

Completo anno ab eductione populi ex captivitate (1) præcipis, Domine, filiis Israel facere phase seu celebrare memoriam exitus illorum, ritu, quo ordinasti. Observavi, Domine, omnibus a te institutis sacrificiis te figurari voluisse sacrificium illud ineffabile, in cuius memoria suave olebant tibi adipes et animalia, quæ [54:] immolabantur in altari tuo, sed quia memoriale phase singulari relligione observari voluisti, procul dubio particulariter figuravit phase illud, per quod vetus natura humana transiit in Christo et in novam creaturam transmutata est. Hoc enim phase celebratur et celebrabitur ritu perpetuo, quia sacrificium Agni ab origine mundi occisi et nunc quoque stantis coram te tamquam occisi<sup>1</sup> designavit. Manifestavit nobis hanc figuram ipsa veritas æterna occasione celebrationis phase, phase corporis et sanguinis sui loco substantiæ panis et vini accidentibus hujus et illius velatum substituens et hoc mysterium vere transitus est seu phase verum et reale.

In hujus singularem memoriam instituta est communio paschalis, quam omnis populus spiritualis sub præcepto celebrare tenetur. (6) Qui tamen immundus est super anima sua, secundum judicium sacerdotum hanc celebrationem differt secundum sensum spiritualem legis tuæ (10. 11. 12. 13. 14) explicatæ. Quisquis enim mortalibus peccatis aggravatus est, immundus est super anima sua. Quisquis pænitentiam neendum rite complevit, quisquis emendationem ore, sed non corde promittit, potest dici esse in via procul in gente sua seu in Ecclesia, et tales a celebrando phase populo judicio prudentium confessariorum separantur. Sed quisquis mundus est, et in itinere pænitentiae longo, necesse non fuit, ut esset, phase tamen non facit, exterminatur anima illa de populo, et si refractorius permanserit, ipsa sepultura ecclesiastica privatur, [55:] quia sacrificium Domino non obtulit tempore suo; peccatum suum ipse portabit.<sup>a</sup> Ecclesiæ tuæ, Domine, hodie dum subsistens, spiritui legis tuæ conformis et prout illam Salvator noster omni Paschate respectu celebrationis phase implevit, a quo memoriam suam celebrari mortem suam annuntiari jussit,<sup>2</sup> Ecclesia legem hanc de communione paschali statuit aut observavit juxta cærimonias et justifications ejus.

Quia autem sequentia hujus capititis in hoc consequenti celebrationis phase referuntur, fors, Domine, te adjuvante ad illud applicari possunt. (15) A quo enim erectum est tabernaculum Ecclesiæ tuæ, operuit illam fides, quæ (in sensu illo, in quo Apostolus nos Deum in ænigmate videre dicit)<sup>3</sup> in peregrinatione vitæ nostræ vere tamquam nubes est hoc tabernaculum Ecclesiæ tuæ cooperiens. Est tamen tamquam species ignis lucens in tenebris noctis ignorantiae humanæ. Cum aufertur, id est, elevatur hæc nubes sursum, fit vicinior tibi et proficiscuntur filii Israel in deserto hujus mundi et in loco (seu in explicatione veritatis), in quo subsistit, castra metantur. (18) Et sic ad imperium Spiritus Domini sui, qui dogmata explicat (sed numquam mutat), profecti sunt semper et proficiscuntur filii Israel spiritualis, et in loco, ubi nubes stat, manent.

Quot fuerunt, o Domine, ex justis judiciis tuis exsurgententes venti hæresum, qui hanc nubem fidei jam huc, jam illuc impellere volebant, sed illa a Spiritu Christi

<sup>a</sup> Correxit -bit ex -vit

<sup>1</sup> Cf. Apoc. 5,6.

<sup>2</sup> Cf. I Cor. 11,26.

<sup>3</sup> Cf. I Cor. 13,12.

mota in tenebris lucebat illuminans et jam elevata ducebat per decisiones præcisas, jam in decisis substtit, et ad imperium Domini proficiscebatur aut in excubii Domini substtit populus. Fors, Domine, non erro hæc spiritualiter considerata [56:] proferens, non tamen per hæc statuere volo nubem fuisse figuram fidei, sed hæc refero tamquam cogitationes veritati quidem consentaneas reser-vans hanc materiam et figuram uberius meditari per gratiam tuam in subsequen-tibus.

Eleva, quæso, Domine, ad te nubem hanc fidei, in qua nonnisi in ænigmate video<sup>1</sup> magnalia tua, ut proficiscatur in viis tuis anima mea. Redde illam luminosam, ut luceat in nocte ignorantiae meæ. Quidquid enim deest mihi, deest fidei meæ, et hinc proveniunt tepiditates, distractiones et dissipationes orationum mearum, quia in illis constitutus tremerem, Domine, in humili timore dilectionis, si fidei meæ impressio tam viva esset, ut se in sensus meos extenderet. O quam ferventer te diligenter, si fides mea non esset nubi similis, quæ caligare facit oculos animæ meæ et reddit obscurum ænigma, in quo te video, quamvis me sentire facias magnalia tua, quorum contemplatione nutris animam meam. Sed heu, Domine, deest mihi multum ut te diligam multum! Sed non plus peto, quam quod mihi dare decrevisti, ut perveniam eo, quo me destinasti. Bonus es enim, Domine, et bonum est mihi sperare in te, non quia ego bonus et dignus, sed quia Deus es!

#### [57:] SUPER CAPUT IO.

Publicatae sunt leges, erectum fuerat tabernaculum, celebratum erat phase et, ecce, omnia præparantur ad motum castrorum filiorum Israel. Hinc (1. 2) Moysi duas tubas argenteas ductiles fieri mandas, quibus convocare possit multitudinem, quando movenda erant castra. Forsitan in ignorantia mea præterissem mysterium quærere in tubis, si se statim intellectui non repræsentassent, cur duas tubas præcipis facere, cum duabus simul tubis vix homo possit clangere. Tu tamen dicis, Domine: (3) Cum increpueris tubis etc. Hæc itaque consideratio dicit me ad lumen petendum a te, ut intelligam, et verba, ut eloquar, quæ his, quæ referuntur, velari credo.

Ipsa ars militaris docet necessaria fuisse bellica instrumenta ad danda signa in populo Israel, prout jam te adjuvante observavi in hoc populo manifestasse te ordinem et principalia fundamenta hujus artis. Consentaneum itaque erat, ut ex sequela quoque principiorum bellicorum instrueres Moysen tubam conficere, sed cum tubis clangere jubes, mandatum tuum sub littera mysterium occultare videtur, et procul dubio designat eloquium Domini argentum igne purgatum septuplum.<sup>2</sup> Ex hoc pretioso argento confectæ erant tubæ veteris et novæ legis, quibus divinus Moyses noster, Christus clangebat ad convocandum populum suum, et cum utraque hac tuba increpuerit, congregata est ad eum omnis turba gentilium ad ostium tabernaculi [58:] Ecclesiæ suæ. (4) Incepit ipsemet semel clangere, et venerunt principes (seu apostoli) ad ipsum. (5) Prolixior atque concisus clangor increpuerit, et fama prædicationis, sonus scilicet tubarum commovit plebem. (6) In secundo anno conversationis suæ

<sup>1</sup> Cf. 1 Cor. 13,12.

<sup>2</sup> Cf. Ps. 11,7.

secundum sonitum edidit, et undique currebat populus ad audiendum verbum illius. (7) Quando autem congregandus erat populus, simplex erat clangor tubarum, et non concise ululabant, quia postquam exaltatus fuisse, per simplicem (quia internum) non concise ululanter auribus sonitum Spiritus vehementis trahebatur ad ipsum totum genus humanum, (8) et tunc jussum est filiis Aaron (sacerdotibus Ecclesiæ) clangere tubis verbi Dei, et hoc statutum est in legitimum sempiternum in generatio-nis sacerdotum.

(9) Exeentes itaque ad bellum, ad destruendum idololatriam clangebant ululantibus tubis, et recordabar eorum, ut eruantur de manibus inimicorum. (10) Clangunt tubis in prædicationibus diebus festis et super sacrificia, ut sint nobis in recordatio-nem Dei nostri, tu enim es Dominus Deus noster.

(11) Anno igitur secundo, qui primus fuit post eliberationem ex Ægypto, qui primus fuit ab institutione veri phase in realitate mense secundo vigesimo die mensis (id est quinquagesimo post hoc phase), elevata est nubes a tabernaculo, quia elevata est fides apostolorum per Spiritum Sanctum, et profecti sunt per turmas suas discipuli (12) de deserto seu Monte Sinai (figura Jerusalem et Montis Calvariæ) et recubuit nubes fidei super universæ terrae solitudinem, quia virtualiter effusa est per totum [59:] mundum.

Hunc primum motum castrorum Israel mysteriosum esse suppono, reliqua hujus capitinis historica esse videntur ordinem, quem in castrorum motu observari voluisti, referentia. (13. 14) Prima castra ad orientem posita, castra scilicet Juda primi moverunt, et hos sequebatur (17) pars tabernaculi a filiis Gerson et Merari portata et plaustris vecta, ut in metationibus castrorum tempus intercederet ad erigendum tabernaculum, et ad illud jam erectum post castra Ruben (21) per Caathitas portatum sanctuarium statim in tabernaculum imponeretur. Hic successerunt castra Ephraim (22), et hos sequebantur novissimi castrorum filii Dan.

(29) In consequenti illorum, quæ te adjuvante rettuli super cap. 18. Exod. statuens Jethro pro figura naturæ humanæ, si filium quoque ejus Obab in eadem consideratione respexero, clare mihi videtur repræsentari, quomodo Christus (completis operibus redēptionis naturam humanam ad glorificationem destinatam (29) per locum, quem Dominus datus est) vocasse repræsentatur per Moy-sen, reversa tamen est illa, (30) sicut Obab in terram, in qua nata est, quia mors nonnisi in corpore Christi<sup>a</sup> fuit realiter destructa, sed in natura humana tantum virtualiter fuit devicta, quia resurrectio et glorificatio per passionem fuit prome-rita.

Hæc sunt, Domine, summum bonum meum, quæ ab historia Exodi usque hic repræsentarunt adoranda mysteria et opera Christi, Salvatoris mei in Moyse et in Aaron. Dixi jam sèpe Moysen naturam divinam Christi, [60:] Aaron naturam huma-nam repræsentasse, hæc tamen numquam ita protuli, ut has duas naturas ab una persona Christi separare voluissem.<sup>b</sup> Nec igitur Moyses ita potuit figurare naturam divinam, quin figuraverit et humanam, nec Aaron *ita*<sup>c</sup> fuit figura naturæ humanæ a natura divina separatæ. Sed in his fratribus adæquate repræsentaba[n]tur duarum

<sup>a</sup> Supplevit *Christi* in margine cum abbreviatione

<sup>b</sup> -m correxit?

<sup>c</sup> Delevit *ita*

naturarum in una persona Christi separatae operationes. Unde autumavi Moysen plus divinam, Aaron plus humanam, quam divinam figurasse naturam.

Sed a quo, ecce, omnia mysteria ad radices Montis Sinai in figuris repræsentata sunt et peregrinatio populi figura peregrinationis militantis Ecclesiæ super terram incipit, nescio, Domine, quid de his populi tui ducibus status politici et sacerdotalis directoribus et in hoc sensu vicariis Filii tui proferam. Clamo igitur ad te, Domine. Noli, quæso, destituere me lumine tuo, sed dignare intelligentiam mirabilium tuorum dare mihi, ut appareat virtus tua in infirmitate mea.<sup>1</sup> Quid dicam, Domine, de peregrinatione populi, quæ quadraginta annorum fuit, tota autem vita hominis est peregrinatio super terram? Quomodo igitur reperirem mysterium hujus numeri, nisi secundum explicationem jam super hæc in præcedentibus allatam? Habet tamen Ecclesiæ peregrinatio adhuc et alios differentes sensus. Quamvis enim terræ promissæ possessionem nonnisi post judicii diem acquiret in sensu restricto, persecutiones ejus primorum temporum pro peregrinatione possunt sumi, ita et tranquillitas ejus pro ingressu in terram promissionis temporalis reputari potest.

Sic quæro [61:] te, Domine, sed adhuc te quæro cogitationibus meis, nec enim in hoc nec in altero sensu reperio, quid Moyses, quid Aaron figurare potuerint jam illis peractis, quæ ad Montem Sinai repræsentata et figurata fuerunt. Sepono proinde has in antecessum requisitas cogitationes, et in omni humili simplicitate confidens in gratia tua sequar versiculatim Scripturam. Da, quod mihi dare volueris, et parce de illis, quæ mihi non dederis!

#### SUPER CAPUT XI.

(1) Vel in limine hujus capituli differens mihi repræsentatur spectaculum, quam hactenus observaveram, antequam populus ad Montem Sinai pervenisset. Sæpius murmurantem (ut ita dicam) audivi illum et prævaricationes ejus ferme continuæ fuerunt. Miratus sum paternam misericordiam tuam; numquam enim puniveras illos, sed semper satisfaciebas desiderio illorum. Substitit uno anno ad radices Montis Sinai, abominabilem idolatriam commisit tui oblitus, iratus fueras, Domine, et delere voluisti illum, sed postquam Moyses implorasset pro populo misericordiam tuam, puniendum illi commisisti. Sed ecce, ortum est murmur in populo quasi dolentium pro labore contra te, Domine, quod cum audisses, iratus es, et accensus ignis tuus devoravit extremam castrorum partem, nec amplius Levitis mandatur, ut puniant illum.

Quæ est, Deus, et unde hæc differentia agendi [62:] cum populo tuo? Sic audeo enim interrogare te in semplicitate<sup>a</sup> cordis ex his te plus diligere cupientis. Scio, Domine, et credo semper justa esse judicia tua, sed quo plus dignaris manifestare mirabilia tua, eo plus firmatur, nutritur et confortatur fides mea. Propterea manifestat igitur misericordia tua sic convenisse agere tibi cum populo, antequam legem scivisset, te, quis esses, agnovisset et sacrificiorum beneficia speique suæ figuræ in illis habuisset. Sed posteaquam hæc omnia a te recepisset, gravior culpa graviorem

<sup>a</sup> Sic!

<sup>1</sup> Cf. 2 Cor. 12,3.

pœnam promeruit, et quia plus a te recepit, plus ab illo justitia tua exigit. Grande peccatum fuerat hoc murmur dolentium pro labore et erat manifesta diffidentia in promissionibus tuis. Quodsi enim terram, quam promisisti, firmiter sperasset, quomodo de labore dolere potuisset.

O Domine, fors non amplius sunt mihi in his quærendæ particulares figuræ, sed veritates veritatis sunt applicandæ. Prout enim non obstantibus datis legibus, factis promissionibus cultu tuo et figuris stabilitis populus ille carnalis humanam natum non exuit, ita profecto et populus tuus spiritualis, qui militantem Ecclesiam efficit, homo esse non desiit, quamvis redemptum sit et loco figurarum reales veritates, loco legis Spiritum Sanctum receperit. Respectu universalitatis loquor, Domine, non solum de illa invisibili electorum Ecclesia, in quantum tibi soli nota est; et in hoc sensu patet mihi primum et ferine universalem esse defectum in nobis, languorem illam fidem respectu promissionum tuarum et futuræ patriæ nostræ spem, in qua viventes dolemus pro labore, [63:] quem unicuique statui et homini tua providentia imposuit, propter quod non nos devorat ignis ille justitiæ tuæ (qui in murmure perseverantes supermanet), sed vere devorant in vita sollicitudines illæ temporales, anxietates et vana desideria, et sicut ignis consumunt et arescere faciunt ossa murmurantium.

Hæc est justa pœna, quam secum fert tepiditas fidei et confidentiæ in te, Domine. Murmuramus, tu, Deus longanimis et misericors, non statim videris exaudire nefarium murmur nostrum, sed cum audis, juste irasceris et castrorum extremam partem (illos nempe, qui in murmure perseverant) ab igne suprameorato devorari sinis. Sed si in exemplo populi justam punitionem demonstras, in eodem exemplo remedium quoque manifestas. (2) Clamavit enim populus ad Moysen, Moyses oravit ad Dominum, et absorptus est ignis. Unde nos quoque erudimur clamare ad ductorem nostrum,<sup>a</sup> Filium tuum, et ille intercedit pro nobis, nec nisi ipso intercedente et succurrente absorbetur ignis sollicitudinum nostrarum et pœnæ tuæ (3). Vulgus promiscuum, quod ascenderat cum filiis Israel, videtur denotare majorem omnino numerum hominum esse, qui flagrant desiderio carnium, sedent et flent, junctis sibi pariter filiis Israel et carnis vesci desiderant. Clare hæc demonstrant concupiscentiam, a qua<sup>b</sup> nemo immunis est, et ideo vulgus et filii Israel cum illis mixtim nominantur, ut universalitas morbo concupiscentiæ afflitorum distinctius significetur. Hujus proprietas est appetere carnes, hujus nempe sensualitates, nauseare, quod tu, Deus, das (6), et appetere, quæ non dedisti. (10) Profecto communes sunt intrinseci fletus concupiscentiæ per familias, singuli per interna tentoria, [64:] in imo nempe cordis sui flent mali ex nimio desiderio sensualitatum et vanitatum, boni autem ex agnitione legis peccati et miseriuarum suarum. Irasceris, Domine, vehementer, nec tamen hoc populi factum statim punis, quorum enim promissio terrena fuit, carnes petere fors peccaminosum non fuisset, sed et nobis terrena petere a te et sensibus in ordine et mensura legis tuæ uti licitum est, et ideo hic repræsentari puto, quid simus, non quid per pravam concupiscentiam mereamur.

Perdo me, Domine, adjuva me in contemplatione illorum, quæ hic et in sequentibus versibus de Moyse referuntur. Fletus populi res intoleranda videbatur ipsi, et hoc et zelo provenire potuit, sed quæ (11. 12. 13. 14) mihi exponuntur, debilitas mea ex

<sup>a</sup> Delevit tuum, supra lineam supplevit nostrum

<sup>b</sup> Corrixi qua ex quo

pusillanimitate et laboris tædio provenisse diceret, si me sensui meo et mihi met ipsi traderes, Domine. Alius videbatur mihi fuisse Moyses coram Pharaone, alius de monte descendens, vitulum aureum confringens, injuriam tibi, Deus, illatam vindicans, te tamen pro populo exorans et pro illo vitam suam tibi offerens, alius profecto hic apparelt hic dicens: Sin aliter tibi videtur, obsecro, ut interficias me et inveniam gratiam in oculis tuis, ne tantis afficiar malis. et ex his colligo in præsentibus Moy-sen illum, quem dixi, figuram fuisse, hic vero Moysen, principem justum, sed interna ariditate visitatum in veritate repræsentare. Revocat in mentem populi malitiam, tangitur fletu, movetur commiseratione, agnoscit impotentiam suam, timet justitiam tuam, et potius mori cupit, quam prævaricationibus et murmuribus contra te, Domine, factis supervivere. Hæc<sup>a</sup> sunt enim et his similia<sup>b</sup> ariditatis illius [65:] incitamenta, quæ sæpe justos et electos tuos visitare et probare soles, sed præcipue illis sensibili<sup>c</sup> sunt, quibus cura aliorum a te committitur et per subditos sibi te, Deum, quem diligunt, offendi vident.

Hæc fuit sancta dispositio Moysis, et ideo non arguis illum, sed exaudis et consolaris (16. 17). Sed quid dico, consolaris? Ecce, enim spiritum ab illo ablaturum dicis, ut tradas septuaginta viris de senibus Israel. Magnæ et profundæ sunt hæ instructio-nes, Domine, pro omnibus principibus et populorum tuorum ducibus. Oportet, ut illi in humilitate se oneri gubernii impares agnoscant, et ut ad te in spiritu Moysis recurrent, sublevari petant, oportet, inquam, ut petitio hoc modo auxilio tales senes de populo suo eligant, quos ipsimet norunt, non solum per aliorum relationem no-scunt. Sed quid oportet noscere in illis? Hoc profecto, quod sint senes populi ac magistri, quos Moysen eligere jussisti, Domine. Sed ecce, transferes de spiritu ejus, ut tradas eis. Quam mirabilis est hæc expressio, quam energica, quam adæquata! Aufers spiritum a Moyse. Num ille minus habebit? Non certe, quia ideo das senibus, ut sustentent cum illo onus populi, et non ille solus gravetur. Quidquid igitur habuit, retinet Moyses in aliis, in quibus, si differens spiritus fuisset, oneri fuisset Moysi, non sublevamini. In hoc consistit, Domine, magna pars benedictionis tuæ erga prin-cipes, quando eundem spiritum repartiris inter principes et consiliarios eorum, et hæc loqua-tua vera consolatio et sublevatio fuit Moysi.

Sed et aliam consolationem dignaris dare illi (18) promittens te populo quoque carnes daturum. Sic demonstratur mihi in hoc exemplo, quomodo princeps se affli-gens super afflictione populi [66:] impetrat a te misericordiam. (19. 20) O Deus adorande et admirabilis in operibus tuis, ecce, dare promittis carnes, quas populus cum tanto fletu expetiit, sed das in pœnam, non in præmium, das enim, ut convertantur in nauseam. An ideo, quia malum petierunt? Non, sed eo, quod reppulerunt Dominum, qui in medio eorum erat et in fleverint coram illo dicentes: Quare egressi sumus ex Ægypto? In hoc consistebat malum. In hoc contempserunt Dominum, quod ex captivitate exiisse doluerunt, non ideo, quia carnes petierunt.

Sic est, o Domine; sæpe, quod petimus, obtinemus in nauseam eo, quod non in submissione voluntati tuæ<sup>d</sup> petimus et ordinatione tua contenti non sumus. In his ergo exemplis, quæ nobis exhibes, leges das ad gubernium politicum spectantes,

<sup>a</sup> In rasura (*hi?*)

<sup>b</sup> Correxit *-lia ex -es*

<sup>c</sup> Correxit *-lia ex -es*

<sup>d</sup> Nota structuram!

prout in præcedentibus leges ad cultum tuum pertinentes dederas. Nec hæ in figuris, sed in realitatibus exhibentur, ut in exemplis populi humanæ naturæ pravitatem discernamus et sic te adjuvante malum evitare, bonum sequi conemur. (21. 22) Proclivis est humanus spiritus Moysen incredulitatis arguere, dum responsum ejus ad te datum, Domine, legit, sed ex responso tuo (23) adverto, quod Moysis quæstio fuerit voluntatis tuæ in simplicitate cordis facta et ab ordinata prudentia proveniens exquisitio, non in fide omnipotentiae tuæ hallucinans dubitatio. Conveniebat illi interrogare te, Domine, quo modo velis dare, quod promisisti, ut si quid agendum foret, ipsa exsequi valeret, sed cum ex responso tuo animadvertisset in illis, quæ facturus eras, solam virtutem omnipotentiae tuæ acturam nec te in illis exsequendis ministerio ejus uti velle, tacet, (24) et verbum tuum populo annuntiat mandatumque tuum in congregandis senibus populi exequitur.

(25) Non est instituti mei inquirere, quem spiritum et quomodo abstuleris spiritum a Moyse, ut illum septuaginta senibus ad tabernaculum congregatis dares. Procul dubio enim fuit [67:] Spiritus ille principalis sapientiæ, consilii, discretionis et fortitudinis ad gubernandum tam necessarius, sed insipientis esset imaginari per expressionem Scripturæ intelligi partem Spiritus te abstulisse a Moyse, ut dares septuaginta senibus, sed hos<sup>a</sup> participes reddidisse te ejusdem spiritus Moysi dati, ut exprimeretur, quam sit necessaria unio et identitas spiritus in duce populi et consiliariis illius. Cum igitur hic spiritus requievisset, prophetaverunt senes, nec amplius cessaverunt.

Nescio, Domine, ad quem sensum prophetiæ Scriptura hic extendat verbum: prophetarunt, sed nec me errare credo, si illum in omnem sensum et in omne genus prophetiæ extendero, prout hoc donum et spiritum Moysen habuisse clarum est. (26) Illi ergo, qui in castris remanserant, futura mirabilia tua in castris edicere potuerunt. Hic enim modus prophetandi (Spiritum sensibiliter manifestans) potuit causare, quod puer cucurrerit, ut Moysi nuntiaret Eldad et Medad prophetare in castris, sed sed nisi admirabilis et excellens spiritus propheticus manifestatio<sup>b</sup> potuit (28) in Josue causare motum illum, quem multi humano instinctui attribuunt, debilitas autem mea fidelitati erga Moysen et regulatæ prudentiæ ascribit, quæ spiritus probare et discernere dictat vel maxime illis, qui populorum duces sunt. (29) Scivit Moyses a temet ipso, Deus, causam, cur hi prophetaverint, ideo apparentem æmulationem Josue reprimet et optat (quod omnibus principibus optandum esset), ut tuum, Deus, omnibus dares Spiritum, cuius unio beatam efficeret principum et populi sortem in terris.

(31) Subsistit, Domine, ignorantia mea, nec scit, quid cogitet de sequentibus, quæ de coturnicibus per vehementem ventum in castra delatis referuntur. Num nimirum hoc per virtutem tuam factum miraculum [68:] idem sit cum illo, quod jam relatum est Exod. cap. 16. v. 13, an distinctum. Alterum enim in via seu in accessu Montis Sinai contigisse, hoc in recessu a monte evenisse indicat Scriptura, et propterea repetitum esse dicerem. Quodsi tamen sic se habet, cur Moyses interrogasset te, Domine, unde sis accepturus carnes pro tanta multitudine, siquidem jam præcedentis miraculi facile recordari potuisset?

Prætereo igitur has discussiones, in quibus plerumque humanus spiritus dat occasionem morandi. Non ideo meditor enim Scripturas, ut illas sensui humano adaptan-

<sup>a</sup> Correxit *hos ex hoc*?

<sup>b</sup> Correxit *-tio ex -rio*?

do et illius adminiculo intelligendo reddam credibiles, sed ut credens in simplicitate te laudem in dilectione.

(33) Longanimis es, Domine, et justus! Et hæc repetendi sæpe mihi occurrit occasio. Displicuit tibi fletus populi, iratus es vehementer eo, quod ex Ægypto exiisse doluerit populus, prius tamen carnes ad manducandum dedisti, postea plaga magna percussit illum commotus furor tuus. Agit in his, Domine, bonitas tua modo captui humano convenienti. Quodsi enim punivisses et, quod populus petiit, non dedisses,<sup>a</sup> pœnam impotentia dandi, quod petiit, attribuisset populus. Sed dum carnem in dentibus habens punitus est et tuam in dando agnoscere potuit potentem misericordiam et puniendo justitiam, (34) vocatusque est locus sepulchra concupiscentiæ. Ibi enim sepelierunt populum, qui desideraverat. Et quid totus his mundus aliud est, quam sepulchrum concupiscentiæ, in quo moriendo vivimus, quia omni momento concupiscendo morimur, et heu, quam sæpe mortui vivimus! Respice me, Domine, in hoc sepulchro concupiscentiæ jam per me morientem, jam per te viventem, et fac, ne quid desiderem præter te, ut semper vivam per te!

#### [69:] SUPER CAPUT 12.

Magna sunt humanæ pravitatis et corruptionis exempla, quæ in præcedentibus manifestantur in populo, sed sanctos, unctos quoque tuos, Domine, ab illa exemptos non fuisse, quam contemplandam aggredior, historia demonstrat. Quam tremenda sunt hæc veritates, non figuræ! Quam subtile est æmulationis et invidiæ venenum, quod in cor Aaron, summi sacerdotis et Mariæ prophetissæ penetrare potuit, et in illo ipsam sanctam unctionem fodare, in utroque fraternalm dilectionem jusque sanguinis superare potuit! Continuas, Deus, per hæc demonstrare mihi in persona Moysis, quibus contradictionibus, æmulationibus et invidiis subjecti sint principes, quos in populorum duces statuis et quomodo etiam inter sanguine junctos occultos inimicos reperiant, etiamsi in personis suis irreprehensibles sint, prout Moyses fuisse repræsentatur.

(1) Locutusque est Maria et Aaron contra Moysen non propter ipsum, sed propter ejus uxorem, sed tamen contra Moysen. Quid autem dixerunt (2)? Profecto verba elationis et superbiæ, per quæ se Moysi æquiparare voluerunt. Non audivit hæc verba Moyses, sed tibi (cui nihil occultum est), cum audisses, Domine, (3) (erat enim Moyses vir mitissimus super omnes homines, qui morabantur in terra), statim locutus es ad eum. Character mansuetudinis est non audire, quid alii de se<sup>b</sup> loquantur, sed proprietas justitiae tuæ est protegere innocentes, et ideo statim audivisti, Domine, quod frater et soror contra fratrem mansuetum locuti sunt. Tanta<sup>c</sup> fuit facie<sup>d</sup> Moysis glorificatio, ut<sup>e</sup> eam nec Aaron nec Maria respicere potuerint, et tamen obloqui et se illi æquiparare non verentur. Et hæc est superbiæ proprietas et cæcitas, [70:] quam, ecce, humiliare nec momento, ut ita dicam, differs, Domine. Statim

<sup>a</sup> Correxit -s ex -t

<sup>b</sup> Sic!

<sup>c</sup> In rasura

<sup>d</sup> Correxit -ei ex -es

<sup>e</sup> Correxit ut ex et

loqueris enim ad Moysen, ad Aaron et ad Mariam, et evocas eos tantum tres ad judicium. (5. 6. 7. 8) Descendis in columna nubis, et quid dicis? Exaltas humilem et mansuetum deprimisque superbos. Si quis fuerit (inquis) inter vos propheta Domini, in visione apparebo ei vel per somnum loquar ad illum. At non talis servus meus Moyses, qui in omni domo mea fidelissimus est.

O elogium elogiorum, o digna mansueto et fidei<sup>a</sup> exaltatio, quæ ex ore veritatis præcedit! Quam hactenus præ ceteris electis et sanctis tuis, Domine, Moyses promeritus est, cui ore ad os loqui dignatus es, et palam, non per ænigmata et figuræ Dominum videt. Non tamen dicis, quod Deum, sed quod Dominum (seu visibilem majestatem) videat. Hoc est, o Domine, quod nos quoque Filius tuus docuit dicens: Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt,<sup>1</sup> et quis corde mundior, quam qui fidelissimus et mansuetissimus fuit et procul dubio ideo Dominum videre meruit. Sic, inquam, exaltasti humilem et deprimens superbos interrogas: Quare ergo non timuistis detrahere servo meo Moysi? Non plus arguis, non abjurgas, (9) quia iratus contra eos abiisti. O Deus, hinc quoque agnosco, quod hoc sit signum et effectus maximæ iræ tuæ: abire ab homine. Quamdiu enim exprobras, corripis, arguis seu per conscientiam seu per pœnas temporales, adhuc præsens es, et haec facis, ut occasio nem des revertendi audiendo vocem tuam. Sed dum siles, non amplius ades, et te recedente quid fit? Nubes (seu prout dixi) fides quoque recedit a tabernaculo cordis, et sic Maria apparet (10) candens lepra quasi nix. Sed talis lepra secundum legem lepra munda potuisse dici, et per consequens contraria reflexionibus meis, quas de lepra jam rettuli, nisi Scriptura [71:] me doceret, (12) quod carnem devoraverit et secundum ipsum judicium summi sacerdotis ex hoc fundamento impura et immunda judiciata fuerit. Propterea (11) obsecrat Aaron Moysen, ut orare velit pro illa.

Hæc igitur me confirmant, Domine, in illis, quæ te adjuvante jam rettuli de lepra. Peccatum enim Mariae fuit peccatum cognitionis et voluntarium, et ideo lepra, quamvis per totum corpus diffusa et alba, in carne quoque fuit, quia illam devoravit et sic peccati effectum, quem in anima producit, vivaciter repræsentavit. (13) Clamavit statim Moyses, quia hominum mitissimus fuit. (14) Efficax fuit clamor illius coram te, Domine, dispositusque te ad sanandum. Requisivisti tamen, ut Maria quoque rubore suffunderetur, id est, peccatum agnosceret et coram populo per septem dierum separationem peccatum illius<sup>b</sup> manifestaretur.

O reges et principes, quibus Deus ducere et regere populos suos commisit, discite in exemplis et in charaktere Moysis, quales vos esse oporteat! Laudat Deus Moysen a fidelitate et a mansuetudine, et has virtutes essentialiter requirit in vobis. Fidelitas enim secum fert justitiam, mansuetudo comprehendit misericordiam, et una et altera efficit veram pietatem, quæ in fidelitate et in mansuetudine consistit. Si, inquam, fideles fueritis mandatis Domini, justitiam et misericordiam exercebitis, si mansueti fueritis, passionibus carebitis, et patientia, tolerantia (exclusa segnitie et tepiditate) pollebitis. Mansuetorum promissio est terræ possessio,<sup>2</sup> et in hoc<sup>c</sup> quoque appetet, quomodo hæc virtus vobis conveniat. Sed filii mundi, qui hanc virtutem quidem aestimant, sæpe segnitiem et

<sup>a</sup> Correxit -i ex -e

<sup>b</sup> Correxit -ius ex -is

<sup>c</sup> Supplevit hoc supra lineam

<sup>1</sup> Beati.... Matth. 5,8.

<sup>2</sup> Cf. Matth. 5,4.

hebetem simplicitatem cum hac virtute confundunt, [72:] sœpe imbecillitatem pro mansuetudine sumunt, sed hi sunt defectus principe tam indigni, prout mansuetudo digna est, quia illos omni populo reddit amabiles. Dignitatem servat excluso fastu et superbia, gravitatem moderatur, affabilitatem regit, ne in levitatem degeneret, internam humilitatem fovet, misericordiam nutrit, denique uno verbo Deo et hominibus gratos reddit. Mansuetus irasci scit sine peccato, justitiam exercet absque passione, clemens est et miseretur sine segnitie, zelosus est absque motu, et indiscreto fervore liberalis sine prodigalitate, generosus absque vanitate, patiens sine ignavia, tolerans exclusa imbecillitate, simplex sine affectatione.

Talis fuit Moyses, cui tu, Deus, tam eximias et principe dignas virtutes dare dignatus es. Profecto alium vidi fuisse Moysen Ægyptum occidentem, alium ad rubi<sup>a</sup> ardentis visionem, alium in Ægypto, alium in Sinai, alium a quo peregrinationem discedens a monte inchoavit. In his omnibus sanctus fuit, sed differentes pro occasionibus requisitæ virtutes sunt manifestatae in illo. Differens fidei firmitas, quæ ecce, illum fidelissimum et mansuetissimum fecit. Ubi enim est fidei firmitas, est et fidelitas, et qui fidelissimus Deo, est in fide firmissimus.

Hæc sunt, Domine, quæ in hac historia repræsentavit mihi bonitas tua. Imprime cordi meo has veritates, ut sequar in agendo, quod docere dignatus es hæc contemplando. Sæpe enim et heu, quam sœpe hominibus in externis actionibus fidelis erga te apparuit, firmiter tamen non creditit. Hæc tamen mea hypocrisis propositionem meam non appugnat, sed confirmat, quia fidelis non fui, sed tantum fidelis apparui. Sed, o Domine, [73:] nunc quoque inest mihi infidelitas, quia magna est in me fragilitas et ex hac causata infirmitas. Auge fidem<sup>b</sup>, ut crescat fidelitas et ex fide et fidelitate augeatur in me tua charitas!

#### SUPER CAPUT 13.

Magnus es, Domine, et laudabilis nimis, adorandus ex omnibus, quæ fecisti! Audiveras murmur populi dolentis pro labore. Ut igitur illum consolareris spem erigendo, (1. 2. 3) ecce, jubes Moysi, ut mitteret viros, qui considerent terram, quam daturus eras populo tuo. Condescendis, Domine, et instituis omnia modo humanæ prudentiæ accommodato jubens ex omni tribu mitti unum, procul dubio ut ex propria tribu<sup>c</sup> missus explorator unicuique tribui de illis, quæ relaturus erat, majorem fidem faceret; ut denique major exploratorum numerus terram exactius visitaret et opus citius perficeret. Quodsi paucos mittere jussisses, Domine, res populo suspicionem parere potuisset, et fors ad illam dementiam processisset, ut illos a Moyse corruptos fuisse dixisset.

Sed his mandatis tuis, Domine, etiam principes et belli duces instruuntur, quid facere debeant, antequam terram hostilem ingrediantur. (17) Antequam Moyses Osee filium Num expediret, profecto spiritu propheticō illum Josue seu Salvatorem a Deo datum nominavit et eo prudentiori consilio ad explorandum miserat illum, qui

<sup>a</sup> In rasura

<sup>b</sup> fidem sc. meam

<sup>c</sup> Corrigendo

ad populum inducendum jam tum destinatus erat a te, Deus. (18) Moyses illis viam indicat (19. 20. 21) instruens, quænam observare debeant seu ad bellum ducandum seu ad œconomiam exercendam proficia et scitu necessaria. Terræ qualitatem, populum incolam, hujus fortitudinem aut debilitatem, numerum, urbium munimenta, glebae pinguedinem aut sterilitatem, [74:] nemora et arbores consideranda specificat et animatos dimittit subjungens, ut de terræ fructibus afferant, ut ex illorum notitia et fructuum visu fortes animarentur, imbelles excitarentur.

Prævidisti, Domine, quid eventurum erat ex hac missione, hic tamen finis missio-  
nis illorum et secundum consilia tua et secundum humanum agendi modum consider-  
atus sanctus, salutaris et omni prudentiae humanæ et arti bellicæ conveniens fuerat.  
Unde homo facile agnoscere potest te omnia ad bonum utilitatemque hominis ordi-  
nare, nec nisi hominem pervertere in detrimentum suum illa, quæ a te bene ordinata  
ipsum concernunt, dum nimurum illis, quæ ordinat, abutitur tuam negligendo, suam  
sequens<sup>a</sup> voluntatem tenebrarumque et ignorantiae sue suggestiones. Hinc principes  
discere possunt numquam de suis consiliis et dispositionibus ita præsumere, ut in  
illis spem suam collocent. Numquam enim tam sana, tam accommodata, tam bene  
prævisa possunt esse, quin perverti, turbari et ex bonis mala fieri possint. Moyses  
propheta et lumine tuo, Deus, illustratus duodecim exploratores eligit, ex quibus  
nonnisi duo fideles reperti sunt, ceteri corruptores populi fuerunt, qui debuerant esse  
animatores.

Sed ecce, humana mea imprudens dicit prudentia, quæ facta et magnalia tua, Deus,  
censurare solet, et ego illam insipienter loqui permittam, ut confundatur. Dicit itaque ex  
his, quæ referuntur, debere principes discere satius esse paucos mittere exploratores,  
quam numerosos, cum in paucitate facilius reperiantur apti, quam inter multos. Quare  
non misit Moyses solum Caleb et Josue, quem <præ><sup>b</sup> præ ceteris electum jam supra  
indicaverat Scriptura? Sic enim præcavere potuisset, quæ subsecuta sunt? Dum proinde  
considerat hæc ipsa insipientia mea Moysen te mandante hæc ita instituisse, proclivis  
esset ex natura sua impie dicere te absolute voluisse, Domine, [75:] ut malum, quod  
factum est, eveniret, et ideo jussisse, ut loco duorum duodecim mitterentur. Sic blaterat  
insipientia mea, quæ eventus ex consequenti judicans prudentia vocatur. Quodsi enim  
Moyses te aliter mandante, Domine, duos tantum exploratores misisset et hi infideles  
fuissent aut ceteræ decem tribus relata illorum non credidissent, pari modo reprobasset  
hæc humana insipientia consilium tuum, Domine, dicens populum in tribus divisum  
totidem familias effecisse facileque exinde prævideri potuisse duos exploratores in hac  
communitate æqualem fidem non reperturos, quam si de qualibet tribu virum selectum  
et probatum misisset Moyses, quod facere ex eo quoque conveniebat, quia terram  
bonam fertilemque esse Moyses dubitare non potuit nec proinde metuere, quod plures  
futuri essent exploratorum, qui terræ detraherent, quem qui veritatem referrent; et tali  
insipiente sermone denuo ad te fecisset, Deus, redundare malum, quod ex paucitate  
exploratorum evenisset.

Sed confundor ego, Domine, tu enim es, qui confundis insipientiam meam, dum  
me illam agnoscere fecis. Præscindendo enim ab eventuum consideratione ipsa mea  
prudentia ex jam dictis concludit omnino<sup>c</sup> convenientius fuisse mittere ex qualibet

<sup>a</sup> Nota structuram (*negligendo.... sequens*)

<sup>b</sup> Delevit *præ*

<sup>c</sup> Correxit *omnino ex omnia?*

tribu exploratores, quia hunc modum procedendi et hoc consilium ipsa populi reperitio in tribus et gubernii forma taliter dictavit; et dum sequelam hujus missionis taliter considero, de illa non te (omnia salutariter instituentem), sed humanæ naturæ a te, Domine, tam facile deflectentis pravitatem arguo populique in te habite fidei debilitatem agnosco. In multis vera rettulerunt exploratores, nec se Moyses fecellit in eligendo. Mandata a Moyse exsecuti sunt, signa ubertatis soli attulerunt, de urbibus, de populo, de fortitudine ejus, [76:] quæ viderunt et crediderunt, dixerunt, sed in eo defecerunt, quod spem suam in promissionibus tuis habendam (præter Caleb et Josue) super prudentiæ suæ dictamen non elevarunt. Prævaluuit in populo quoque humanæ rationis dictamen super spem, quam in promissionibus tuis habere lege jusseras, sicut ex subsequenti capite ex illis, quæ facta sunt, apparebit. Quo se plus consulit, quo sibi plus fudit humana prudentia, eo se citius confundit; et sic populus ille, qui tam cito obliscebat illorum, quæ vidit de magnalibus tuis, vires suas, vires inimicorum, urbes, munimenta, filios Enacim respiciebat et metuebat.

O Deus, quanta est humana infirmitas, quam fides supernaturalis non illuminat. Ecce, tanta portenta et prodigia, quæ omni ferme die viderat hic populus, nihil proderant illi ad firmandam fidem in te. Viderat ignem devorare castra sua propria, et non credidit eundem ignem posse consumere inimicos suos. Sed adhuc mirabilior apparet hæc incredulitas in decem exploratoribus (qui ex incondita multitudine selecti fuerant), quam in ipso populo. (38) Caleb compescere conatur murmur, quod oriebatur contra Moysen, animat populum dicens: (32)<sup>a</sup> Ascendamus et possideamus terram, quoniam poterimus obtinere eam; alii, qui fuerant cum eo, dicebant: Nequaquam ad hunc populum poterimus ascendere, quia fortior nobis est. (33) Detraxeruntque terræ dicentes: Terra, quam lustravimus, devorat habitatores suos.

Quomodo sibi mentitur iniquitas! Populum fortein, robustum, urbes magnas referunt et tamen terram in salubritate et in temperie æris habitatores suos devorare dicunt. Hic ipse populus viderat ante paucos dies Mariam puniri ex eo, quod contra Moysen oblocuta fuerit et, ecce, contra Moysen hominem hominum mansuetissimum [77:] murmurare pro nihilo dicit populus. Horreat princeps hæc considerans. Videre potest enim, quid sit regere populum, qui, ecce, nec pœnis nec flagellis nec portentis contineri potest in obsequio Dei et ductoris sui, et quo exactius hæc penderit, eo evidentius videbit non humana consilia, non humanas vires stabilire pacata et pacifica regimina, sed præmia esse a bonitate et a misericordia tua, Deus; et nisi princeps exemplo Moysis fidelis permanserit tibi, Domine, nil sperare potest a subditis suis, quorum malitiam homo refrenare nequit.

Verum est, o Domine, et ex his tam stupendis increduli populi Israel exemplis (cum illis, quæ in populo Christiano facta sunt, confrontatis) discerni potest differentia docilitatis populi Christiani, quam huic<sup>b</sup> sanguis Filii tui effusus per fidem supernaturalem promeruit, sed quo plus agnoscat princeps hanc veritatem, eo clarius videbit religionis in plebe conservandæ necessitatem et suam erga te, Deus, fidelitatem animam debere esse gubernii sui. Imprime, o Deus, in corde unctorum tuorum hanc veritatem. Illumina illos, quos tuos in terris statuisti vicarios, ut fidelitatis sibi ipsis debitæ basim per fidelitatem tibi debitam firment; per te regentes te regnare

<sup>a</sup> Rectius: (31)

<sup>b</sup> In rasura

faciant et populum, quem curæ illorum commisisti, ad te, Regem regum et Deum dominantium ducant!

#### SUPER CAPUT 14.

O Deus infinite misericors, quam vivaciter mihi repræsentat Scriptura statum hominis, qui spem in promissionibus tuis habitam amittit (1)! Vociferatur omnis turba, flet nocte illa, confunduntur spiritus, obnubilatur intellectus et non nisi horroris objecta repræsentat phantasia. Fluctuat voluntas, et quia nullum distinctum objectum repræsentatur intellectui, (2) murmurant contra Moysen et Aaron cuncti filii Israel. Vociferantes confusam edunt vocem, et hoc ipsum, quod vident, quin et mutuo aspectu augent confusionem. Sed quid dicis, o insana multitudo? [78:] (3) Utinam mortui essemus in Ægypto, et in hac vasta solitudine utinam pereamus, et non inducat nos Dominus in terram istam, ne cadamus gladio et uxores ac liberi nostri ducantur captivi! Nonne melius esset reverti in Ægyptum? Hæ sunt vociferationes tuæ, quas spe amissa obnubilatus intellectus, fluctuans voluntas edit. Utinam mortui essemus, et in hac vasta solitudine utinam pereamus! Ecce, mortem desideras. Non inducat nos Dominus in terram istam, ne cadamus gladio! Ecce, mortem times. Ne cadamus gladio, inquis, et uxores ac liberi nostri ducantur captivi. Ecce, horres captitatem. Nonne melius est reverti in Ægyptum? Ecce, quæris servitutem.

Quam horrendus est status iste voluntatis volentis et nolentis, bonum in malo, malum in bono (amissa spei firmitate) respicientis nec, quid desideret, reperientis. Hæc repræsentant mihi statum peccatoris fide offuscata, spe amissa extre<sup>a</sup>mos halitus trahentis. Hæc repræsentant spiritum humanum in occurrentibus et in prævisis humanæ vitæ eventibus proprio motu agentem. Humana fuit fides tua, o Israel, et cognitio Dei multum extrinseca in te. Hinc per solam repræsentationem periculorum spes, quæ supernaturali fidei firmitate suffulta non fuit, evanuit, nec amplius voluntas fixum objectum reperire potuit, sed inter velle et nolle contrariis motibus fluctuavit, et tandem ad jam notam Ægypti servitutem redire pronior fuit, quam se imaginario periculo ignotæ servitutis exponere. (4) Hinc dicit unus ad alterum: Constituamus nobis ducem et revertamur in Ægyptum, cuius perditionis causa fuit, quam spoliavit et divitiis ejus onustus exiens odium, inimicitiasque totius Ægypti provocavit.

Tales sunt, Deus, et tam insipientes instinctus humani spiritus sibimet traditi et objecta in fide naturali respicientis. Quid agit ad tam triste spectaculum, ad tantum vociferantis populi effrenem tumultum hominum mitissimus et fidelissimus Moyses et Aaron? (5) Ceciderunt proni in terram coram omni multitudine filiorum [79:] Israel. Humiliant se coram te, Deus, submittunt se voluntati tuæ, et a te exspectant malorum remedium. Fides illorum spei in te, Deus, innixa in silentio loquitur, non concitatur ad iram, non vociferatur contra clamores, non ad prudentiam suam propriam recurrit, non proximum periculum metuit, sed in sua firmitate omnes insipientis populi motus contemnens se tibi exhibens a te exspectat consilium, tuæ voluntati in silentio committit rerum, quibus par non est, eventum. Josue econtra et Caleb

<sup>a</sup> -tremos in rasura

fideles tibi, Domine, (6) zelo veritatis accensi scidunt vestimenta sua in signum internæ contristationis. Loquuntur ad populum, animant illum, reducere volunt ad te fortitudinem tuam deprædicantes (7. 8), sed quem effectum producit zelus illorum? Cum clamaret omnis multitudo et lapidibus vellet opprimere, apparuit gloria Domini super tectum fœderis cunctis filiis Israel (10. 11).

Respexisti, Domine, Moysen et Aaron humiliatos coram te. Respexisti fidelitatem et zelum Caleb et Josue, ecce, manifestas gloriam tuam, nec amplius refert Scriptura quidpiam de continuatione vociferationis et de tumultu populi. Sufficit hoc visibile objectum ad sedandum humani spiritus motum, qui (prout mox videbo), in timorem, tremorem et luctum conversus est. Moysen interrogas, Domine, usquequo detrahet tibi populus? Quousque non credet tibi in omnibus signis, quæ fecisti coram eis? Non est hoc verbum tuum verbum quæstionis, sed est verbum exprobationis. Vidisti enim statum cordis populi, vidisti, quam sit naturale homini illorum oblivisci, quæ præterierunt, et ignorare, quæ futura sunt, nec nisi præsentibus moveri et secundum actuales motus suos de præsentibus et de futuris formare præjudicia. Unde ipse intellectus in statu naturæ lapsa servit homini in pœnam, dum a te non elevatur ad supernaturalia. Crudeliter torquetur homo, [80:] qui futura secundum proprium lumen respicit, secundum quod jam sperat, jam desperat et propterea semper fluctuat, sed rupis adinstar firmatur, dum in te confidere noverit. Habuit objectum confidentiæ populus, cui toties promissiones tuas confirmasti, figuræ mysteriosas præ oculis ejus constituisti, sed per illas necdum gratiam illam supernaturalem nobis demeritam acquisiverat, sine qua firmiter credere nequivit.

Ex his et ex sequentibus patet hæc veritas respectu populi, quamvis respectu electorum tuorum differentem conductum misericordiæ tuæ dignaris manifestare mihi. Ecce enim, hic Moyses et Aaron, Caleb et Josue rupe immobiliores subsistunt, mox illi deficient, hi perseverabunt, et quis te audebit interrogare, cur hæc ita facta sint? (12) Quam insipiens esset loquela mea, Domine, si dicerem tempasse te Moysen dicens: Feriam igitur eos (scilicet populum) pestilentia, atque consumam, te autem faciam principem super gentem magnam et fortiorum, quam hæc est, ut se non opponat (ut ita dicam) justo furori tuo. Jam enim in monte propter idolatriam populi dixeras: Dimitte me, ut irascatur furor meus. Tu enim non es temptator hominis, Deus. Percutere enim potuisses ex justitia, sed Moyses pastor et dux populi tui, si pro populo non intercessisset, obligationi suæ non satisfecisset. Non ideo dixisti igitur: Faciam te principem super gentem magnam et fortiorum, quam hæc est, ut Moysen in perditionem populi consentiat, sed ut conservato in illo semine Abrahæ et patrum Moysis te promissionibus tuis taliter quoque satisfacere sciatur. Vox igitur tua in auribus Moysis sonans dicit: Feriam eos pestilentia atque consumam ex justitia, sed vox interna ad Moysen loquitur ex misericordia, et ideo enarratis (13. 14. 15. 16. 17) illis, quæ hominum insipientia dicere posset, (18) agnoscit Moyses, quid possis ex justitia, obsecrat ex misericordia (19) dicens: Dimitte, obsecro, peccatum populi hujus secundum magnitudinem misericordiæ tuæ, sicut propitius fuisti [81:] egreditibus de Ægypto usque ad locum istum. Opponit, inquam, Moyses scutum misericordiæ tuæ contra gladium justitiæ tuæ, (20) dixitque Dominus: Dimisi juxta verbum tuum. Sed verbum Moysis fuit verbum Moysis in ore suo, sed in corde Moysis fuit verbum misericordiæ tuæ, Deus, per os Moysis editum.

Hinc ex consideratione tantorum mirabilium tuorum (21) impletur gloria tua universa terra. (22) Attamen omnes homines,<sup>a</sup> qui viderunt majestatem tuam et signa, quæ fecisti in Ægypto et in solitudine et temptaverunt te jam per decem vices, nec obœdierunt voci tuæ, (23) non videbunt terram, pro qua jurasti patribus eorum, nec quisquam ex illis, qui detraxit tibi, intuebitur eam. Quid justius, Domine, quam punire hos, ut satisfiat justitiæ tuæ? Quid misericorditer justius, quam parcere ceteris, qui non viderunt et propterea humana fragilitate ducti ideo non crediderunt, quia non viderunt. (24) Vere alio spiritu ductus Caleb secutus fuerat te et ideo inducere promittit illum in terram, quam circuivit, et semen ejus possidebit illam. Hic promittis te inductum. Caleb ex tribu Juda, mox infra promittes (30) inductum te etiam Josue ex tribu Ephraim, ut clarius designetur principaliter semini Judæ danda possessio et seminis Ephraim in Josue specialis introductio. Jam enim in Genesi (occasione benedictionis Jacob filiis suis impertitæ)<sup>b</sup> connotavi Ephraim gentes in Ecclesiam introducendas figurasse.

(25) Hæc<sup>c</sup> facta fuerant in conspectu quodammodo Amalecitarum et Chananæorum habitantium in vallibus. Quam facile igitur fuissest tibi tradere puniendum populum inimicis suis, sed ne hi superbiant in victoriis, præcipis, ut redeat populus per viam Maris Rubri. Noluisti enim assumere inimicos in ministros justitiæ tuæ contra populum tuum, cum illi non solummodo nocentes (quos punire), sed et infantes illorum, quos conservare voluisti, occidissent. (26) Loqueris igitur [82:] Moysi et edicis judicia tua de populo. Et quæ sunt hæc, Domine? (28) Sicut locuti sunt audentie te, ita facies illis. Dixerunt enim: (3) Utinam in hac vasta solitudine pereamus et non inducat nos Dominus in terram istam, ne cadamus gladio! Ecce, (29) secundum hanc locutionem illorum in solitudine ista jacebunt cadavera omnium, qui numerati sunt a viginti annis et supra, qui murmurarunt contra te, Domine, (30) et non intrabunt terram, super quam levaveras manum tuam, ut habitare faceres, (31) sed parvuli illorum, de quibus dixerunt, quod prædæ hostibus erunt, introducentur, ut videant terram, quæ illis displicuit. (32) Vestra, inquit, cadavera jacebunt in solitudine, (33) filii vestri erunt vagi in deserto annis quadraginta (34) juxta numerum quadraginta dierum, quibus considerastis terram. Annus pro die imputabitur et quadraginta annis recipietis iniquitates vestras et scietis ultionem meam.

Hæc sunt, o Deus, justa et misericordia judicia tua, sic punis, sicut locuti sunt. Quam sæpe sic fit nobis in deserto hujus mundi peregrinantibus, sed quomodo hæc circa nos agantur, non advertimus. Homo enim, qui exclusa propria voluntate se tibi non submittit, fluctuat, et jam a concupiscentia stimulatus desiderat, jam prævisione malorum anxiatus labore recusat aut eventus futuros, de quibus sibi præjudicia format, timet, et tu, Domine, sæpiissime et quasi plerumque, sicut loquitur, in pœnam facis illi permittens evenire, quæ desiderat; et prout populus hic carnalis incidit in mala, quæ præcavere potuisset, si voluntatem tuam in fide et patientia secutus fuissest. Multiplicantur ærumnæ nostræ, dum a voluntate tua aliena desideramus, et dies nostri in annorum calamitates convertuntur. Valde rari sunt inter homines, qui hanc veritatem intelligunt, pauci sunt, qui etiam ex consequenti investigant, et quia desideria sua non examinant, nec voluntatem [83:] tuam discernere intendunt, sed a

<sup>a</sup> h- corrigendo

<sup>b</sup> Supplevi signum )

<sup>c</sup> In macula atramenti

propria ducuntur prudentia. Non omnium sunt tam insipientia desideria, prout populi hujus fuerat, qui spe destitutus jam in deserto mori, jam in servitatem redire voluerat. Quæ enim a te petimus, Domine, sub apparentia boni et vere licita petimus, sed quia finem, in quem petimus, aut incitamentum, a quo movemur, non discutimus, ideo deviamus a voluntate tua, quia ad petendum a concupiscentia ducimur<sup>1</sup> et sæpe, sicut dixi, in pœnam fit nobis, dum facis, sicut loquimur.

Intelligo, Domine, te illuminante, quæ profero, sed da mihi eloqui, ut etiam alii intelligent veritatem ex præallato exemplo Israelitarum erutam. Variis modis potest enim explicare, censurare ac detorquere humanus spiritus hæc, quæ jam rettuli. Alia sunt enim inter illa, quæ a te petuntur, quæ per se insipientia sunt, prout fuerat hæc petatio Israelitarum in deserto mori aut in Ægyptum redire volentium, nec de his petitionibus loquar, quia hujus speciei petitiones non sunt ordinariæ, sed sunt desperationis effectus. Verum sunt aliaæ petitiones bonorum terrestrium, dignitatum, honorum, quæ non tantum compatibilis cum vita Christiana, sed et<sup>a</sup> licitæ et bonæ sunt per se, illas tamen incitamenta, quibus movemur, jam malas, jam illicitas, jam incautas reddunt. Petere enim illa, quæ rettuli, ut exinde honoremur, æstimemur,<sup>b</sup> consideramur ab hominibus, ut excellamus super alios, ut vitam mundanam, fastum et pomparam (quibus renuntiavimus in baptismate) sectemur et ducamus, peccaminosum, illicitum et malum est. Petere illa, quæ dixi, sine præjudicio proximi tamquam aliunde statui nostro convenientia ideo, ut aliis benefacere, patriæ servire, viduis, orphanis et pauperibus opitulari, gloriam honoremque tuuī, Deus dilatare aut augere possimus, bonum, licitum, [84:] pium, utile, quin et obligationis est, incautum tamen esse potest. Quodsi enim ex his bonis motivis quoque thesauros et bona terrestria talis petit, qui ad avaritiam proclivis est, quodsi honores, exaltationes aut princeps talis coronas ambit, qui ad vanam gloriam et superbiam vitae se inclinari sentit, hic et ille incaute, imprudenter periculose petit, nescit, quid petit, quia pericula et temptationis proximas occasiones quærit, periculum amat, et si præsumptuose petit, sæpe perit in periculo, quod amavit.

Sed sunt alii, quæ hæc, quæ dixi, ex causa, quam attuli, periculi, etiam suo licto modo et ordine petere omittunt. Sunt, qui oblata rejiciunt, sed et horum incitamentum et falsa humilitate, quam amor otii parit, (et hunc tranquillitatem vocant), ex tepiditate et segnitie provenire potest, et hi infinitas occasiones proximo benefaciendi, gloriam tuam promovendi omittunt ex diffidentia in te, ex fidei debilitate aut ex languida charitate pessime agentes, in quantum finem non sequuntur, in quem creati sunt secundum ordinem providentiæ tuæ. Unde hi et illi voluntati tuæ male satisfaciunt, Domine, quia non illam, sed voluntatem suam sequuntur. Sæpe igitur aliis incaute petitas divitias et honores, aliis tranquillitatem, id est, privatum ac falsa tranquillitate repletum vitæ genus<sup>c</sup> juste concedis in pœnam, Deus, et facis, prout loquuntur tibi, quia vel de se præsumperunt vel in te diffiderunt.

O Deus, quis est homo, qui hæc secundum omnes particularitates considerat et non tremet? Quis princeps, quis solitarius, quis dives, quis pauper examinans non timebit tenebras ignorantiae suæ, non se projiciet in abyssum misericordiarum<sup>d</sup> tua-

<sup>a</sup> Correxit sed et ex et?

<sup>b</sup> a- in rasura

<sup>c</sup> Correxit genus ex venus

<sup>d</sup> Correxit -diarum ex -darum?

<sup>1</sup> Cf. Iac. 4,3.

rum vivens inter tot mala et circumdatus tantis periculis? Quid ergo faciendum, interrogabit me homo, profecto diffidendum in se, confidendum in te, petendum, quod convenit gloriae tuae a te et vires ad sequendum mandata tua, ex [85:] quibus dignoscitur voluntas tua.

Miserere mei, Deus, miserere secundum multitudinem miserationum tuarum!<sup>1</sup> Non sunt enim haec multae tantummodo numero, sed et specie. Alia enim est miseratio, quam exerces in principem, alia specie, quam facis pauperi, quia quilibet status appropriatas requirit miserationes. Clamo itaque: Miserere, quia sentio, quantum sit opus mihi, ut miserearis in bivio, quod occurrit. Quapropter secundum lumen gratiae tuae in bonum finem, ex bono incitamento hanc vel illam viam ingredi possum, sed quae sit magis conveniens gloriae tuae et saluti meae, sine speciali gratia tua discernere nequeo. Nec peto igitur, nec recuso, ne aut presumptuose aut tepide agam, sed volenti, quod vis, da, quod vis, duc, quo vis, et fac me agere, sicut vis!

Convertisti itaque, Domine, quadraginta dies explorationis terrae in quadraginta annos populo, ut recipient iniquitates suas et sciant ultionem tuam, sed praeter hoc edictum tuum (36) omnes viri, quos miserat Moyses ad contemplandam terram et qui reversi murmurare fecerant contra eam omnem multitudinem detrahentes terrae, quod esset mala, (37) mortui sunt atque percussi in conspectu Domini. Exegit hanc visibilem poenam a justitia tua infidelitas illorum, sed haec ipsa justitiae executio fuit respectu populi misericordiae tuae opus, per quod eo vehementius vocabatur populus ad resipiscientiam, (38) dum ex omnibus exploratoribus solum Josue et Caleb supervivere vidit. (40) Et ecce, mane primo surgentes ascenderunt verticem montis atque dixerunt: Parati sumus ascendere ad locum, de quo Dominus locutus est, quia peccavimus. Omnia haec representant humani spiritus motus. Videns poenam tuam populus luxit, sed motus luctus aliam extremitatem, [86:] presumptionem scilicet causavit. Similis fuit operi illorum, qui instinctu timoris peccatis suis agnitis correpti inconsultis confessariis et directoribus indiscreta pænitentiae opera aggredintur, in quibus statim ad verticem montis per actus heroicis ascendere volunt et ad summam sanctitatem pervenire posse credunt per adinventiones et imaginationes suas, quia homo etiam in pænitentia superbire et peccata sua ex hoc motivo odisse potest dolens se repræhensibilem esse. Hinc corripit populum Moyses interrogando: (41) Cur transgredimini verbum Domini, quod vobis non cedet in prosperum? (42) Nolite ascendere, ne corratis coram inimicis <nostrum><sup>a</sup> vestris, (43) Amalecites et Chananæus ante vos sunt, quorum gladio corrueris eo, quod nolueritis acquiescerre Domino, nec erit Dominus vobiscum.

Sic solet bonitas tua, Deus, monere per directores illos, qui indiscreto zelo aguntur, sed illi (44) contenebrati ascendere solent in verticem montis. Verum tu, Deus, non es cum illis, quia non tu jubes indiscreta inordinati zeli opera, sed illa facientes plerumque sequuntur voluntates suas. Hinc (45) descendens Amalecites et Chananæus percutit illos. Deficiunt enim in portando onere operum, quae suscepérunt, et non tantum percutiuntur, sed concidunt et persequuntur illos, sed inimicis quoque

<sup>a</sup> Delevit nostrum

<sup>1</sup> Cf. Ps. 68,17.

limites præscribit misericors<sup>a</sup> justitia<sup>b</sup> tua, nec ultra Horma persequuntur, ut exemplo suo se humiliare et in humilitate pænitere doceantur.

Hæc sunt, Domine, justa et misericordia judicia tua, per quæ ducis homines, quos vis dependere a voluntate tua. Sæpe terres aliorum exemplis et moves, sed dum ad te non recurrunt, facile ab uno extremo in aliud incidunt. Sæpe terrori succedit præsumptio et hanc nova pœna sequitur. Fac me igitur timere in dilectione! Cum enim te dilexero, quo plus timuero, ad te proprius accedere et a te defendi desiderabo.

[87:] SUPER CAPUT 15.

Extra contextum historiæ peregrinationis populi videntur hic referri leges, quas jam in Levitico te, Deus, ad Montem Sinai præcepisse relatum est. Sed si mysterium respicio, omnia in miro et adorando ordine sapientiæ tuæ instituta esse reperio. In legibus sacrificiorum persæpe fit mentio libaminum, sed illa omnibus et omnis specie sacrificiis adjungi debere non memini mandatum fuisse, quia a populo in deserto existente et pane man de cælo cadente sustentato farinam, vinum et oleum nisi miraculose dedisses, Domine, exigere non potuisti. Boves, oves, capræ et hirci propagabantur in solitudine, omnis enim hujus speciei armentorum dives populus exierat ex Ægypto. Hinc fors insipiente dixi super cap. XI. licite petiisse populum a te carnes nec te ideo punivisse, quod carnes petierit, sed quod in Ægyptum redire voluerit laboris pertæsus.

His enim bene consideratis videtur desiderium populi provenisse ex concupiscentia et avaritia volens<sup>c</sup> pisces et carnes conservatis armentis manducare, et fors ideo locus ille Tumulus concupiscentiæ nominatus fuit. Libaminum vero institutorum (quæ hic sacrificiis adjungi præcipis, Domine) ratio procul dubio illa fuit, ut cruentum sacrificii oblato munda (usque ad consummationem sæculi duratura) repræsentaretur in libaminibus. Sic, inquam, cruenta sacrificia Agni occidendi et occisi, libamina autem Agni stantis quasi occisi<sup>d</sup> fuerunt figuræ. Ut autem hanc postremam hostiæ mundæ oblationem post stabilitam visibilem Ecclesiam per apostolos inchoatum iri designetur (2), ut libamina [88:] præstentur, cum populus terram habitationis suæ ingressus fuerit, jubetur.

Nihil novi occurrit ignorantiae meæ super reliquos versus capitinis hujus referendum, cum de omnibus sacrificiorum speciebus jam in Levitico data fuerunt præcepta tua et peccata ignorantiae, errorum, malitiæ quoque declarata fuerant, et ipsum exemplum hic annexum prævaricatoris sabbathi historice relatum esse credo, ut juxta punitio illorum, qui contempto mandato tuo postposita lege peccant, pateat. (38) Sed institutio fimbriarum et vittarum hyacinthinarum<sup>d</sup> est bonitatis tuæ manifestatio, ex qua appetet cura tua paterna erga populum, quem revocata in memoriam lege tua ab omni peccandi occasione præservare voluisti. Lex scripta et externa veritatis cognitio hæc externa signa et præmonitiones requirebat, sed a quo lex in

<sup>a</sup> Correxit -cors

<sup>b</sup> Supplevit *justitia* supra lineam

<sup>c</sup> Structuram cf. Ms. fr. *en voulant*

<sup>d</sup> Correxit *-thina-* ex *-tina*

<sup>1</sup> Cf. Apoc. 5,6.

cordibus populi tui spiritualis scripta est et veritatis interna data est cognitio (per fidem, quæ ad credenda illa, quæ non videt,<sup>1</sup> elevata est) longe excellentiorem das<sup>a</sup> memoriam legis tuæ et illam juste requiris a filii tuis, qui amplectuntur illam.

Imprime, Domine, itaque cordi meo continuam illius memoriam, ut illam diligendo semper præsentem habeam et securus legislatorem meum, qui amorem justitiæ et legis suæ mihi sanguine suo promereri et dare dignatus est.

#### SUPER CAPUT 16.

Quis est homo, Domine, quis est homo, legis tuæ tam imprudens prævaricator? Quam stupenda sunt exempla prævaricationis populi, quem elegeras in hereditatem tibi! In præcedenti capite refert Scriptura, quam severam legem institueris contra peccatum superbiæ, et quomodo homo sabbathum non servans lapidibus obrutus fuerit. (1) Ecce, principes [89:] de filiis Levi et Ruben et ducenti quinquaginta viri proceres Synagogæ, (2) qui tempore concilii per nomina vocabantur, insurgunt, superbiunt et manifestam rebellionem instituunt. Stupet homo tanta superbizæ et perversitatis exempla legens, sed non semper agnoscit docilitatem et obœdientiam non naturæ lapsæ proprietatem esse, sed gratiæ tuæ, Deus, et fidei effectum. Offerebat populus holocausta animalium, sed holocaustum cordis præstare nequivit, quia cor de circumcisus non fuit. Agnosceré interne supremam majestatem et supremum dominium tuum, Deus, fidei est effectus, cuius sequela est obœdientia et docilitas, quæ producit humilitas, cuius homo ante oblatum tibi, Domine, in cruce holocaustum longe incapacior fuit. Hinc gratia cordis contriti nonnisi in paucitate electorum veteris testamenti apparuit. In præcedentibus Aaron et Mariam æmulari vidi contra Moysen, hic proceres Levitarum et populi superbiunt contra illos nec timent iudicia tua.

Ita est, o Domine, non tantum in veteri lege, sed nunc quoque singularis gratiæ fidei per charitatem animatæ effectum esse docilitatem et perfectam obœdientiam. Sed hæc dona tua secundum differentem mensuram, in qua das, longe communiora sunt in Christianitate, quam in populo Israel fuerant. Sunt et fuerunt hæreses, quæ nefario auso æqualitatem sacerdotii ad omnem plebem extendere voluerunt (quarum Core, Dathan et Abiron cum suis sequacibus figuræ fuerunt), sed universitas fidelium et in hac existentes peccatores quoque majorem docilitatem et fidem præ se ferunt, quia ex illis longe plures peccant per affectatam ignorantiam pravo exemplo aliorum seducti, quam per deliberatam malitiam, in quantum vel saltem extrinsecam præstant obœdientiam Ecclesiæ, [90:] nec se in sacerdotium ingerere præsumunt illi, qui sacro ordini annumerati non sunt.

In præcedentibus prævaricationis populi exemplis murmura et peccata repræsentabantur contra Moysen tamquam populi ducem commisa, hic referuntur illa, quæ contra sacerdotium vel, potius dixerim, contra hujus characterem in persona Aaron per vindicatam thymiam offerendi potestatem commissa sunt tam a Levitis contra familiam Aaron per Chore, tam a laicis in Dathan et Abiron. (3) Sufficiat, inquit, vobis, quia omnis multitudo sanctorum est et in ipsis est Dominus. Cur elevamini

<sup>a</sup> In rasura

<sup>1</sup> Cf. Hebr. 11,1.

super populum Domini? Et hæc est loquela omnium hæreticorum, qui se auctoritati Ecclesiæ non submittentes veritatis discretionem, Scripturarum interpretationem, doctrinam et verbi tui dispensationem sibi vindicare volunt. Numquid (dicunt illi) omnis Christianus Spiritum Sanctum recipit in baptismate? Numquid omnis multitudo sanctorum est et in ipsis est Dominus? Cur elevamini super populum Domini? Dicunt sacerdotibus et Ecclesiæ, quæ semper in charactere Moysis fidelis et mitis subsistit et filiorum suorum murmur audiens (4) in omni humilitate cordis erat pro illis. (5) Concilia convocat, (6) dissidentes statuit coram te, Deus, exaudiens illos et jubet thuribula doctrinarum suarum proferre. (12) Inter hos plurimi reperti sunt, qui dixerunt cum Dathan et Abiron: Non venimus, et superaddunt exprobationes ad exemplum horum, (14) quibus iram Ecclesiæ excitant juste. (15) Et sic dicit cum Moyse ad Dominum: Ne respicias sacrificia eorum, fitque per excommunicationem spiritualiter, quod cum Chore, Dathan et Abiron factum fuit visibiliter. Refert Scriptura Moysen iratum fuisse valde, sed hæc ira zelus fuit legis tuæ, Domine, non motus peccaminosus passionis humanæ. Iratus itaque non peccavit, dum legem tuam de rebellibus [91:] vindicavit.

Nescio, Domine, num cogitationes meæ convenient cum sensu me sapientiorum interpetum, videtur tamen mihi in Chore, Dathan et Abiron et crimen et pœnam differentem fuisse, Chore cum asseclis suis vendicare<sup>a</sup> voluisse sacerdotium, prout ex exprobatione Moysis patet; (9. 10) Dathan autem et Abiron se ingerere voluisse in politicum populi gubernium. Hinc (16) Chore et congregationem suam stare fecit Moyses coram tabernaculo, sed (25) ad Dathan et Abiron (qui citati et vocati venire noluerunt) ipse Moyses abiit sequentibus illum senioribus Israel. Hos terra absorpsit, (31) illos ignis egressus a te, Domine, devoravit cum 250 viris Chore sociis (35).

Hæc fuere, Domine, judicia tua horrenda nimis de illis, qui contra te in persona Moysis et Aaron insurrexerunt, et ex his exemplis clare patet omnino a te esse temporalem et spiritualem potestates, quibus qui contra leges resistunt, tibi resistunt et contra te consurgunt, qui Dominus es dominantium.<sup>1</sup> De potestatibus loquor, Domine, quæ in terris tuam repræsentant majestatem et legitimæ sunt. Sunt enim potestates temporales, qui te disponente eliguntur et legibus circumscribuntur per populos ad judicandum et gubernandum, quibus ad leges relata et condicionata promittitur obediencia et fidelitas. Sed de his loqui populi Israel exemplum hic occasio nem non subministrat, ad quam ducentum et gubernandum per speciale missio nem tuam Moyses et Aaron præfecti fuerant et propterea exempla hujus populi derogare nequeunt guberniis regnorum, quæ in Christianitate pariter a te ordinata subsistunt in divina potestate inter principes et populum.

Hæc tamen, quæ refero, præcise temporalem potestatem concernunt, spiritualis potestatis enim ubique æqualis est ratio, quia in hac consistit unitas Ecclesiæ, unitas sacerdotii, denique unitas regni Filii tui, quod per unum caput [92:] visibile regitur. Sed nec hoc dicere volo, quod Moyses figura non fuerit omnium principum populi tui Christiani, Domine. Optandum esset enim, ut omnes fidelitatem et mansuetudinem ejus sequerentur, quia hæ virtutes in principe tam requisitæ loco passionum et vindictæ zelum justitiæ stabilirent et omnem dominandi libidinem excluderent e

<sup>a</sup> Sic, correxit *ven-* ex *vin-*

<sup>1</sup> Cf. Deut. 10,17.

cordibus principum et sic in omni gubernio etiam populum ad fidelitatem strictius astringerent et ad obœdientiam suaviter adigerent.

Absit igitur a mente mea, ut quodammodo auctorare aut excusare vellem (his, quæ dixi) abominabile factum, quod in exemplo, de quo scribo, tam visibiliter et tam severe punivit justitia tua, sed suaderem imitari Moysis exemplum, qui ad vocem rebellium non statim commovet, sed primo de peccato in te, Deus, commisso dolet et ad te recurrit pro consilio procidens in terram. Secundo convocat rebelles coram facie populi, ut exaudiat. Tertio tandem irascitur et invocat te zelo gloriæ tuæ, Domine, et offensæ tibi factæ commotus: Ne respicias sacrificia illorum. Non petuit puniri offensam personæ suæ factam, (29. 30) sed injuriam tibi, Deus, illatam, ut manifesteretur, quod te blasphemaverint, Domine. Exarserat furor justitiæ tuæ contra omnem populum, (19. 20. 21) jubes, ut separentur Moyses et Aaron de medio congregationis populi, quam repente disperdere voluisti, sed, ecce, (22) pastores gregis procidunt in facies suas et te deprecantur pro populo, nec te quodammodo permittunt sævire in illum, quamvis toties justam vindictam tuam provocaverit, in hoc crimen tamen Chore, Dathan et Abiron non universaliter consenserat. Hinc puniuntur criminosi et in memoriam hujus exempli justitiæ tuæ jubes, (37. 38) ut in laminas ducta thuribula affigerentur altari.

Sed quid hæc extrinseca juverunt, nisi ut justificareris in sermonibus tuis<sup>1</sup> et vinceres, cum judicaris? Ecce [93:] enim, tres cum centum quinquaginta potioribus vix murmurare<sup>2</sup> cessarunt, vix justam pœnam exercuisti, (41) murmurat omnis multitudo, (42) oritur seditio, crescit, et Moysen et Aaron ad tabernaculum confugere cogit. Quam præclara sunt hæc exempla pro principibus, quibus populorum cura commissa est. Docentur enim semper, sed vel maxime in inopinatis inexspectatisque casibus primo omnium confugere ad te, Domine, et te consulto agere. Egit hoc Moyses in fide viva, populus murmuravit ex incitamento instinctus humani, et quam primum Moyses et Aaron a populo separati fuerunt, plaga desævit, sed probabas, Deus, Moysen et Aaron dicens ad illos: (45) Recedite de medio hujus multitudinis, etiam nunc delebo eos.

O Domine, quid hoc mirabile! Ecce, sæpe hoc verbum tuum repetiisti ad Moysen, ille tamen non obtemperat tibi, sed jacens in terra dicit ad Aaron: (46) Tolle thuribulum, et hausto igne de altari mitte incensum desuper pergens cito ad populum, ut roges pro eis; jam enim egressa est ira a Domino et plaga desævit. Quam differentes sunt loquela tuæ, Domine, et modi tui loquendi! Unde hæc scivisset Moyses jacens in terra, quod ignis sit egressus, si tu illi non revelasses. Unde Aaron ire mandasset, ut intercederet pro populo, si tu non indicasses? Cur igitur recedere jussisti a te Moysen, si parcere voluisti? Aut cur pœnam et pœnæ remedium inspirasti, si populum delere voluisti? Necdum enim recesserat Moyses et tamen plaga sævire cœpit in populo?

Quid ex his clarius appareret, quam quod diversos modos loquendi, sed semper eandem et immutabilem voluntatem habeas, Domine, secundum quam vis, ut principes semper agant, quæ sua sunt, et non secundum externam vocem, sed secundum internam vocem tuam operentur. [94:] In auribus Moysis insonuit vox illa: Recedite

<sup>1</sup> Correxit mur- ex mor-

<sup>2</sup> Cf. Ps. 50,6.

de medio populi hujus,<sup>a</sup> sed vox tua interna dilectionem suasit ipsi erga populum, et propterea semper oravit et rogavit te pro conservatione populi.

Hinc principes semper pro voce tua interna reputare debent obligationem status sui, dilectionem nempe erga populum et ab hac numquam recedere debent propter externas qualescumque apparentias, quas pro probanda fidelitate et dilectione ipsorum sæpe permittis evenire, errare tamen non permittis, si dilectionem et amorem obligationis suæ conservant in corde. Vidisti hæc in corde Moysis et Aaron, et ideo dixisti: Recedite. Voluisti tamen, ut fideles maneant, ideo parcens remedium pœnæ indicasti, quia fideles perseveraverunt in conspectu tuo. Sed præter hanc considerationem quoque in hac missione Aaron apparet in pontifice Aaron character ille mediatorius Pontificis nostri, Christi characteri sacerdotii Ecclesiæ suæ communicatus. Ideo mittitur a Moyse cum thuribulo et stans inter mortuos et vivos pro populo deprecatus est et plaga cessavit (48).

Sic ducebas, Domine, prævaricatorem et tam duræ cervicis populum, in cuius peregrinatione et eventibus 40 annorum voluisti manifestare hominibus virtutem fortitudinis tuæ et per hanc historiam instruere nos multas veritates, quæ spectant ad gubernium temporale et spirituale populi tui Christiani. Murmur populi referebatur ad Moysis personam seu ad gubernium politicum, sed actus nefarius Chore, Dathan et Abiron, in quantum sacerdotium vendicare<sup>b</sup> voluerunt sibi, directius videtur referri ad Aaron seu gubernium ecclesiasticum. Nec hoc igitur, nec illud immune est a linguis hominum, quorum cervices nimis duræ sunt ad flectendum. Apparuit, prout dixi, fortitudo brachii tui in conductu hujus populi et in bellis ejus, sed adhuc [95:] excellentiori modo apparet in conductu illius interno virtus tua et in conservatione Moysis et Aaron manifestatur singularis conductus providentiæ tuæ erga principes. Quoties murmurat, quoties consurgit populus et primum statim Aaron et Mariam contra Moysen moliri observavit, demum in qualibet statione contra utrumque, Moysen scilicet et Aaron seditiones reperi, et tamen hi duo homines a furore 600 000 armatorum absque armis, absque assistentia humana, absque viribus præservantur et potestatem exercent in populum. An extraordinaria prædicti facundia verbis persuadent? An thesauris et donariis rem gerunt? An secretis politicæ mundanæ regulis utentes per secretos emissarios animos conciliant? An supernaturalibus viribus dotati heroico aspectu, forti ac generoso animo, audacibus factis consurgententes domant? An illos blandi sermone, supplici precatio[n]e excipiunt, leniunt et compescunt?<sup>c</sup> Non profecto. Nihil horum factum fuisse reperio.

Sed Moyses, hominum fidelissimus et mitissimus dum aliquid contra te fieri vedit et ad te referri doluit, se coram te prostravit, nec nisi occasione idolatriæ vituli aurei (ubi nihil contra se, sed omnia directe contra te, Deus, facta sunt) tantæ mansuetudinis hominem solum et unicum contra insanam saltantis et choreas ducentis populi multitudinem zelo honoris tui, Deus, incensum furere vidi. Pro nihilo duxit confringere tabulas legis, subvertere vitulum, Deum fictilem comburere ac conterrere illum et populo propinare bibendum, sed forti illo et heroico animo proclamans: Si quis Domini est, jungatur mihi. Imperat, et obœdiunt Levitæ, et stragem exercent in populum nemine pro morte patrum, filiorum [96:] et uxorum vel saltem murmu-

<sup>a</sup> Correxit hujus ex ejus

<sup>b</sup> Sic, correxit ven- ex vin-

<sup>c</sup> In rasura, supplevit compescunt supra lineam

rante, taceo, insurgente. Sed præter hanc, quam refero, occasionem, quidquid populus contra personam suam dixit aut fecit, patienter sustulit, nec se contra illum aliter defendit, nisi prosterendo coram te et in tabernaculum fugiendo.

O Deus, quam difficile foret hunc Moysis agendi modum potestatibus sæculi sensibilem reddere et persuadere! Non tamen minus verum erit ipsam Ecclesiam in persecutionibus talibus armis defensam substituisse et acrevisse. Illusionis, præsumptionis denique insaniae effectui ascriberetur. Principis agendo modus, qui Moysis exemplum sequeretur, et ecce, ego ipse absque metu censurarum non auderem dicere hæc dici et fieri ex defectu fidei in te, Deus, et ex defectu dilectionis erga proximum. Magna hæc et similia exempla, quæ in Scripturis exhibentur, inspiracionibus particularibus attribuuntur, nec ego contrariabor respectu veteris testamenti similibus opinionibus, quia sub lege donum fidei per speciales inspirationes recipiebatur et fors possem dicere non fuisse habitualem.

Sed si doctrinam Filii tui, Deus, de fide nobis traditam respexero, fidei nobis datae longe majores virtutes attribui reperio, quas plerumque metaphorice sumi debere dicitur, sed tu, o Deus, æternus, immutabilis et fidelis es in promissionibus tuis,<sup>1</sup> nec in te est defectus, sed in hominibus, qui numquam in eodem statu permanent et ideo nec illa simpliciter credunt, quæ dicis, sed credibile reddere volunt sibimet ipsis, et quomodo effectus fidei possent concipere absque viva fide?

Plus dico, Domine, de hac te, quam dicere voluissem. Multi fidem augeri petunt, sed quid sit fides, non sentiunt, omnes tamen de illa loquuntur. Ego autem, puer tuus numquam vellem cessare dicere tibi: Credo, Domine, adjuva incredulitatem meam!<sup>2</sup> Sæpe dicitur: hoc vel [97:] illud petere a te præsumptuosum esset, nec aliter est, si illud, quod quis peteret, ex propriis meritis vel propter se peteret, sed si quis petit, quod promisisti, petitio non est præsumptio et hæc<sup>a</sup> non petere est in te diffidere. Das enim et dabis semper propter te, quod vere petitur pro te.

#### SUPER CAPUT 17.

Obstupescit, Domine, ignorantia mea, et quia bonus es, te interrogare præsumpsisset, (1. 2) cur Moysen a singulis principibus tribuum virgam petere jussesis, si ex hactenus lectis Scripturis tuis non fuisse edocimus virgam et baculum signum fuisse potestatis. Hinc cuilibet principi tribuum competebat habere virgam, nec igitur signum, quod dare voluisti, melius exprimi potuit, quam in virga potestatem repræsentante. Tu fueras, Domine, qui Moysi virgam dederas, ut in illa signa faceret ad comprobandam missionem suam, sed hæc virga respectu missionis quodammodo communis fuit inter illum et Aaron, qui particularem virgam necdum habuerat, quamvis characterem sacerdotii et summi pontificis a te receperit. Unde populi indocilitas occasionem sumpsit tam sæpe dubitandi de potestate Aaron, quam Moysen fratri suo præter voluntatem tuam dedisse potuit sibi imaginari. Hinc dicis: (3. 4. 5) Quem ex his (scilicet principibus) elegero, germinabit virga ejus et cohibebo a me querimonias filiorum Israel, quibus contra vos murmurant. Naturalis igitur populi incredulitas signum quærebat, et a te requirebat,

<sup>a</sup> hæc vel hoc?

<sup>1</sup> Cf. Ps. 50,6.

<sup>2</sup> Credo...: Marc. 9,23.

quod omnem naturæ ordinem excederet, ne illud ullo modo possit attribui Moysi; et hoc est, quod præstare dignata est bonitas tua aridam virgam Aaron unius noctis spatio germinare faciens, (8) [98:] in qua turgentibus gemmis eruperant flores, qui foliis dilatatis in amygdalas deformati sunt.

Occurrit proinde mihi consideranda hæc virga tamquam symbolum summi pontificatus sacerdotii, et ex ipsa consideratione virgæ repræsentat summam potestatem spiritualem ad regendum datam. Ex hominibus tamquam ex virgis aridis eligitur pontifex et ponitur in conspectum tuum; tu proinde es, Deus, qui per characterem et flores et folia et fructus das illi. Quamvis enim semper homo permaneat, quidquid ex virtute characteris facit, valide præstat. Credo tamen, Domine, hanc virgam proprie fuisse figuram characteris summi Sacerdotis et Pontificis nostri, Christi, in illo enim omnis plenitudo sacerdotii et pontificatus manifestata per ipsum et in ipso communicatur ceteris, qui sedent in cathedra ejus. Propterea (10) hæc virga refertur in tabernaculum testimonii, ut verum characterem sacerdotii in Ecclesia permansurum designetur, nec extra hoc tabernaculum testimonii reperiri in figura demonstretur. Erat igitur hæc virga Aaron, per quam data est illi potestas, sed virga reconditur in arca, ut pateat non esse ita proprium characterem pontificatus personæ pontificis, quin sit et Ecclesiæ, in qua conservatur hæc virga. Pontifex tamen respectu potestatis et administrationis utitur illa, prout Aaron. Nihil obest, quin hæc et de Christo dici possint, qui in quantum caput unitus corpori Ecclesiæ virgam suam in æquali potestate tradidit conservandam in Ecclesiæ, quia quidquid fit, quod illo ordinante et docente fit, per ipsum et in ipso ministerio pontificis fit. Explicant interpres in sensu spiritus hujus virgæ Aaron flores, folia et fructus, et hæc ad virtutes qualitatesque in pontifice requisitas applicant.

Quod præter hæc [99:] sacerdotium respicit, jam in præcedentibus te adjuvante rettuli. Hinc nonnisi postremi (12. 13) versus restant mihi considerandi, ex quibus agnosco effectum plagarum et portentorum, quem produxerunt in populo. Non reddiderunt illum docilem, sed timidum. Ideo exclamat: Ecce, omnes consumpti sumus, omnes perivimus, quicumque accedit ad tabernaculum Domini, moritur. Num usque ad internectionem omnes delendi sumus? Hæc est loqua humani spiritus in ore tuo, o Israel! Hæc est interrogatio fidei humanæ, quæ ex visis portentis te, Domine, timere docuit, sed docilem populum non reddit. Nimis extrinseca est cognitio Dei tui in te, Israel, et ideo ex illis, quæ vidisti et expertus es, timere didicisti, sed confidere et diligere necdum scivisti. Necdum, inquam, agnoscis temet ipsum, necdum persuasus es, quam juste promerueris pœnas, necdum confiteris peccatum, ideo Dei severitatem times, justitiam et misericordiam necdum discernis. Propterea putas te usque ad internectionem delatum iri.

Vidisti, o Deus, hanc dispositionem cordis populi, tu, qui finxisti singillatim corda eorum, et ideo hanc loquelam non reputas pro murmure, sed compateris infirmitatis ejus. Propterea, quamvis Scriptura responsum Moysis non referat, suppono illum consolasse populum, talis dispositio cordis enim hoc remedio indiget, ne in desperationem ducat, si non relevatur. Clare me facit ex his agnoscere bonitas tua differentem fidem populi carnalis et populi spiritualis, de qua iam tam sæpe locutus sum tibi. Fides enim illorum extrinseca ex illis, quæ videbant evenire, semper timorem augebat. Fides nostra interna, quæ nos ad invisibilia credenda elevat, in te sperare et ex

fide et spe te diligere facit, et sic timorem non excludit, sed moderatur, [100:] ne illo excluso spes et dilectio in præsumptionem et in superbiam incidat. Hæc igitur fides spe fulta, charitate<sup>1</sup> animata est, cuius auctionem a te petere non desinam, ut tecum sim et ad te perveniam!

#### SUPER CAPUT 18.

Germinare, florere et fructificare fecisti, Domine, virgam Aaron, et sic manifestata electione et missione ejus, ecce, in hoc capite et onus et potestatem virgæ suæ declarare dignaris. (1) Aaron, filii ejus et domus patris ejus (tribus nempe Levi) portabunt iniqüitatem sanctuarii, Aaron autem et filii ejus simul sustinebunt peccata sacerdotii sui. Hæc sunt, Domine, onera, quæ tua justitia repartitur inter Levitas et sacerdotium secundum differentem statum vocationis illorum. Tota tribus Levi vocata fuerat ad servitium tabernaculi. Hinc tota portabit defectus, errores et delicta respectu hujus servitii committenda.

Aaron et filii ejus gaudebant charactere sacerdotii, in hos igitur redundant peccata sacerdotii. Sed ne per hanc distinctionem onerum subdividatur potestas, subjungitur: (2) Sed et fratres tuos<sup>a</sup> de tribu Levi et sceptrum patris tui sume tecum præstoque sint et ministrent tibi (ecce, subordinatio). Tu autem et filii tui ministrabis in tabernaculo testimonii.

Quidquid reliquum est in hoc capite, instructionis et præcitorum versuum explicationis loco respicio ego, Domine. Hinc (3) declaratur Levitarum functio, qui excubare jubentur ad præcepta Aaron, ita dumtaxat, ut ad vas sanctuarii et ad altare non accendant, ne et illi moriantur et vos (scilicet sacerdotes) pereatis simul. Unde colligo hoc fuisse unum ex iniuitatibus sanctuarii, de quibus (1) loquitur et ceteras quoque hujus speciei [101:] iniuitates fuisse, quæ profanationem aut contaminationem sanctuarii vel vasorum per impuritates legales respiciebant, sed inter has, uti dixi, instructiones iniuitatumque subdivisiones velut lucem respicio (6) obscuritatem figuræ tabernaculi illuminantem et secundum jam prolatas explicationes tabernaculum Ecclesiæ figuram fuisse clarius, quam hactenus demonstrat referens: Ego dedi fratres vestros Levitas de medio filiorum Israel, et tradidi donum Domino, ut serviant<sup>b</sup> in ministerio tabernaculi ejus. Tu, Deus, tradidisti donum Domino, et quis Dominus præter te, Pater, nisi ille, qui consubstantialis tibi Filius, Dominus et singulariter Rex est in tabernaculo suo. Hujus Domini fuit igitur tabernaculum, quia quidquid in hujus servitio fiebat, ipsum repræsentabat. Hinc jam tunc quoque in virtute æterni sacerdotii per ipsum referebatur ad te, Pater æterne. Ad hunc Dominum ducebant figuræ populum, ut per illum duceretur ad te, et ideo sacerdotium Aaron fuit solummodo figura sacerdotii legis novæ, quia hoc exercetur immediate per sacerdotem illum æternum et Dominum tabernaculi invisibiliter per ministerium sacerdotum visibilium una eademque indistincta actione nobis secundum quid (id est secundum velum) sensibile, quo teguntur mysteria visibili.

<sup>a</sup> Corrixi ex *tui*

<sup>b</sup> -er corrigendo

<sup>1</sup> Cf. I Cor. 13,13.

Cetera, Domine, quæ mihi repræsentat Scriptura, dispositiones litteraliter intellectas esse credo, quæ concernunt sacerdotum victimum et subsistentiam, et quamvis multa occurserent mihi dicenda super (v. 19. 20), tu vides, Domine, quod propterea præteream, ne mores et vitæ conductum hodie communem censurandi occasionem captare videar. Non tamen intermitterem dicere, quæ vera esse credo, si hoc munus esset vocationis meæ aut [102:] si dicta et prolata mea prodesse possent, non potius offendherent aures non pietatis, sed cupiditatis.

Sed quid possem dicere de sacerdotibus et Levitis respectu hujus legis, quod extendi non deberet super totum Israel spirituale, cuius communis est promissio cum illis? Nam Israel carnalis promissio bona terrestria fuerant, Levitarum tu, Deus, fueras hereditas, sed in Israel spirituali tu solus es bonum, quod nobis omnibus in hereditatem promissam quærere ceteris, prout non possidentes,<sup>1</sup> uti deberemus tamquam administratores bonorum a providentia tua curæ nostræ commissorum. Profecto ergo in hoc sensu et ecclesiasticorum et laicorum ratio communis esse deberet, si per consilium evangelicum (quod hujus legis adimpletio est), non essent, qui ad strictioremodum videndi redigerentur respectu vitæ temporalis.

O corrupta natura hominis, o cupiditas, ex qua generatur superbia vitæ, quomodo contrariaris, quomodo corrumpis et in sensu tuos trahis legem Creatoris tui, et in his omnibus operaris perditionem tuam! Non te mutant profesiones vitæ sacerdotalis et ecclesiasticae, non te reformat vota extrinseca et vestes, non monasteriorum claustra et sanctæ regulæ, non denique solitudines et antra, sed sola gratia illa victoriosa, quæ nobis per ineffabile et infinitum pretium demerita est, per quam omnes status sanctificantur et sine qua omnes status ducunt in perditionem. O divina charitas, a qua procedit omnis sanctitas, tu sis igitur sola mea hereditas!

#### [103:] SUPER CAPUT 19.

Confunditur, Domine, ignorantia mea in meditatione mysterii, quod Scriptura mihi in hoc capite exhibet et tenebris suis circumdata ad te, Deus, lumen animæ meæ, in humili agnitione debilitatis suæ recurrit. Occurrerunt mihi sæpe impuritates legales, quarum singulas explicare nequivi, tot enim numero et tam differentis speciei fuerunt. Ordinaveras sacrificia in expiationem aliquarum, sed quia earum multitudo continue contaminabat, misericordiæ et justitiæ tuæ conforme fuit, ut etiam purificationis statueres facilitatem populo, cui ad prævaricandum natura tantam dererat pravitatem et infirmitatem. Ipsa consideratio purificationis dicit me, ut in hac figura Christum quæram, per quem a peccatis nostris purgati sumus, et hanc veritatem Scripturarum quoque interpres confirmant hanc figuram vaccæ rufæ humanæ naturæ Filii tui applicantes.

Sed ego deficio, Domine, in applicatione omnium circumstantiarum, propterea tamen aliis contrariari nolo, sed debilitatem luminis mei confiteor. Tenetur intellectus<sup>a</sup> vinculis humilitatis imcaptivatus, manducat veritatem a sancto tuo Augustino<sup>2</sup> expositam, sed saporem, ecce,<sup>b</sup> hujus per intrinsecum gustum necdum delibat, sunt

<sup>a</sup> *intellectus sc. meus* (cf. Ms. fr.: *mon entendement*)

<sup>b</sup> Correxit *ecce ex esse*

<sup>1</sup> Cf. I Cor. 7,30.

<sup>2</sup> Ubi?

enim multa, quæ combinare non valet. Certum est, quod hæc aqua expiationis, de qua hic agitur, non fuerit instituta ad lavanda peccata et delicta seu ignorantiae seu erroris seu positivæ malitiæ, nam pro his expiandis sacrificia instituta fuerant, sed solummodo applicabatur ad delendas impuritates, quæ extrinsecæ fuerant et animam non contaminabant. Hinc, ecce, [104:] nimis inclinor ad credendum, quod omnia hic contenta respiciebat solummodo statum populi hujus carnis, qui illis extrinsecis impuritatibus subjectus fuerat, non autem statum populi spiritualis, qui solummodo internis impuritatibus sordet et contaminatur. Denique quomodo hæc sub lege (quæ sub peccato concluserat omnia) agebantur, repræsentantur hic nobis per misericordiam tuam et sunt quodammodo figuræ figurarum. Hinc, ecce, omnia, quæ ad purificandum sunt instituta, immunda esse dicuntur. Sacerdos ipse, qui immolat, homo, qui comburit (7. 8), qui cineres comportat (10), qui ipsas aquas expiationis tangit (21), immundus est, et ipsi cineres extra castra custodiuntur. Verum est, quod (19) dicatur, quod mundus lustrabit immundum, sed quomodo lustrat? Aqua profecto, quæ tacta contaminat, et tamen mundat.

Quam mirabilia sunt, hæc, Domine, sed quam vivaciter exprimunt statum populi sancti, quia electi et in hac consideratione mundi, immundi tamen, quia sub peccato conclusi. Ideo mundandus a sordibus et impuritatibus, quæ per se seu ex natura sua impuræ non fuerant, aspergebatur aqua, quæ pro immunda habebatur, sed mundabat, quia legi satisfiebat. Mundabat, inquam, sed respectu peccati, quod sanguine Christi delendum erat, non mundabat. Hinc mundus legaliter immundo legaliter realem aquæ immunditiam applicabat, ut a legali, non autem a reali animæ immunditia mundaretur.<sup>a</sup> Hinc merito dicit Apostolus: Si enim sanguis hircorum et taurorum et cinis<sup>b</sup> vitulæ aspersus inquinatos sanctificavit ad emundationem carnis, quanto magis sanguis Christi etc. Haec igitur figura vaccæ rufæ, quomodo figuræ operabantur, manifestans (prout dixi) figurarum figura fuit et in hac consideratione redeo, [105:] Domine, per gratiam tuam ad meditandum hoc caput a principio.

(2) Tu es, Deus, qui constituisti ab æterno quidem hanc religionem victimæ in decretis tuis et tunc præcepisti quodammodo adduci humanam naturam, quam veterem hominem appellabo, dum manifestasti in tempore opera tua, ut incipiant patere coram omnibus hominibus mirabilia tua in populo Israel, quid institueris proinde et quid exegeris a veteri homine sub lege, sic figuratur. Natura humana seu, uti dixi, vetus homo erat figurata per vaccam, ut in sexu repræsentaretur passiva, in recipiendis salutiferis gratis spiritualis generationis capacitas. Erat hæc hostia rufa, quia ex antecedenti merito effundendi sanguinis electa. Erat ætatis integræ, quia nonnisi impletis temporibus vocata. Erat sine macula, id est, uniformis, non fluctuantis voluntatis. Necdum jugum portans, quia jugi salutiferi Filii tui ignara. Et talis debuisse esse vetus homo in populo Israel, quem in hac dispositione voluisti immolari tibi, et hinc fuerat institutum, ut victimam offerrens manum suam capiti victimæ imponeret, et se cum illa offerret tibi, Deus, in agnitionem supremi dominii tui. Sed hæc immolatio non fuit facta per Aaron, sed per Eliezer, Filium Aaron, ut designaretur sacrificia veteris legis per sacerdotem figurantem oblata fuisse. Aaron enim erat figura sacerdotii Christi, pro-

<sup>a</sup> Ante mundaretur in margine: *Heb. c. 9. v. 13.14.*

<sup>b</sup> Corrigendo

ptera in hac immolatione Eliezer figurat Aaron et repræsentat figuram figura Aaron. (3) Hæc immolatio ex hoc consequenti fit extra castra, quia castra Israel hic figurant Israel spirituale seu Ecclesiam. Propterea (4) sanguis hujus victimæ non infertur in sanctuarium, sed aspergitur contra fores tabernaculi, ut designetur hæc sacrificia per se salutem dare et portas cæli clausas reserare nequivisse.

(5) Requisivisti, Domine, etiam a veteri homine sub lege constituto holocaustum seu oblationem [106:] integrum sui in agnitionem supremi dominii tui, et hoc est, quod per combustionem totius vaccæ figuratur. (6) Requisivisti propositum firmum legem observandi, quod lignum cedrinum ex sua natura incorruptibile designat. Requisivisti dolorem de peccatis et defectibus, quem hyssopus figurat. Jussisti dilectionem, quam coccus figurat, et hæc omnia in flammam spei in Redemptorem debebant injici, ut devorarentur. Sacrificium enim Judaicum non per ignem charitatis (quæ necdum diffusa erat in cordibus), sed per flammam spei (quæ a charitate Filii procedens dabatur illis) consumebantur. (7) Hoc peracto, ut ipsiusmet figurativi sacerdotii intrinseca impuritas figuretur, ipsem Eliezer immundus declaratur et se lavare jubetur.

In subsequentibus versibus autem omnia immunda declarantur, prout jam rettuli. Ex his igitur bene consideratis agnoscitur, in quo spiritu et in qua dispositione requisivisti, Domine, offerri tibi veterem hominem sub lege, qui per spei flammam potuit transmutari in cinerem pænitendo et se mortificando, sed semper cinis permansit extra castra regeneratorum per Spiritum. Ibi conservabatur in regenerationem cinis ille, sed nec pro externa carnali mundatione aptus fuit hic cinis, nisi aquæ mixtus, ut futura per aquam baptismatis mundatio exprimeretur.

O Deus, desiderium tot sordibus despurcatæ animæ meæ, quam admirando modo exprimit hæc figura aut potius repræsentat statum mundationis et pænitentiaæ veteris legis! Facit me gratia tua hæc intelligere et sentire interne cum jucunditate, sed fors ad intelligentiam aliorum eloqui nescivi. Adjuva me, quæso, ut sit ex illis gloria tibi, et noscatur veritas tua, non mea, tu autem lauderis ex illa, qui das, non ego miser, cui et per quem das eloqui!

#### [107:] SUPER CAPUT 20.

Aggredior, Domine, cum renovata invocatione luminis tui meditari hoc caput, in quo mihi tria singulariter consideranda occurront: mors Mariæ, dubitatio Moysis et Aaron, mors postremi. Quæ enim murmur populi et mysteriosam aquæ eductionem denegatumque transitum per Edum concernunt, jam aut in prioribus repræsentata sunt, aut (respectu transitus denegati) ordinationis tuæ effectus fuerant, ut populus in peregrinatione annos a te in pœnam præfixos expleret. Mors Mariæ prophetissæ naturalis fuit, infidelitas populi toties reiterata fluctuantis, necdum firmatæ fidei humanæ effectus fuit. Sed quid dicam, Domine, de infidelitate Moysis, fidelissimi servi domus tuæ?<sup>1</sup> Quid dicam de Aaron pariter cum illo dubitante, in quo peccatum idololatriæ (cujus promotor fuit conflando vitulum aureum) videbaris dissimulasse, hic autem vel minimam dubitationem morte corporali punis? Perdo me, Domine, in abysso judiciorum tuorum. Obmutesco in consideratione operum tuorum, et adorans

<sup>1</sup> Cf. Hebr. 3,2.

in humilitate hæc et illa silentium imponerem mihi, nisi tu dignareris animare me, i quæram et enarrem mirabilia tua proferens, quæ dare dignaberis. Non quæram, D<sup>o</sup>mine, figuræ in infidelitate ductorum populi tui, sed instructiones profundas, quæ nobis exhibes in illis.

Jam enim a quo populus a monte (ad cujus radices omnia mysteria religion nostræ figurata fuisse te adjuvante repperi) recessit, Moysen desiisse figuram esse observavi, et in illo datas principibus populorum instructiones connotavi. Moyses propheta resplendentis faciei, fidelissimus [108:] et habitatorum terræ mitissimus, sed homo veteris lator legis fuit, et inter illum et novæ legis latorem, Hominer Deum infinita differentia apparere debuit. Ille ductoris populi omnem characterer habuit, sed iste via, veritas et vita est.<sup>2</sup> Oportuit respectu harum differentiarum, ut i primo appareret humanæ naturæ proprietas, ut in secundo pateret humanitati con juncta divinitas. Moyses servus fidelissimus et mitissimus esse potuit, sed quia ho mo fuit, præcipue ante reparationem naturæ humanæ impeccabilis, irreprehensibili et semper fidelis permanere non potuit. Necdum fuerat ille in utero matris sancti ficatus, quia necdum Deus fuerat incarnatus.

Et procul dubio hæc fuerunt veritates, quæ in hoc exemplo Moysis apparere debuerunt, ut inter Moysen et Christum nulla daretur occasio æquiparationis spiritu humano. Quodsi enim Moyses irreprehensibilis permansisset, quodsi populum in terram promissam introduxisset (fide supernaturali seposita), quis ex exemplis e historia vitæ Moysis et Christi humanitus consideratis hanc differentiam cognovis set, cum Moyses cursu quadraginta annorum multo sensibilia portenta fecerit in ipsa natura, quam Christus in conversatione trium postremorum vitæ suæ annorum in quorum cursu patrabat miracula? Et ideo scribæ et Pharisæi signa in cælo petebant<sup>3</sup> ab ipso ad comprobandam missionem suam, ut doctrinam ejus legi Moysi præferant. Fuit ergo decretum misericordiæ tuæ, Deus, erga ipsosmet Judæos, ut differentia inter hos legislatores ipsi humano intellectui sensibilis appareat in infidelitate Moysis, et <ipsis portentis><sup>4</sup> majus signum missionis fuisse illud, quod Christus Judæis dedit dicens inimicis suis: Quis me arguet de peccato?<sup>4</sup> quam omnia portenta, quæ Moyses patravit, ex hac infidelitate Moysis appetat. Coguntur itaque Judæi ex ipsam Scriptura agnoscere legislatorem suum infidelem [109:] fuisse ei propter infidelitatem morte punitum fuisse, nec populum introducere potuisse in hereditatem suam, sed nos gloriamur Legislatorem nostrum non solum ab hominibus, sed nec a te, Deo proprii peccati argui potuisse.

Sed, o Domine, quam admiranda et adoranda sunt opera sapientiæ tuæ, secundum quæ Moysen dubitare permisisti, naturæ tamen humanæ pravitati non plus indulsisti, quam requisitum fuerat, ut ejus peccabilitas appareat homini non tam ex facto Moysis, quam ex apparenti humano intellectui poena, quæ tamen ipsimet Moysi poena non fuit. Quodsi enim Moysen in tale peccatum incidere contigisset, quod et humano intellectui scandalorum et vere peccaminosum apparuisset, crimen illius et in legislatore apparens scandalum legis auctoritatem diminuere potuisset, et malæ arbori malos fructus attribuisset humanum judicium et populi carnalitas. Hinc pecca-

<sup>a</sup> Delevit *ipsis portentis*

<sup>1</sup> Cf. Num. 12,3.

<sup>2</sup> Cf. Ioan. 14,6.

<sup>3</sup> Cf. Ioan. 4,48 sim.

<sup>4</sup> Cf. Ioan. 8,46.

tum tale esse oportuit, ut populo celata ejus reprehensibilitas auctoritatem legislatoris non diminueret, nec nisi ex judicio tuo, Domine, cordis dispositio manifestaretur. Sed et in Aaron (qui in missione Moysi adjunctus fuit et summo sacerdotio primus insignitus) naturæ humanæ defectuositatem apparere ex prædictis rationibus conveniebat. Apparuerat hæc in isto jam occasione conflationis vituli aurei, sed illud nefarium peccatum characterem sacerdotii non concernebat, quia tunc Aaron nec dum in sacerdotem unctus fuerat, et <h><sup>a</sup> ex hoc ipso delicto, in quod uno modo et uno instanti cum Moyse incidit, apparebat idololatriam (peccatum hominis) remissam aut, potius dixerim, tunc prætermissam fuisse, dubitationem autem qua delictum hominis summi pontificis excusatum non fuisse, sed poenam promeruisse, ne characteris sanctitatem naturam a peccato immunem reddere [110:] potuisse credatur in Aaron, nec Judæi gloriari possint in suo legislatore et pontifice, prout nos gloriari possumus et debemus. Crux Christi enim est illis in scandalum, sed non delictum (de quo argui non potest), et propterea hoc ipsum crucis scandalum Judæorum manifestat malitiam, Christi demonstrat innocentiam, sed Moysis et Aaron infidelitas propriam illorum manifestat infirmitatem et humanæ naturæ ipsorum proprietatem, dum innocentia et irreprehensibilitas vitæ in Christo exhibet nobis divinitatem, unde agnosceremus illum propter peccata nostra nec propter peccata propria a divina justitia, non a propria malitia et infidelitate morti traditum fuisse, Moysen autem et Aaron, legislatorem et pontificem proprio peccato mortem naturalem in poenam infidelitatis promeruisse.

Hæc videntur mihi esse principales veritates, quas dubitatio Moysis et Aaron revealant, sed in hoc lapsu primi exhibetur mihi periculosus status principis, qui tot ac tam differentibus occasionibus proximis peccandi circumdatur. Nihil frequentius reperiatur inter populum, quam reiteratae dubitationes et ex illis suborta murmura. Moyses inter has continuas temptationes et lapsus occasiones versabatur, et ecce, quam primum non sustines illum, cedit. O Domine, quodsi omnes homines oportet in timore et tremore operari salutem suam,<sup>1</sup> quanto magis debent timere et tremere populorum ductores, qui se torrenti vitæ mundanæ, pravis consuetudinibus, publicis scandalis non opponunt, omni momento in illis succumbere possunt, quodsi actionibus, verbis, denique conductui succumbere possunt, quodsi actionibus, verbis, denique conductui vitæ propriæ non invigilant. Qui tamquam lux in candelabro expositi sunt, si tenebrose lucent, omni momento alios cadere, alios illudi faciunt, et heu, quam facile convertitur in tenebras lumen illorum!

Quærerit et scrutatur homo, nec enim obvie repræsentatur intellectui suo, in quo [111:] constiterit dubitatio Moysis. Quamvis enim quæstio: (10) Numquid de petra hac vobis poterimus aquam ejicere, dubitationis quæstio appareat esse, prævia populi objurgatio: Audite, rebelles et increduli, etc. videtur tollere dubitationem. Non enim objurgasset, si ipsem dubitasset. An igitur (secundum communem opinionem) ideo dubitavit, quia petram bis percussit? Non, Domine, nec huic opinioni adhærere possum. Dicam igitur Moysen in hoc demonstrasse dubium, quod non secundum mandatum tuum egerit. Jam antequam populus pervenisset ad montem Sinai, murmuraverat propter defectum aquæ, et<sup>b</sup> jussisti Moysi, ut tollens virgam

<sup>a</sup> Delcavit h

<sup>b</sup> Ante et in margine: *Exod. c. 17. v. 6.*

<sup>1</sup> Cf. Phil. 2.12.

illa percuteret petram. Hic autem jubes: (8) Tolle virgam et congrega populum, tu et Aaron, frater tuus, et loquimini ad petram coram eis, et illa dabit aquas. Erat assuetus Moyses patrare prodigia in virga, jusseras, Domine, ut tollat virgam, sed non mandasti, prout antea semper mandavera, ut virga percutiat, sed ut aquas verbo educat. Ille autem non loquitur, sed percutit, quia verbo educere aquam posse non credidit, et in hoc et Moyses et Aaron peccarunt, quia secundum mandatum tuum uterque loqui debuit ad petram.

Hinc edoceor, Domine, non sufficere exequi mandata tua, sed debere hominem exequi modo et ordine, quo mandas. Potest enim aliquid fieri, sed diverso modo fieri, in quo modus agendi contrariatur mandato tuo, et in hoc consistit malum, quia in tali modo agendi homo non sequitur tuam voluntatem, sed suam. Eduxit aquam Moyses de petra percutiendo bis silicem respectu eductionis aquæ; facit, quod jussisti, sed non fecit, prout jussisti, quia aquam non per percussionem, sed per verbum educere jusseras, et in hoc modo agendi defecerunt Moyses et Aaron, quia mandatum tuum non sunt secuti, sed peccaminosam imaginationem suam, credentes virgam plus virtutis habituram, [112:] quam verbum ex mandato Dei pronuntiatum.

Requirit, o Domine, hanc vigilantiam singulariter vita principum, ut omnia in modo et ordine mandatorum tuorum exsequantur et alia in virtute virgæ directionis, quam dedisti illis, percutiendo agant, alia virgam hanc in manibus tenentes, non autem statim percutientes verbo operentur. Ipse Moyses defecit in hac discretione, quia dubitavit, dubitavit autem ille et Aaron, quia irreflexe inconsiderateque egerunt magis attenti ad consuetudinaria (ut ita dicam) modum agendi percutiendo cum virga, quam ad mandatum tuum bene discutiendum et discernendum.<sup>a</sup> Observaverat hoc Moyses, dum tu, Domine, promisisses te carnes daturum populo in solitudine et ausus est quærere a te, num pisces maris congregabis pro tanta multitudine, nec reprehendis quæstiones ejus et loquelas humano intellectui longe majorem speciem dubitationis repræsentantes, quam quæstio ad populum facta: Num de petra hac aquam ejicere poterimus, quia misericorditer agis cum illis, qui te interrogant, ut voluntatem tuam noscant, sed agis in justitia contra illos, quia mandata tua inconsiderate, præcipitanter, non observato modo et ordine exsequuntur, et principaliter, dum in illis exsequendis plus attribuunt prudentiæ sue, quam fidei in te habendæ, prout Moyses plus de virga supposuit, quam de verbo, in cuius virtute aquam educere jusseras. Tu tamen, Domine, in hoc opere Moysis fine tuo non caruisti, (13) quia sanctificatus es in populo per manifestationem virtutis tuæ, sed Moyses et Aaron juste puniti sunt, quia in illis sanctificatus non es. Dubitarunt enim de æqualitate efficaciæ verbi et virgæ. Quodsi enim de omnipotentia tua dubitassent, crimen incredulitatis commisissent, et fors longe majori pœna puniti fuissent.

Ut ergo mors Aaron propter pœnam immissa fuisse appareat, (24. 25) jubes ascendere illum in montem, ut moriatur ibi, (26) sed antequam moreretur, jussisti filium ejus, [113:] Eliezer indui veste patris. Dum ad mortem Moysis pervenero, petam gratiam tuam, Domine, ut referre possim, quæ in morte hujus et illius figurativa fuisse credo. Hic igitur tantum id memoro, quod Aaron concernebat. Adhuc vivente illo induitur Eliezer vestibus pontificis, ut sacerdotii et pontificatus permansura perennis successio designetur, nec pontifex, sed Aaron mori videatur. (27) Ascendit

<sup>a</sup> Ante discernendum in margine: Cap. XI.

Moyses, Aaron et Eliezer te jubente, Domine, in Montem Hor coram omni multitudoine, procul dubio, ut pateat hæc ex tuo mandato fieri, ne Moyses et Eliezer fraticidii et parricidii criminis suspicionem incurant in opinione tam insipientis et ad dubitandum tam proni populi.

Abrumpo, Domine, reflexiones meas alibi opportunius referendas, illarum tamen et memoriam et intelligentiam a te petere non cessabo. Fac, quæso, ut recenseam illam, quæ vis, modo et ordine, quo vis!

#### SUPER CAPUT 21.

Videtur, Domine, ignorantiae meæ hoc caput connexionem habere cum decimo quarto capite libri hujus, in quo refertur te populo jussisse, ut revertatur per viam Maris Rubri, siquidem Amorrhæus et Chananæus habitaret in montibus. Sed ille præsumptione ductus contra monitum Moysis ipso et tabernaculo in castris manente ascendit in montem et percussus est ad inimicis. (1) Et hac præda ducta de populo consurrexit de novo contra illum Chananæus. Hæc tamen, o Domine, non statuo pro certo; populus enim secundum edictam pœnam oberrans et circumductus in solitudine multo post tempore redire potuit in eundem locum et pugnare contra Chananæos, quos voto facto brachio virtutis tuæ adjuvante devicit et usque ad internecionem percussit. Sed si quidem historia populi non est directum objectum meditationum mearum, non immoror tempus, loca et eventus combinare, hoc enim opus excedit vires meas; at quamvis (4) confirmare [114:] videatur primam opinionem meam (recessum populi a Monte Hor et profectionem per viam, quæ dicit ad Mare Rubrum referens), non tamen sentio me adhaerere opinioni meæ.

Miror, Domine, et si me agnoscere non dedisses proprias tenebras meæ, adhuc plus mirarer populi tui duritiem, qui non obstantibus tot flagellis oblitus te misericorditer adjuvante obtentæ contra Chananæum victoriæ denuo laboris et peregrinationis tædio affectus (5) loquitur contra te, Deum suum et Moysen interrogans: Cur eduxisti nos de Ægypto, ut moreremur in solitudine? Panem qualibet die manducabat, de aqua e silice miraculose educta bibit et tamen mentitur sibi iniuntas ejus dicens: Deest panis, non sunt aquæ, anima nostra jam nauseat super cibo isto levissimo. Non, non, o popule insipiens et carnalis! Nihil tibi deest ad necessitatem, sed deest ad cupiditatem, et hinc carnalitatì tue nauseam conciliat panis cœlestis, quia deest tibi panis terrestris.

Et ecce, hæc consideratio memorem me facit deplorandi status mei et tot annorum vitæ, in quibus similis populo huic carnali tædebat me itineris et laborum et nauseabat anima mea panem verbi tui, panem vivum de cœlo descendenter<sup>1</sup> tamquam cibum levissimum saturari cupiens pane mundi et appetens iniquitatem, quam tamquam panem gustui meo accommodatum vorabam. Ita est, Domine, et horum retroactorum temporum in fletu et singultibus in sanguineis lacrimis recordari mallem, quam hæc siccis oculis referri tibi. Sed cor meum adhuc silice durius has salutares pœnitentiæ aquas educere nequit, necdum percussum virga illa salutaris amaritudinis gratiæ tuæ, quæ flere facit in gaudio, gemere dat in consolatione. Laudent te,

<sup>1</sup> Cf. Ioan. 6,41.

Deus, omnia viscera mea et medulla ossium meorum pro his quoque, quæ dare dignatus es mihi. Fiant, quæso, mecum omnia in mensura voluntatis tuæ!

Murmuraverat jam antea populus tuus et tædebat illum itineris et laboris volens<sup>a</sup> redire in Ægyptum et ut, Domine, [115:] igne devorante percutiebas illum. Nunc autem, ecce, huic murmuri addit nau seam cibi, quem pro levissimo reputabat, et ignitos serpentes immittis contra illum seu (ut ipse Moyses explicat) (Deut. 8. v. 15) serpentes flatu urentes excitas, quorum morsu occidebantur plurimi. (6) Ignis est, Domine, quo populum tuum militantem in terris punire soles, dum in pœnam illius concupiscentiæ frena relaxare permittis, et fit combustio magna in populo. Sed cum peccatum homo consummat, flatu urentis serpentis aduritur et moritur spiritualiter, etiamsi vivat carnaliter. Serpens est itaque hoc corpus peccati, quod flatu urit, sed prævie nau seam cibi spiritualis suscitat. Et quod est hujus mali remedium, nisi (7) dicere confitentes, quod peccavimus, quia locuti sumus contra Dominum seu insurreximus contra illum. Hinc ductoris nostri spirituales rogandi, ut orent pro nobis ad Dominum. Sed hæc sola dispositio non sanabat populum.

Quid præcipis ergo, Domine, oranti Moysi, ut faciat? (8) Fac, inquis, serpentem æneum et pone eum pro signo! Qui percussus aspexerit eum, vivet. Quod est, o Deus, hoc mandatum tuum! Ecce, jusseras, ne sibi ullum sculptile vel similitudinem animalis aut viventis super terram faciat populus,<sup>1</sup> et hic serpentem fieri jubes, ut illius aspectu sanarentur percussi. Num inanimati reptilis aspectus sanabit illos? Num hoc mandatum tollet præcedens præceptum? Non, Domine, non est in te contrarietas. Prohibuisti enim, ne sculptile faciant, ut adorent illud, sed et Cherubim et similitudinem serpentis in signum fieri jussisti. Cherubim, ut sedentis super alas illorum repræsentaretur majestas, serpentis, ut corporis peccati in conspectu tuo futura exaltatio designaretur, in cuius passionis virtute sanarentur plagæ peccati. Hæc est veritas, quam ipse Filius tuus nos docuit dicens: Sicut Moyses exaltavit serpentem in deserto, ita exaltari oportet Filium hominis, ut omnis, qui credit in ipsum, non pereat, sed habeat vitam æternam.<sup>2</sup>

[116:] Ecce, adorandæ veritatis manifestatio, in cuius signum serpens exaltatus fuerat: Sicut Moyses exaltavit serpentem, ita oportet etc. Ecce, virtus relativa exaltationis, in qua consistit figura. Prout enim in deserto imago serpentis plagam infligentis exaltata est, ita corpus quamvis innocens, in similitudinem tamen peccati formatum exaltatum est, ut per hanc exaltationem morsus igniti serpentis et flatu urentis sanaretur in nobis. Conservavit hujus serpentis exaltati effigiem populus in memoriam, nec reprobasti illius conservationem, sed dum illam posteritas adorare cœpisset, jure merito contrita est, quia memoria in adorationem serpentis degeneravit. Salutaris fuit populo hujus signi aspectus et sanabat afflictos plaga, multi tamen in Christianitate reperiuntur, qui veritatis tunc figuratae, nobis autem per misericordiam tuam manifestatae repræsentationem reprobant.

Nullo modo apparet ex textibus hujus capituli scivisse populum, quidnam serpens exaltatus significaverit, hunc tamen respiciendo idolatriam non commisit, quia in respiciendo mandatum tuum secutus est. Nos autem per gratiam tuam scimus, quid imago Christi crucifixi significet. Quomodo ergo illam respicientes idolatriam

<sup>a</sup> Nota structuram: *tædebat illum ... volens!*

<sup>1</sup> Cf. Ex. 20,4.

<sup>2</sup> *Sicut.... Ioan.* 13,14–15.

committere dicimus? Calumnia est hæc, Domine, contra veritatem et charitatem inficta, quam productus flatus urentis serpentis, et omnem charitativam compassionem, non autem indignationem meretur coram illis, qui Filii tui præcepta sequentes male dicentibus benedicent. Sit igitur, o Domine, benedictio misericordiæ lumenque charitatis super illos omnes, qui calumniantur et idolatriæ reos arguant nos ideo, quod in imaginem exaltati Filii Hominis respicientes passionem ejus propterea repræsentamus sensibus, ut illam spiritualiter recolentes sanemur a morsibus urentis et in corpore nostro serpentis concupiscentiæ.

Inter illa, quæ in hoc capite de peregrinatione populi et de stationibus historicis referuntur, sunt, quæ profecto singulari mysterio non carent, nec illa præterire [117:] possum, quia dignatus es illa revocare in mentem, sed nec eloqui scio, nisi dederis clariorem intelligentiam et verba ori meo. Primum est, quod mortuo Aaron non amplius per virgam, sed nec per Moysen patravit miracula. Per hoc enim, quod Moyses serpentem æneum fecerit, miraculum non patravit, sed tantummodo in erigendo serpente ministerio hujus usus es, Domine, virtutem enim sanationis aspectui serpentis dedisti. Alterum est, (16) quod non petenti populo puteum apparere feceris, pro quo beneficio recepto cantico gratias agit tibi, quod a transitu Maris Rubri non fecit, quamvis plurima beneficia receperit. Sed, ecce, iste puteus educitur per ministerium Moysis, cui tantummodo mandas, ut congreget populum, cui te aquas daturum promittis. Hic prævenisti, Domine, murmur et petitionem ejus, ad quam illum sitis adegisset, sed in antecedentibus in patientia populi ad murmur et querelas erumpesbat.

Repelle, Domine, tenebras intellectus mei et pelle semovens obscuritatem figuræ, ut luceat mihi veritas, quæ hoc tuo agendi modo tegitur, quia hæc omnia videntur mihi referri ad ineffabilem virtutem exaltationis, per quam Filius tuus unigenitus omnem potestatem acquisivit et omnia traxit ad se. Hujus visibilis humanitatis Aaron, divinitatis Moysen et virgam unionis harum naturarum figuram fuisse dixeram ab inchoata eductione populi ex captivitate usque ad recessum a Monte Sinai et in hoc consequenti Aaron mortuo hic manifestius repræsentatur, quomodo visibili humanitatis Christi præsentia recedente virtus exaltationis ejus aget in Ecclesia, per cujus visibilia sacramentorum signa prædictæ exaltationis ejus virtus communicanda hic figuratur. Quid igitur puteus, ad quem congregari jubetur populus, aliud designat, quam puteum aquæ vivæ doctrinæ Christi, pro quo tibi concinens gratias refert et canticum canit (17) congregatus ad illum populus. (18) Quem doctrinæ inexhaustibilem puteum (explicando) principes Ecclesiæ fodunt, parant pastores tamquam duces multitudinis in datore legis et in baculis [118:] directionis suæ, quos ab ipso datore legis receperunt. Ad hunc puteum vocati sunt omnes laborantes et onerati,<sup>1</sup> ut reficiantur per gratiam efficaciter prævenientes, sicut populus Israel vocatus fuit, antequam de siti questus fuisset. Omnium ad hunc puteum congregatorum gratuitè fuit vocatio, subsistit tamen militans in terris peregrinatio, quam subsequens populi in deserto permansio designavit.

Hanc mysteriosam serpentis exaltationem et putei manifestationem sequuntur victoriæ populi et jam (31) devicti populi terram habitasse dicitur, ut exaltationis virtutem, victoriam de inimicis et quietem internam producturam figuretur. His ta-

<sup>1</sup> Cf. Matth. 11.28.

men non obstantibus non hæc taliter profero, ac si statuere vellem adhuc continuari in Moyse figuram naturæ divinæ, quam a tempore recessus a monte Aaron et Moy-ses repræsentare videntur cessasse. Hoc tamen non obest, quin hæc, quæ refero, hic repræsentare potuerint, in quantum exaltatio serpentis recedente visibili præsentia Aaron facta fuit.

Præter hæc igitur, quæ ex tua bonitate, Domine, jam rettuli, consideranda sunt mihi illa, quæ Moysen tamquam ductorem populi respiciunt. Arguisti illum incredulitatis in præcedenti capite, edixisti illum terram promissam non ingressurum, jam fratrem suum mori vidit, nec tamen reperio illum delictum deflevisse, et te, Domine, deprecatum fuisse. Unde edoceor delicta ex fragilitate commissa per humiliationem et lubentem acceptationem pœnæ a te nobis impositæ expiari. Dum enim hæc extraordinarios motus et anxietates producunt, plerumque ex instinctu humani spiritus et naturalis superbiæ agit homo, qui sæpe acerbius dolet de eo, quod reprehensibilis est, quam quod deliquerit. Sæpe delicti consequentias et promeritam pœnam metuit. Unde satius est de illis se humiliando et tibi submittendo ac resignando pœnitere, quam externis doloribus et sollicitudinibus moveri. Hic fuit modus agendi Moysis, qui sententiam [119:] tuam in humili simplicitate exaudiens se tuæ, Domine, voluntati submisit et sui ministerii functionem continuavit.

O Deus, quomodo disponis eventus rerum mundanarum secundum consilia sapientiæ tuæ jure Creatoris. Jam tot centenis annis antea promiseras patribus hujus populi terram, quam ingressurus est. Toties repetiisti in Exodo et in hoc libro Numeri quoque possessurum populum terram Amorrhæorum, quos propter abominationes exterminare decrevisti. Justitia tua exigit tamen, ut omnia fiant in ordine, ut etiam secundum dictamen humanæ et quodammodo sensibilis justitiæ quoque, populus et bellandi et acquisita retinendi jure gaudeat. Moyses itaque exemplar principum non fraudulenter aut per stratagemata satagit occupare confiniarias urbes aut munitiones regni, quod tu, Deus, populo dedisti; non celeritate uititur, ut aut inimicum præveniat aut angusta montium, ripas fluminum præoccupet, vada muniatur, sed in omni mansuetudine (21. 22) mittuntur legati, non ut promissa Dei sui enuntient, leges præscribant, comminationes faciant vel tales proponant condiciones, per quas Amorrhæei ad arma concitarentur, ut exinde occasionem habeat populus debellandi illos. Sed horum omnium ignara Moysis mansuetudo pro transitu petendo mittit legatos Moyses et ipsas transitus condiciones justas et æquas offert.

Sic agit princeps, quem tu dicis<sup>a</sup>, Domine, et quem triumphare decrevisti. Sed ab adverso princeps, cuius thronum subvertere, regnum alienigenis tradere statuisti, justas propositiones non exaudit, æquas condiciones contemnit et in superbia cordis sui (23) congregato exercito egreditur obviam in desertum, ut cum populo (quem amicum habere potuisset), pugnet tamquam cum inimico. Cogitur ergo Israel ad prælrium. Non offendit, sed offenditur. Pugnat invitus et percutit in ore gladii, et quis non dicet justo jure possidere terram, cuius transitu arcebatur. Tam justo [120:] ordine, in tam admirando contextu procedunt mundani eventus, regnorum translationes, gentium dispersiones, quas principes terræ plerumque suæ sapientiæ, prudentiæ, sagacitati et in<sup>a</sup> rebus gerendis experientiæ<sup>b</sup> attribuunt. Alii longo tempore occultatis consiliis amicos consiliant, foedera pangunt et ex insperato inicum inva-

<sup>a</sup> Supplevit in supra lineam

<sup>b</sup> experientiæ in rasura

dunt, alii populorum proceres aut ipsam plebem pollicitationibus allertos circumveniunt et opprimunt. Alii confinia, munita, saepe provincias occupant, quia ratione status sui convenire autumant. Alii per connubia ad regnorum successionem aspirantes bellorum semina spargunt, alii occasionem bellandi querunt et in similibus desudant principum consiliarii. Pro his executioni mandatis enervantur populi, disperduntur thesauri, evanescunt aeraria, sed in his omnibus omnia secundum decreta tua eveniunt, quia omnes te disponente agunt. Sed quia pro voluntate tua, non semper pro tua voluntate sequenda agunt, confunduntur in operibus suis, et ipsa ratio status (pro qua omnia te, Deus, inconsulte agere posse credunt) mundo modo considerata est causa perditionis multorum regnum et principum.

Ecce, Sehon<sup>a</sup> rex Amorrhæorum credit rationem status esse, ut arceat populum, ne sub praetextu transitus ingrediatur fines et occupet regnum suum. Hinc transitum denegat. Haec ratio status secundam producit et persuadet melius esse obviam egredi populo in desertum, quam exspectare aggressum populi in propriis finibus. Tales enim considerationes saepe pro situ et ratione locorum et conjuncturarum suggestum humana prudentia, quae te non consulit et, ecce, confunditur, quia Sehon Israel extra proprios fines primus aggrediendo injustitiam commisit, quam Moyses evitare voluit pacifice petendo transitum, quem si post factam denegationem [121:] Israel armata manu temptasset, aggressor evasisset. Sed ne haec taliter fierent, sicut conveniebat ordini justitiae tuæ ita disposuisti omnia, Domine, Moysen itaque duxerunt tuæ sapientiæ consilia. Sehon movebant humanæ prudentiæ dictamina, tu autem, Domine, in uno et in altero glorificatus es. Ecce, sic agit etiam Og, rex Basan, prout egerat Sehon, et confunditur. Sic agit uterque, ut impleantur promissiones tuæ respectu populi modis convenientibus et secundum quoque humanæ prudentiæ representationem justis.

Adorandus es, Domine, in his omnibus, quæ fecisti, sed quanto plus diligendus es mihi ex illis, quæ mecum egisti, dum meam prudentiam in suis consiliis confudisti, ut ad tuæ sapientiæ recurram consilia sequens tuam voluntatem non voluntariae meæ secter dictamina sequens cupiditatem!

#### SUPER CAPUT 22.

Magna sunt, Domine, opera fortitudinis brachii tui, quæ mihi representantur in Scripturis, sed non sunt omittenda mihi etiam deliria humanæ prudentiæ, quæ consideranda occurunt. In praecedenti capite Sehon et Og cum exercitu suo occurrerunt populo tuo, et ad prudentiae humanæ dictamine in magna opinione virium suarum ducti occurrere malunt Israel, quam repellere si aggredi voluisse. Sed in Balach, Moabitarum rege timore perculta<sup>b</sup> prudentia alium effectum producebat, qui ab imbecillitate cordis provenire solet, qua ductus homo saepe ad superstitiones recurrat.

Non habet locum haec mea reflexio in exemplo Balach, iste enim falsorum deorum cultor ad Balaam recurrens deorum et prophetæ sui auxilium quæsivit et fecit, quod illusoria religio ejus tamquam salutare representavit, sed loquor, Domine, de

<sup>a</sup> Sehon in rasura

<sup>b</sup> Correxit perculta ex excusa?

illis Christianis, qui futuros eventus s<sup>a</sup>epe illusorie, s<sup>a</sup>epe erronee, s<sup>a</sup>epe superstitiose querunt, quia in te, Deus, [122:] firmiter non confidunt. Non mirabor proinde in hac historia Balach agendi modum, qui se contra populum omnimode defendere volebat. Non inquiram, quis fuerit Balaan, sed in omnibus admirabor tuam adorandam providentiam, Deus, quae in hoc eventu perversi, avari hominis instrumento utitur in suum finem. Volebas, Domine, notam reddere virtutem brachii tui omnibus habitatoribus terrae in populo Israel, et in hoc exemplo confundis spem, quam Moabitae et Madianitae habuerant in diis et in ariolis suis. Jam timor populi prævaluerat in cordibus inimicorum suorum, exempla Sehon et Og omnem confidentiam in armis eripuerant (2. 3), nec nisi tristis eventus repræsentabant (4) majoribus natu Madijan: Ita (inquit Balach) delebit hic populus omnes, qui in nostris finibus commorantur, quomodo solet bos herbas usque ad radices carpere. Inter has venturorum malorum prævisiones recurrit ad Balaan filium Behor, (5) ut vocaret eum (6) ad maledicendum populo, qui se fortior fuerat. Novit enim (seu credidit), quod benedictus sit, cui Balaam benedixerit, et maledictus, in quem maledicta congesserit. Tales fuerunt humanæ imbecillitatis et timoris suggestiones. Tam absurdâ fuit hominis de homine opinio, tanta confidentia, an in Deo Balaam, an in ipso Balaam, vix discernitur, quia benedictionis et maledictionis virtus ipsi Balaam attribuitur a Balach. Balaam tamen hanc virtutem non sibi, sed Deo suo attribuit, ad cujus consultationem (8) responsum suum distulit.<sup>a</sup>

Nescio, Domine, inter tot me sapientiorum dissertationes, quid dicam de Balaam, num nimirum cognitionem tuam, Deus, habuerit, num nomen Domini falsis diis attribuerit. Mihi profecto videtur Balaam cognitionem tuam et a te spiritum prophetiae habuisse, sed illo abusum fuisse et ex justis judiciis tuis te Balaam [123:] propriae perversitati naturae suae tradidisse. In his autem apparitionibus et revelationibus (quas Scriptura refert) te, Domine, egisse pro bono populi tui per revelationem et apparitionem angeli. Temptatur itaque Balaam per donaria et promissiones et primae temptationi resistit (13). Temptatur secundo (15) et ductus a spiritu avaritiae, volens, ut velles, quod voluit, consulit te, (20) et tu dimittis illum, et procul dubio perversam dispositionem (hanc dimissionem tuam sequentem) videns in corde ejus (22) iratus es ei, et ut terreteres illum, non tantum os asinæ aperuisti (28), sed etiam oculos Balaam, ut videret angelum et loquentem audiret (31), et quod plus est, peccatum agnosceret dicens: (34) Peccavi nesciens, quod tu stares contra me, et nunc, si displacest tibi, ut vadam, revertar. Vidisti, inquam, o Deus, perversitatem cordis ejus, et per timorem visionis ex misericordia firmare voluisti illum, ne aliud loqueretur, quam quod ipsi revelatus erat. Hinc dicit angelus: (35) Vade cum istis, et cave, ne aliud, quam præcepero tibi, loquaris! Sic agit bonitas tua cum homine, Domine, sed homo agit tecum, sicut Balaam. Tactus terrore dicit: Numquid loqui potero, nisi quod Deus posuerit in ore meo (38)? Sed cum in societate perversorum pergit (40) et ab illis munera recipit, (41) se ad excelsa Baal perduci sinit.

Non videtur mihi sacrificio in præcedenti versu[(40)]<sup>b</sup> relata Balaam obtulisse, sed Balach obtulit illa idolis suis. Fors itaque dicere possem (his, quae jam rettuli bene examinatis) ipsum Balaam similem fuisse illis, qui principes male agere videntes ex humanis considerationibus connivent illis spe aestimationis, honoris et lucri

<sup>a</sup> Correxit *dis-*

<sup>b</sup> Addidi signum )

allecti. Et in hoc consistebat perversitas Balaam, prout ex sequentibus confirmatur. Quot sunt, o Domine, hodieum tales, qui in tam perversa dispositione [124:] sub larva indulgentiae et ipsiusmet charitatis illusoria specie principes mala facientes non corripiunt, sed honorati ab ipsis seu donaria seu favores recipientes diis alienis (passionibus nempe suis) sacrificare tranquille permittunt. Quod igitur Balaam concernit, iterum dicam illum avaritiæ et hujus nefariæ conniventia præcipue reum apparere, et ad hæc uberius deducenda transgrediar ad subsequens caput pro dato lumine tibi, Domine, referens gratias et ad sequentia petens auxilium.

### SUPER CAPUT 23.

Ultimus versus præcedentis capitinis referens: Mane autem facto duxit eum (scilicet Balach Balaam) ad excelsa Baal, communi opinione interpretum illuminante repræsentat mihi in hoc monte fuisse fanum idolo exstructum, ad quem locum veniens Balaam in hoc fano et in ara ædificata sacrificare noluit, sed (1) sibi septem aras instrui jussit, et cum fecisset (scilicet Balach) juxta sermonem Balaam (2) imposuerunt simul (id est Balach et Balaam) vitulum et arietem super aram. Hic fuit primus actus criminosis Balaam, qui se ritui gentium accomodans aras exstrui petiit et pro signo communionis cum Balach victimas imposuit, quamvis interne sciverit hæc non requiri ad cognoscendam voluntatem tuam, Deus, actum tamen superstitionis ex complacentia regis Moab et principum ejus instituit. Hinc (3) dixit Balam ad Balach: Sta paulisper juxta holocaustum (non dicit meum, sed tuum), donec vadam, si forte occurrat mihi Dominus. (4) Sensit enim intrinsece hoc superstitionis cultu se male facere et ideo abiit et angelo illi [125:] occurrenti, quod fecit (quodammodo prævenire volens) rettulit dicens: Septem aras erexi et imposui vitulum et arietem desuper. Sed tu, Domine, qui ex justis judiciis tuis sæpe impium in adinventionibus suis ambulare permittis, pro bono populi tui voluntatem tuam manifestare non es designatus illi, et verbum veritatis dedisti in os mendacis, viam veritatis non in simplicitate cordis, sed in duplicitate sequentis.

(6) Reversus itaque invenit stantem Balach juxta holocaustum suum, quod sibi Balaam noluit attribuere, et assumpta parabola (7) edixit misericordia judicia tua, Deus, de Israel, (8. 9. 10) et quia verbum, quod dedisti in os ejus, audacter et fideliter rettulit etiam desiderium ejus dicentis: Moriatur anima mea morte justorum, et fiant novissima mea horum similia, sincera fuisse credo, quamvis enim (11) exprobrebat ipsi Balach, quod loco maledictionis benedictionem impertiatur, persistit tamen Balaam dicere: Num aliud possum loqui, nisi quod jusserit Dominus? Sed non obstante hac fidelitate, quam hactenus erga te, Domine, continuasse videtur, non resistit humanos favores sectans et aestimationem regis quærens superbiam Balaam, et hinc ex timore coactus videtur obœdire tibi, Deus, in edicendis mandatis tuis, sed in corde persistebat velle, quod nolusti, Domine. (13) Dixit illi Balach: Veni, et vadit. (14) Aras denuo septem ædificat, superstitionis sacrificia renovat, (15) te, Domine, denuo (modo, quo jam relatum est) consulit (15. 16) et reversus (17) respondet: (19) Non est Deus, quasi homo, ut mentiatur, nec ut filius hominis, ut mutetur. Dixit ergo, et non faciet? Locutus est, et non implebit? Scivit hanc veritatem Balaam, antequam iterate te consulisset, Domine, sed hanc veritatem ex simulatione subticuit, et in corde voluisset, ut mutares consilium tuum. Sed loquitur veritas tuas per os impiorum, et

decreta sua pronuntiat (20. 21. 22. 23. 24) sed denuo alio vocatur Balaam (27) et vadit, aras denuo [126:] ædificat (28. 29. 30), verba quippe tua pronuntiavit, Domine, sed suam, non tuam sequebatur voluntatem.

Quot sunt, o Deus, in mundo, qui modos agendi Balaam sequuntur, qui verba tua prædicant, enuntiant, gratias tuas dispensant, mundum tamen vocantem, voluntatem et cupiditatem suam sequuntur in operibus, et hi sunt lupi rapaces, quos Filios tuus venturos prædictis,<sup>1</sup> quos Balaam figuravit.

#### SUPER CAPUT 24.

(1) Cumque vidisset Balaam, quod placeret Domino, ut benediceret Israeli, nequaquam abiit, ut ante perrexerat, ut augurium quereret etc. Fors possem dicere, Domine, quod sciverit hanc veritatem Balaam, antequam postremas aras ædificasset, sed ut ex virtute sacrificii obtainere se spiritum propheticum fingeret, aras et sacrificia continuavit. Sed postremo timens temptare te liberius loquitur, et ecce, irruente in se Spiritu tuo (2) revelavit decreta tua de Israel. (10) Irascitur Balach, (11) repellit Balaam ad locum suum et omni magnifica honoratione privat. (12. 13) Respondit quidem Balaam ad Balach: Nonne nuntiis tuis dixi: Si dederit mihi Balach plenam domum suam argenti et auri, non potero præterire sermonem Domini Dei mei etc., sed subjungit: (14) Verumtamen pergens ad populum meum dabo consilium, quid populus tuus populo huic faciat extremo tempore.

Hoc vere fuit consilium tuum, o Balaam, quod tibi suggestit tua propria malitia, et quamvis Deus dispositionem perversam cordis tui noverit, dat tamen verba in os tuum, ut enares recondita, nobis autem revelata adoranda mysteria. Sed tu illa edixisti (16) vere solummodo tamquam auditor, sed non factor sermonum Dei. Qui novisti doctrinam Altissimi et visiones Omnipotentis. Qui cadens quoque (propter pravas cogitationes tuas) apertos habebas oculos pro [127:] salute aliorum, sed non pro tuo proprio bono. Dominus enim te assumpserat tamquam instrumentum, per quod magnalia sua manifestare decrevit, sed te tibimet ipsi reliquit. Quia vero propter Loth Moab conservare voluit, inspiravit regi illorum, ut in Deo, quem tu colebas, plus spei haberet, quam in diis suis, et ad se per te recurreret, nec se temere in viribus suis confisus populo Israel opponeret. Quod quia Balach fecit, non permisit Deus, ut perversum consilium tuum illi ediceret, sed regi Madian, de cuius populo fuisti.

Tales sunt misericordiæ tuæ, Deus, erga illos, quos conservare decrevisti, in quorum favorem, ecce, os Balaam aperueras, ut verba tua ediceret, clausisti autem, ne verba sua perversa per consilium, quod dare voluit, regi Moab effutiret. Iterum iterumque sunt adoranda mihi magnalia tua, quæ per prophetias in hoc capite contentas manifestasti, quarum explicationem et genuinum sensum ex consequenti nobis revelata veritate tot me sapientiores interpretes tradiderunt. Fac me, quæso, ferventer diligere, ut plus cognoscam, quæ per Balaam tam obscure, nobis autem per gratiam tuam tam clare manifestasti in Filio tuo Unigenito!

<sup>1</sup> Cf. Matth. 7.15.

Reddideras victoriosum populum tuum, Deus, debellatis Sehon et Og regibus. Jam terrae bonitatem, quam promiseras, degustare coepérat, et ex deserto exiens procul dubio frugibus terrae vescebatur. Hinc non amplius tædet de labore, non murmurat pro pane et aqua, sed ecce, in quanta scelera ruit ad omnia mala prona carnalitas ejus (1)! Moratur, et vix moratur, fornicatur cum filiabus Moab. Hæc sunt pericula et effectus otii et moræ in occasionibus temptationum. Pacifice transgressus fuerat populus terram Moab, et procul dubio hæc pacifica transgressio et commoratio [128:] in finibus dedit occasionem filiabus Moab transgredi ad castra Israel. Sed, o Domine, ecce, quomodo peccatum dicit et generat peccatum! Fornicatur populus, (2) invitatur ad sacrificia, comedunt et adoraverunt deos eorum, et (3) initiatus est Israel Beelphegor. Irasceris, Domine, sed non amplius ignem devorantem, non ignitos serpentes immittis in populum, sed cunctos principes Israel suspendere jubes Moysi contra solem in patibulis, ut avertatur furor tuus a populo. Quid est hoc mandatum tuum, o Deus misericors! Vitulum aureum adoraverat populus, et Moyses Levitis jusserrat, ut in expiationem peccati per medium castrorum transgredientes occidant omnes, qui occurserent illis. Et ecce, hic populus fornicatur et principes suspensi jubentur!

(5) Non refertur tamen, quod Moyses exsecutus fuerit hanc tuam sententiam, sed judicibus mandat, ut unusquisque occidat proximos suos, qui initiati sunt Beelphegor. Mirabile appetit ignorantiae meæ hoc mandatum tuum. Mirabilis videtur conductus Moysis. Scriptura enim non refert, num principes suspensi, num Moysis sententia exsecutioni mandata fuerit per judices, sed in sequentibus versibus te, Domine, zelo Phinees placatum fuisse tradit. Propterea his coram te ruminatis, Domine, imaginor mihi hæc omnia uno quodammodo tempore facta fuisse, Moyses nempe ad mandatum tuum exsequendum se præparando ex zelo occasionem reorum judicibus (non principibus, quos suspendere voluit) jussisse, et dum hæc exsecutioni mandanda fuerant, (6) introisse unum de filiis Israel ad scortum Madianitidenidente Moyse et omni turba filiorum Israel fors ad sumendum supplicium congregata. (7) Quod cum vidisset Phinees, zelo tuo accensus accepto pugione (8) reos in facto criminis occidit, et plaga respectu principum cessavit, viginti quatuor millia tamen hominum occisa sunt de populo (9).

Mandatum itaque tuum, Domine, de suspendendis [129:] principibus demonstrat mihi, quantæ rationi dandæ sint obnoxii, qui populis præsunt, et quia tempore, quo populus vitulum adoraverat, principes tribuum necdum te jubente fuerant instituti (quamvis natura dictante) principes familiarum Jethro suadente judices et subalterni centenarii etc. præpositi fuerint respectu muniorum, quæ in hac institutione specificata sunt (judicium de his non jusseras sumere, prout hic jussisti de principibus, quibus regendi te jubente data fuerat potestas et vigilandi in populum incumbebat munus ex pastoratus officio, quod distinctum fuerat a judicibus, quibus Moyses supplicium de reis sumere mandavit, sed hoc ipsum supplicium per plagam tuam particularem jam supra dictam desumptum fuisse credo de populo (14).

Daret mihi occasionem hic versus proferre, quod inter fornicatores cum filiabus Moab complures ex principibus quoque reperti fuerint, prout Zambri de cognatione et tribu Simeon, et propterea principes suspendere jusseris. Sed hæc esset opinio mea non satius exacte conciliata cum (v. 4), in quo cunctos principes suspensi jusseras, non quod cuncti fornicati fuerint, sed quod fornicationi populi secundum obligationem status sui

se non opposuerint. Hinc quia Phinees munio<sup>a</sup> vocationis suæ satisfecit et zelo tuo accensus reos occidit, (12) pacem fœderis tui obtinuit. Zelo, inquam, tuo commotus est contra reos, ut non tumet ipse deleres Israel in zelo tuo, et talis fuit semper operatio misericordiae et bonitatis tuae, Domine, dantis, quod requiris et retribuentis dona tua. Tu dedisti zelum, ut tuum averteres zelum et zelus tuus pacem fœderis obtinuit. Sic justitia et misericordia tua semper in te conjunctæ agunt, et te Deum manifestant demonstrando, quomodo corones dona tua in hominibus. Quidquid enim bonum est in homine, a te bonum est, qui solus bonus es. Hinc bonum, quod largitur misericordia, coronat justitia, ut sibi ex omnibus reveniat laus et gloria.

Sed, o Domine, si ad considerationem [130:] hujus historiæ revertor, in primis statim versibus fornicationem populi cum filiabus Moab reperio, ad quarum sacrificia euntes initiati sunt Beelphegor. (17) Vero dicis: Hostes vos sentiant Madianitæ, et percutite eos! An propter solam fornicationem Corbi cum Zare? Non, profecto, sed propter fraudem ex consilio Balaam factam. Ille enim in præcedenti capite vers. 14 dixerat ad Balach: Verumtamen pergens ad populum meum (id est Madian) dabo consilium, quid populus tuus populo huic faciat extremo tempore. Unde colligo Madianitas fraudulenter venisse, Moabitæ ante hoc consilium datum ex familiaritate amicitiae et cognitionis accessisse ad castra. Juste ergo Madianitæ percussi, Moabitæ vero misericorditer conservati sunt. Sed quis sum ego, Domine, ut examinare audeam, cur populum Moab ex incestu Loth generatum conservare, cur Madianitas,<sup>b</sup> filios Abrahæ ex Cethura percutere jusseris? Te miserente et illuminante jam rettuli supra Genesim meditans, quid incestus apparens Loth, quid filii Cethuræ designaverint; sed cur hæc, quæ hic referuntur, de excisione unius et de conservacione alterius populi statueris, non meum est inquirere, sed in silentio adorare judicia tua, ex quibus permisisti, ut (18) Madianitæ deceptores essent, Moabitæ occasio peccati (fors tamen non ex præconcepcta malitia) fierent.

Sit igitur tibi, Deus, laus et gloria ex omnibus operibus tuis, quæ ignorantia, pars hereditatis meæ penetrare nequit!

#### SUPER CAPUT 26.

(1) Postquam noxiorum sanguis effusus est etc. Si tu me illuminare non fuisses dignatus, Domine, ignorantia mea hanc expressionem solummodo ad caput præcedens et ad prostremam percussionem initiatorum Beelphegor rettulisset, sed hic citatus v. combinatus cum v. 64 demonstrat referri debere ad effusionem [131:] sanguinis noxiorum propter murmur, propter quod omnis multitudo condemnata fuerat, ne ingredetur terram promissam. Et in hoc sensu hæc connumeratio seu, potius dixerim, connumerati figuræ fuerunt illorum, qui post peregrinationem Synagogæ usque ad incarnationem intrarunt in Ecclesiam per veram fidem et sic in antecessum receperunt doctrinam Filii tui sequentes Spiritum legis, non litteram, cum in hoc Filio tuo promissiones tuæ vere completae sint.

Sed, o Domine, etiamsi illa, quæ respectu hujus connumerationis referuntur et causam illius respiciunt, simpliciter historice relata esse dicerem, fors non errarem.

<sup>a</sup> Sic?

<sup>b</sup> Corrigendo

Ille enim ipse ordo, propter quem instituta secunda connumeratione populum in quattuor castra repartiri jusseras, requisivit hanc tertiam connumerationem ad repar tiendam terram, in quam ingressuri erant, necessariam. Sed ille finis principaliter fuit, quem (64) v. clare exprimit, ut *nimirum incredulus ille populus evidenter agnoscat veritatem prædictionis tuæ*. Perdit se intellectus meus considerans ex tanta multitudine connumeratorum ad radices Montis Sinai nonnisi duos (Caleb nempe et Josue) repertos fuisse, qui incredulitatis notam non incurserunt et portentorum tuorum oculati testes promissorum participes facti sunt, ut fiant testes operum misericordiæ et justitiæ tuæ coram populo carnali et incredulo. Tam misericors fuit enim tuus cum hominibus agendi modus, ut non tantum tunc, sed etiam effuso super omnem carnem Spiritu tuo duodecim testes oculatos mortis et resurrectionis Filii tui singulariter præ ceteris statuere volueris, ut hominibus veritatem, quam viderunt, audierunt et manibus palparunt, annuntierent.

Hæc sunt, Domine, quæ hominem convincere debent de infirmitate sua et de corruptione naturæ sua. Quo plus considerat enim tanta opera bonitatis et misericordiæ [132:] tuæ, eo plus videt, quantum te debilitati et infirmitati ejus quodammodo accommodaveris. Videt, inquam, quid mereatur justitia, qui tam sensibilibus ac realibus testimoniis resistens gratiæque tuæ se opponens non convertitur ad te, Deum suum et viam veritatis non sequitur in fidelitate. Sic apparet, Domine, immutabilis fidelitas tua in promissionibus, incomprehensibilis bonitas in gratis, quas largiris, et in conductu hominis ineffabilis<sup>a</sup> charitas erga homines, pro quibus cursu tot millenniorum annorum continuato opere tanta facere dignatus es.

O Deus, quam pretiosa est tibi creatura tua ad imaginem et similitudinem tuam plasmata, et quam pretiosus deberes esse illi, qui non tantum esse suum debet tibi, sed etiam tanta opera, quæ fecisti per illam pro te. Nec tamen ita fecisti pro te, quin sint et pro illa. Omnia enim facta sunt, ut hæc tanti pretii creatura possit pervenire ad te et uniri tecum! Horre, o anima mea, ad considerationem infidelitatum et ingratitudinum tuarum! Horre ad recordationem infirmitatis fragilitatis et mortalis miseriae tuæ, sed consolare in contemplationem misericordiæ, bonitatis et charitatis Dei tui! Confirmare in spe promissorum ejus, cum diligendo speraveris et<sup>b</sup> sperando dilexeris, ut in charitate perseverando promissa assequaris!

#### SUPER CAPUT 27

Videtur mihi historiam referre Scriptura in eventu filiarum Salphaad, ex cuius contextu edoceor, quid principi faciendum sit in casibus, de quibus lex necdum condita est. Non videtur mihi res tam difficilis (quam hæc filiæ proponunt), quin illam ipse [133:] Moyses decidere potuisset, sed præclarum exemplum præbet omnibus populi ductoribus hoc exemplum, et in quantum Moyses in gubernando populo respectu tui, Domine, subalternus fuit et in hoc respectu omnis princeps quoque pro tali habendus est, omnes sub alterna potestate fungentes docentur in illis, de quibus necdum lex habetur, ad superiores suos recurrere et causam ad illos referre.

<sup>a</sup> Correxit *in- ex jn-*

<sup>b</sup> Correxit *et ex ex*

Dico in illis, de quibus lex non habetur, hac expressione enim non intelliguntur omnes privati eventus, pro quibus lex non requiritur, sed tales, quae publicum bonum et distributivam justitiam respiciunt. Non fuerat casu factum, sed nec ex defectu prævisionis sapientiae tuæ, quod tot legibus (ad civile gubernium et justitiae administrationem necessariis) statutis, de simili, prout hic contigit, casu nihil statueris, sed hunc ipsum eventum ad postrema tempora Moysis distulisti, ut et Moysen et successores ejus instrueres te velle, ut in similibus a te petatur consilium et in illis, quae justitiam concernunt, æterna justitia consulatur. Nisi enim regnorum et principum leges in hac fundata fuerunt, hominum erunt adinventiones, non autem certæ justitiae regulæ, super quas fundari possit communis vitæ humanæ ratio.

(4) Rettulit proinde Moyses causam filiarum Salphaad ad judicium Domini, et tu, Domine, decidere dignatus es, et quod præcepisti, factum est sanctum filiis Israel lege perpetua. (11) Felicia sunt regna, felix est princeps, qui hunc modum agendi observat et principia regendi a te petit, Domine, et super eventus neandum prævisos te consultit. Ac si hic solus casus fuisse, de quo neandum legem positivam statuisses, Domine, ecce, hac stabilita, statim dicis ad Moysen: (12) Ascende in montem istum Abarim, [134:] et contemplare inde terram, quam datus sum filiis Israel, (13) cumque videris eam, ibis et tu ad populum tuum, sicut ivit frater tuus Aaron etc. (14)

Mirabilia sunt mihi nimis hæc, Domine, nec tamen figuræ fuisse dicam, sed veritates admirandas. Repetisti hæc, Domine, ad Moysen, et a te sæpius repetita ipsemet Moyses inserit in scripturis. Clare edixisti, quod ideo sit moriturus, quia te offendit, ut imperfectæ legis mediatorem et latorem imperfectum fuisse demonstretur, quia hanc ipsam poenam promeruit imperfectio etiam pontificis, cuius sacerdotium quoque imperfectum fuit. In hos agit justitia tua, Deus, directe solvens unionem animæ cum corpore, sed in Mediatorem et Pontificem legis novæ egit justitia tua per homines, in quantum tradidit innocentem manibus nocentium, ut torqueretur per homines et crucifigeretur; et quia hic mediator noster peccatum nullum habuit, in suo sensu possem dicere, quod ex hac ratione justitia tua in illum directe agere nequivit, sed perversitatem hominum agere permisit in corpus ad similitudinem peccati formatum, ut innocentis effusus sanguis nocentes lavaret, et victima peccatis onusta innocens et sine macula propria (et exinde te digna) offerretur justitiae tuæ. Ut testamentum sit validum, mortem testatoris intercedere necesse est docente Apostolo.<sup>1</sup> Hinc et vetus testamentum mortem requisivit, sed hæc mors poena proprii delicti mediatoris fuit, et quia testamentum imperfectum erat, ideo perfectionem per adimpletionem acquirere debuit, antequam sanguine testatoris signaretur.

Mors itaque Moysis nihil profuit, quia ipsemet propter prævaricationem et infidelitatem punitus est, nec ergo legem, quam tulit, adimplevit. Hinc incruenta esse debuit, quia nocentes sanguis ad signandum non valuit. Sed ille testator, qui legem adimplevit, omnimode validum testamentum condidit, quia innocentii (per nocentes) effuso sanguine testamentum, quod fecit, adimplevit, dedit et signavit. Et quia hoc innocentis sanguinis (ut ita dicam) atramentum justitia [135:] tua, Deus, delere nequit, misericordia tua conservat in æternum. Scivit hæc Moyses te revelante, Domine, et ideo sententiam tuam in admiranda tranquillitate suscipit, non de se, sed de

<sup>1</sup> Cf. Hebr. 9,16.

populo curæ suæ commisso sollicitus (16) rogit te, Dominum Deum spirituum omnis carnis, ut provideas hominem, qui sit super illum (17) et possit ducere ipsum.

Hæc est dispositio imitanda omnibus principibus. Dispositio, inquam, in qua Moyses te, Dominum Deum spirituum omnis carnis appellans se coram te humiliat, voluntatem tuam acceptat et spiritum suum agnito Domino Deo ejus recomendat. Hoc facto sibi commissi populi memor curæ hujus extremum momentum impendit, ut muneri,<sup>a</sup> ad quod vocatus fuerat, satisfaciat. Sed quid petit pro populo? Hominem, qui possit exire et intrare, educere illos vel introducere, ne sit populus Domini, sicut oves absque pastore. O Domine, vere non mundana politica regum et principum dictavit hoc petere Moysi, et tranquillitatem, in qua sententiam mortis exaudiuit, non a dictamine carnis recepit.

Tu, scis, o Deus, corda et renes investigans, num sit in mundo rex et princeps, qui successorem sibi in hac dispositione Moysis petat. Mihi enim non constat ullus, qui moriens suum successorem non designasset aut non obtrusisset vel adhuc vivens obtrudere non vellet. Non loquor, Domine, de illis regibus, quorum regiminis successio consensu benevolo et voluntario populorum ad filios eorum restricta est, prout tu ipse, Domine, (quamvis ex longe differenti ratione, quam quidam explicant) successionem regiam ad domum David restrinxeras, sed de paucis illis regnis et statibus loquor, in quibus populi<sup>b</sup> necdum per liberum consensum hoc onus successionis suscepserunt, sed electionem regum et principum sibi reservarunt regnicolæ. Hoc jus hereditatis seu sanguinis sanguine tot milliorum hominum et dispendio animarum sæpe acquiritur, stabilitur, defenditur et extenditur, quia ipse populus tuus spiritualis se pro possessore, non pro incola terræ, non pro [136:] colono tuo, sed pro domino et proprietario reputat.

Video, Domine, per gratiam tuam spiritum Scripturarum tuarum considerans ex promissionum tuarum sequela stabilivisse te sceptrum Judæ in domo David, sed hæc ipsa promissio spiritualis fuit, quia temporale dominium domus David aliquot ante Salvatorem natum sæculis cessaverat. Sed necdum illustrasti ignorantiam meam, ut ex Scripturarum Spiritu edocerer regum successivum jus ad certas familias restringi ordinasse. Ipse enim primus rex populi tui, Saul in poenam datus fuerat a te. Hoc tamen exemplum nunc pro auctoramento illorum, quæ facta sunt, allegatur,<sup>c</sup> et jus regium inde desumitur. Dederat populus tuus regiam auctoritatem familiæ Machabæorum quoque procul dubio te permittente, sed non instituente, qui sceptrum domui David promiseras, populum autem deviare permisisti, sed non jussisti. Hoc enim ipsum, quod regale gubernium cum sacerdotio conjunxerit, contra legem tuam factum est. Sed usui et sensui communī contrairem et me violentissimo impetu torrentis hujus exponerem, si dicerem hereditaria gubernia et regimen populorum non convenire cum lege et doctrina Filii tui inter populum spiritualem per adoptionem in ipso coheredem Unigeniti Filii tui factum.

Sed nec est instituti mei de his doctrinaliter tractare et tot sapientum auctorum scriptis contrariari, quamvis te adjuvante fors demonstrare possem jus successionis a gentilibus vi tyrannica institutum fuisse et in Christianitatem nonnisi per cupiditatem sub larva usus communis inductum fuisse, te autem, Domine, hæc fieri permi-

<sup>a</sup> m- corrigendo

<sup>b</sup> -i correxit ex -us

<sup>c</sup> Correxit allegatur ex allegatur(?)

sisse, ut cupiditate unius hominis refrenaretur et dirigeretur multitudinis cupiditas. Credo itaque, Domine, quod in vero spiritu et sensu doctrinæ legis tuæ veteris et novæ ita procedendum esset in electione pastorum temporalium, prout procedi debere præscribitur (sed nec hoc communiter practicatur) in electione pastorum spiritualium te consulendo, pastorem a te talem, quam Moyses petit, [137:] petendo et pastoratum regalem a nemine ambiendo.

Sed, o Domine, hæc contemplando refero coram te tamquam vix practicabilia inter homines, quorum ambitio et dominandi libido semper te opposuit et opponet legi tuæ. Fatebor tamen me credere, quod si quidem ornis pastoralis status singulari vocatione tua indigeat, ordinationi tuæ electiva regna melius corresponderent, si electiones regum te consulto et in spiritu tuo fierent, quam regna, in quibus vix nati, sed et nascituri infantes ad pastoratum vocantur. Hunc autem in minorenitatis<sup>a</sup> sæpe cum magno populorum detrimento exercere non possunt. Quid dicam de educatione et de moribus horum, qui a teneris annis in fastu formantur, in superbia vitæ adolescent et se super communem condicionem hominum ex natura elevatos esse credunt non ex ratione dignitatis et vocationis tuæ. Scio, Domine, habere te electos tuos inter hos, scio te etiam per nativitatem vocare posse et vocare reges et principes, sed hæc argumenta non evertunt rationes, ex quibus hæc profero. Quos enim Spiritus tuus sentire facit coronarum onera et pericula, ne quidem eligi vellent in reges, non ut reges natos esse pro felicitate reputarent. Profecto enim non nisi cupiditas potest persuadere levia esse coronarum onera, quæ intolerabilia repræsentat charitas absque speciali gratia tua, quam nescio, num singularius det regibus origo et nativitas (cum hujus doctrinæ vel opinionis fundamentum non reperiā in Scripturis), quam dare potest in bona dispositione suscepta regalis unctionis. Non petit a te Moyses, ut gubernium populi filio suo tradas, sed electione tibi relicta hominem solummodo petit capacem ducendi populum, ne sit populus tuus, sicut oves sine pastore.<sup>1</sup>

Prætero, Domine, plurimas cogitationes meas, quæ temerariæ viderentur communni opinioni et usui cupiditatis. Vocaveras me quoque, Deus, per electionem ad pastoratus officium, sed quia gratis mihi datis abusus sum, bonum est, Domine, quod humiliaveris me, ut discerem justificationes tuas.<sup>2</sup> Amovisti me per [138:] adversariorum violentia a grege meo, sed me ab obligationibus meis immunem necedum reddidisti. Hinc sequor illas, nihil tamen peto, quam ut impleatur in me et de me sanctissima voluntas tua.

Principibus te, Domine, in spiritu Moysis consulentibus (18) indicat misericordia tua pro successore Josue, qui Salvator interpretatur. Indicat virum, in quo est spiritus, quem ultimum Deuteronomii caput spiritum sapientiæ fuisse manifestat, sine quo principes populos in viis tuis ducere non possunt. Hæreto, Domine, quia tenebris meis tradidisti me, nec eloqui possum magnalia tua. Jubes Moysi, ut tollat et in ducem populi constituat Josue ex tribu Ephraim et non Caleb ex tribu Juda, qui illi adjunctus fuerat in perlustranda terra et tibi æque fidelis permansit. Ex tribu Juda exiturus erat dux populum spiritualem in terram promissionis inducturus. Ecce tamen, ex tribu Ephraim eligitur Josue, qui illum figurat. Profecto clarius manifestatur hic mysterium, quod in Genesi fulguris adinstar apparuit in benedictione Ephraim,

<sup>a</sup> Correxit minorenitatis ex minoritatibus, supplendo renni supra lineam

<sup>1</sup> Cf. Matth. 9,36.

<sup>2</sup> Cf. Ps. 118,71.

per quam a Jacob primogenituram super Manasse acquisivit. Uterque autem ex Joseph, filio Rachel (quam figuram novi testamenti fuisse dixi) fuerunt, ex matre Ægyptia nati. Agnovi itaque te adjuvante, Domine, in Ephraim vocationem gentium figuratam fuisse, et hic denuo agnosco in Josue figurari Christum gentes in Ecclesiā vocaturum et per Spiritum suum gentilibus principibus dandum, introducturum. Propterea jubetur Moyses (in hoc actu figurans Christum qua legislatorem) imponere manum super caput Josue coram Eliezero et omni multitudine (19) et præcipere, (21) ut si quid agendum fuerit, Eleazar sacerdos consulat Dominum.

Hæc est enim forma gubernii Ecclesiæ, quam Christus in lege nova instituit, in qua principes statuuntur coram sacerdote et populo, imponuntur illis manus per sacerdotem, et te, Domine, consulunt per sacerdotes et ad verbum illorum qua tuum egredi et ingredi [139:] deberent omnes filii Israel spiritualis cum eo. Hic enim egressus et ingressus præcipue ad castra et per consequens ad bella gerenda refertur, quæ numquam deberent suscipi absque consultatione tua per sacerdotes facta, quibus competeteret de belli suscipiendi causa te, Domine, et lege tua consulta decidere. In ceteris enim gubernii casibus dum princeps legem consulit, in illa æternam justitiam tuam consulit, cuius minister et vicarius est in terris. Hic, inquam, in Josue et Eliezero figuratur divisa et distincta inter principes et sacerdotes pastoralis functio et auctoritas, quæ in Ecclesia tunc manifestata[e]<sup>a</sup> sunt, dum gentilibus principibus manus impositæ sunt per sacerdotes coram universa multitudine populorum; postquam nimirum verus Moyses, Christus Montem Oliveti et inde in cælum ascendens cum hominibus conversari et ab illis videri desiisset.

Hæc sunt, o Deus misericors, quæ mihi manifestare dignatus es et combinanda occurrit, dum te adjuvante ad tempus mortis Moysis pervenero. Videtur enim mihi ex consideratione (v. 20) præcipientis: Dabo ei (id est Josue) præcepta cunctis vi-dentibus et partem gloriæ tuæ, et ex (22. 23): Fecit Moyses, ut præceperat Dominus, hæc, quæ hic referuntur, facta fuisse longo tempore ante mortem Moysis, nam per communicationem partis gloriæ intelligo cum interpretibus communicationem au-toritatis cum Josue, ut adhuc vivente Moyse populus tamquam successorem Moy-sis respiceret Josue. Sed parce, Domine, si errat ignorantia mea, et illumina, quæso, me, ut illa, quæ tua referam, non quæ mea sunt!

#### SUPER CAPUT 28. ET 29.

Trigesimus nonus annus erat, a quo populus circumductus multis modis errabat in solitudine. Mortua fuerat omnis multitudo, quæ magnalia tua viderat, Deus, quæ insti-tutiones ac legem tuam [140:] publicari audiverat ad montem Sinai. Peregrinatio sacri-ficiorum usum non permittebat, ritum alterare potuit, et propterea credo, quod ante-quam in Deuteronomio quoque cuncta repeterentur, placuit bonitati tuæ, Deus, per Moysen tamquam mandata tua referri, illa, quæ ad montem jam statuta fuerant, prout memoratur (v. 6). Videris tamen, Domine, hic specialius instituere seu potius explicare libamina, quorum in libro Levitici non recordor tam claram et specificam legisse decla-rationem. Sed et festa fuerant instituta, et in illis sacrificia præstare jusseras, sed et in hic et in sequenti 29. capite numerum victimarum diversam speciem animalium pro festo et

<sup>a</sup> Correxī

sequentibus sollemnitatis diebus præscribis. Ecce, Domine, (dicit tibi ignorantia mea), si omnia cruenta sacrificia unum sacrificium, si omnes victimæ unam victimam figurant, quid opus fuit juxta sollemnitatem festorum plures victimas exigere et ejusdem specie animalium hostias multiplicare?

Sic loquitur tibi, Deus, insipientia mea ad simplicem lectionem litteræ, semper tamen subjecta tibi et parata tam reconditorum mirabilium tuorum secreta adorando præterire, nisi bonitas tua dignaretur me monere, ut petam, quærar et pulsem. Et ecce, in hoc spiritu accedere præsumo ad hæc arcana mysteriorum tuorum. Imprimis igitur occurrit ex quattuor specierum animalibus jussisse te offerri hostias in festis. Vitulos nempe, arietes, agnos et hircum. Priora multiplicabantur, sed de hircis numquam plus uno exegisti pro peccato excepta expiationis sollemnitate, in qua duo præsentabantur. Semper tamen naturam humanam et corpus peccati figurarunt, quod tibi, Domine, pro peccatis omnium hominum oblatum est. Hic vetus homo mittitur in solitudinem in reprobis, immolatur tibi in electis, prout jam de his te adjuvante uberioris scripsi.

Memini præterea me rettulisse in sacrificiis vitulum electos ex Synagoga, arietem ex gentilibus eligendos significasse, sed quid hæc agnorum in septenarium numerum multiplicatio designet, (2) [141:] penetrare non valeo. Adjuva me, Domine, secundum multitudinem miserationum tuarum,<sup>1</sup> ut eloqui possim magnalia tua! Dicerem has victimarum multiplicationes institutas fuisse pro augenda sacerdotum subsistentia occasione sollemnitatum, sed hæc locutio esset ignorantiae meæ blateratio. Victimæ enim ita et libamina offerebantur et comburebantur in holocaustum, nec proderant sacerdotum victui. Unde agnosco hac omnino figurativa fuisse. Jam supra cap. 23. Levitici gratia tua, Domine, auxiliante rettuli festorum significacionem, sed si quidem ibi non fuerant specificatae omnes hostiæ, quas hic offerri jubes, nonni de septem agnis rettuli sensum meum credens septenario numero designata fuisse totidem dona Spiritus Sancti, quæ nobis effusione sanguinis Agni, qui abstulit peccata mundi,<sup>2</sup> obtenta sunt. Sed, ecce, in sacrificiis occasione festi expiationis institutis duplicatur hic agnorum numerus, sed et vitulos prima die tredecim offerri<sup>a</sup> jubes, qui omni die durante festo uno vitulo minuuntur et die octava ad unum tantum vitulum redigitur oblatio (36). Loco duorum arietum quoque singulis diebus oblatorum unus aries et loco quattuordecim agnorum septem immolari jubentur.

Nequeo, Domine, hæc præterire, sed nec explicare scio. Deduc, itaque, Domine, differentes cogitationes meas, quas vides in me, in vias rectas. Videtur enim mihi, ac si septem agnis superadditus septenarius agnorum numerus septem sacramentorum totidem donis Spiritus Sancti conjungendorum et Ecclesiæ tuæ dandorum designaretur mysterium, dum completa fuerit realis expiatio, quam festum expiationis designabat. Nam omnia hæc per eandem effusionem sanguinis agni sunt demerita et collata nobis. Hostiæ proinde agnorum ultimo die ad numerum septenarium denuo reducuntur, ut omnia ex eadem virtute Spiritus Sancti procedere designetur. Sed fors [142:] in hoc expiationis festo oblatorum vitulorum numero mystice designatur electorum ex Synagoga paucitas, quorum numerum per sibi succendentia sæcula semper minutum iri exprimitur, donec octava die (completis nempe temporibus)

<sup>a</sup> Ante offerri in margine: Cap. 29. v. 13.

<sup>1</sup> Cf. Ps. 68,17.

<sup>2</sup> Cf. Ioan. 1,29.

perveniant ad illam unam victimam et electum, ex cuius merito salvandi erant electi. Secundum hujus considerationis sequelam enim arietum numerus ideo augetur tantum ad duos, ut designetur gentilium electio, quæ ab origine mundi in paucitate quorundam apparuit. Et quia in vocatis in Ecclesiam usque ad finem seculi permansura erat hæc ipsa electio, ideo numerus arietum per dies non minuitur, sed ad unitatem (primogenitum) inter ceteros fratres figurantem, in quo gentes salute in adeptæ sunt, reducitur, ut omnia hæc in una victima pro electis ex Synagoga et ex gentilibus oblata efficacia futura designentur. Hæc autem ipsa victima in septem agnis denuo repræsentatur, ut septenarium donum (peracto magno festo Purificationis) per oblationem holocausti demeritum et Ecclesiæ relinquendum sub tantis et tam obscuris velis tectum nobis manifestetur. Hinc omnibus his victimis libamina specificatim adjunguntur, ut incruenti sacrificii consequens virtus figuretur.

Taliter enucleat in his duobus capitibus circa festa instituta mysteria debilitas mea non in tantum scire, quam admirari cupiens magnalia tua. Quis profecto est, qui satis admirari possit bonitatem tuam erga homines, quæ cum tanta condescendentia instruis et te quodammodo<sup>a</sup> accommodare dignaris debilitati illorum? Quis tam insipiens est, qui non videat potuisse te uno sacrificio figurasse illam infinitæ virtutis victimam, in cuius memoria ipsos adipum et sanguinum oblatorum fetores tamquam suave olentes recepisti? Mysteria tamen tua tam profunde multis [143:] modis velare voluisti et in Scripturis tuis adhuc in suis obscuritatibus exposuisti nobis, ut magnalia tua, Domine, in humili agnitione debilitatis nostræ et in admiratione magnitudinis tuæ scrutemur.

Adjuva me itaque, Domine, hæc tibi et mihi propter te præstare volentem. Nam quo profundiora dignabitur manifestare infirmitati meæ tua misericordia, eo major tibi præstabitur gloria, quia parvulum tuum loqui, mutum mirabilia tua enarrare facies. Da mihi lac, Domine, solidioris nutrimenti neclum capaci,<sup>1</sup> ne deficiam in via, ad quam me vocare dignatus es dans confidentiam in te, o veritas æterna, quam quæro et desidero, ut te plus agnoscedo plus appetam et appetendo plus diligem!

#### SUPER CAPUT 30.

Lex, quam de voto<sup>b</sup> seu de juramento hic statuere dignaris, Deus, videtur mihi sequela esse ultimi versus capituli præcedentis 39: Hæc offeritis Domino... præter vota et oblationes spontaneas etc. Has autem obligationes et generaliter omnia vota ac juramenta quomodo respectu viri et respectu mulieris implenda sunt, ex consequenti sententiæ primæ mulieri datae videtur decidere justitia tua. (3) Hinc distinguis, Domine, viros, non autem pueros, non juvenes a mulieribus, quia viri voluntas sub potestate patris eximitur, quamvis vi præcepti et dictaminis naturæ semper patrem et matrem honorare teneatur, sed quo tempore homo puer aut juvenis est, sub potestate patris aut tutorum reputatur. Sed differens est condicio mulieris, cui dixeras: Sub potestate viri eris, et ipse dominabitur tui.<sup>2</sup> Et secundum hoc dictum considerata hac lege videtur, ac si bonitas tua explicare dignaretur verba hujus sententiæ

<sup>a</sup> in rasura

<sup>b</sup> v- in rasura

<sup>1</sup> Cl. Hebr. 5.12.

<sup>2</sup> Sub...: Gen. 3.16.

non tantum ad uxorem, sed secundum quid ad totum sexum muliebrem extendi. [144:] Et fors ex hac ratione in sexu masculino ætates in statum infantiae, puerilem, juvenilem et virilem distinguuntur. Hi autem status omnes sub statu puellari in sexu femineo confunduntur. Unde fors licitum est mihi dicere (4) expressionem ætatis puellaris extendi ad omnis ætatis filias ne cum nuptas, et vi sententiæ tuæ, Domine, primæ mulieri latæ non tantum patri qua patri, sed patri etiam qua viro modo particulari subditas esse, quia ipsa voluntatis in promittendo restringitur facultas, et <ex><sup>a</sup> subjectionis viro sententia (7) transfertur in maritum, cum quo quamvis mulier in carnem unam (ut ita dicam) coalescat, dominium tamen in uxorem hæc lex simpliciter exprimit, quod dominio paterno succedit, quia propter virum patrem et matrem relinquere tenetur mulier.

(8) Absit, o Domine, a mente mea, ut seu in illis, quæ v. 3. dicuntur (quod vir, quæ promisit, servare teneatur) seu in illis, quæ hic referuntur, intelligam omnia indiscreta mala et perversa juramenta servari debere. Tu enim, qui mali causa non es, ad malum faciendum hominem obligare non potes, quia summe bonus es et malum odio habes vetasque. Hac tamen veritate non obstante possunt esse vota et juramenta, quæ imprudenter, præcipitanter, inconsiderate, temerarie facere potest mulier sub potestate viri sui constituta, quæ huic præjudiciosa et nociva esse possunt. Et dum mulier hujus speciei juramenta et vota præstat, excedit legem subjectionis marito debitæ.

Hinc tu, Deus, qui corda hominum nosti, statuisti, ut quo die audierit vir et non contradixerit similibus votis, mulier voti rea erit. Scis enim, Domine, quod quæ homini vere præjudiciosa et nociva sunt, statim sentire soleat amor proprius hominis et his contradicere impellit. Quæ vero statim, dum audiuntur, non reprobantur et non revocantur, sed [145:] in sequentem diem dilata reprehenduntur, plerumque tantummodo illusorie repræsentat cupiditas nociva et præjudiciosa esse. Repeto tamen in his omnibus non agi de illis, quæ positive mala et peccaminosa sunt. Hæc enim quamvis ignotis circumstantijs statim mala esse non viderentur, quodsi subsequenter detectis circumstantijs mala esse deprehenderentur, servari numquam deberent. Oportet igitur, ut pater et maritus in contradictione tempus non differant, ne locus detur suggestioni falsæ humanæ prudentiæ, in quam se malitia quoque insinuare posset, et milleni respectus humani, ex quorum ratione etiam bona et convenientia vota mulierum reprobarentur.

Ex consequentia prædictorum proinde clarum est inter mulieres non nisi viduam aut repudiatam (11) plenariam voluntatis suæ dispositionem obtinere, quia ex potestate patris merito subdita de<sup>b</sup> potestate in potestatem transit et a postrema potestate mariti morte vel legitima (secundum doctrinam Christi, non autem secundum legem Moysis propter duritiem cordis indultam) repudiatione subsequente immunis redditia etiam vivente patre ad præcedentem patris qua viri <d><sup>c</sup> potestatem non reddit, quia ab<sup>d</sup> hac libera redditia fuit, et ex hinc liberæ voluntatis existens, quod non peccaminose promittit, completere jure merito tenetur. Videtur præterea ignorantia meæ, quod hic textus explicet, quod supra (9) dictum est. Ita nimirum, quod non nisi de uxoribus

<sup>a</sup> Delevit ex

<sup>b</sup> Corrigendo

<sup>c</sup> Delevit d

<sup>d</sup> Correxit a- ex d?

in domo mariti existentibus intelligatur illa peremptoria contradictio sponzionis, quam (12) si vir audierit et tacuerit, mulier reddere obligatur, quod promiserat. Potest enim ex domo absens uxor promittere, quod maritus ab illa elongatus statim revocare non potest, sed dum resciverit, illico contradicere debuit. Et hoc jubes observari (14) ratione mortificationis corporalis quoque, quæ indiscreta posset esse, et hæ promissiones si subticeantur, vota reddere debet mulier. Sed si vir piis et licitis sponzionibus contradixerit (16), fors tunc [146:] iniquitatis absque justa causa impediti voti reus erit.

Hæ sunt itaque leges, quas constituisti, Domine, Moysi inter virum et uxorem, inter patrem et filiam, quæ vel adhuc in puellari ætate est vel manet in parentis domo. Et hic textus me confirmat in his, quæ jam te adjuvante rettuli, pro ætate puellari nimirum sumi omne tempus, quo puella innupta manet in domo patris sui præter patrem necdum tradita in potestatem alterius viri.

Hæc sunt, inquam, Domine, quæ me docet sensus litteralis hujus legis, sed si naturam voti et tibi factæ spontaneæ promissionis considero, heu, quam multa sunt, quæ me coram te juste arguunt. Votum est a creatura coram veritate tua in humili agnitione infirmitatis suæ in firma confidentia auxilii tui facta promissio, unde concluditur illud, quod promittitur, verum, bonum, justum, sincere promissum esse debere. Secus enim illusionis esset a te sperare auxilium ad illa, quæ hujus naturæ non essent.

Late patenter cogito, sed me breviter enuntio in his, quæ methodice et doctrinaliter tractare non est mei muneris. De his tamen decet omnem Christianum cogitare, qui vix nascens mundum ingreditur, sollemnem promissionem facit in baptismate, tunc plerumque absque intelligentia per patrinos, sed hanc promissionem toties renovat, quoties se Christianum esse profitetur et sacramentis Ecclesiæ utitur. Spontanea, inquam, promissione mundo, Diabolo et pompis ejus renuntiare declaravi, sed, eheu, quam frequenter contra hæc tibi facta promissa peccavi. Quot firma proposita de non peccando feci, et quoties prævaricatus sum! Quot sunt hæc, Domine, solidarum meditationum materiae essentque mihi nimis metuendæ veritates, si ipsum timoris argumentum consolationis non esset subsidium. Te, Deum summe justum offendi; ecce, timoris causa. Sed tu, Deus summe misericors, es; ecce, confidentiæ<sup>a</sup> fundamentum. Nonnisi labia iniqua inconsiderata hac lege tua [147:] possunt dicere hominem non teneri ad vota libere et licite emissæ, si quidem illa, qua homo promittit in votis religiosis, non sunt in potestate sua, cum de nobis met ipsi tamquam de nobis nihil boni habeamus. Dum enim bona et licita vota emittimus, jam illa quoque a te suggesta sunt, et tu per nos illud bonum operaris, quod inchoatum perficeres in nobis, si gratiis tuis responderemus. Neminem enim deseris, quin prius deseraris, nec igitur tu es causa, Domine, quod te suggestente promissa perficere nequeamus, sed malitia nostra, quæ vel tuis gratiis non utitur, prout uti posset, vel sponte prævaricatur, quæ promisit.

Sed tu, Domine, parce mihi de illis, quæ contra baptismatis promissa patravi. Quamvis enim illorum exsecutio vires meas humanas excesserit, si tamen tibi adhaessem, a misericordia tua convenientes saluti meæ gratias obtinuisse. Non fuit igitur indiscreta mea promissio, sed criminosa fuit mea a te subsecuta elongatio.

<sup>a</sup> *confidentiæ sc. meæ* (cf. Ms. fr.: *de ma confiance*)

Hinc utroque modo reus me misericordiae tuæ trado et te diligere posse peto, quia Deus meus es.

SUPER CAPUT 31.

Sumpsisti, Domine, ultiōnem de populo propter crimen, quod commisit fornici-tus cum diis Madi-nitarum. Hic jubes Moysi (1. 2), ut antequam colligeretur ad populum, ulcisceretur filios Israel de Madi-nitis. Extendisti brachium tuum super illos, Moyses armare jubet populum, sed non nisi mille viros ex singula tribu (4) consurgere mandat contra prae-dictum populum, qui antea universo exercitu Israel restitit, dum prae-sumens de propriis viribus vetante Moyse aggressus fuerat illum. Mysterium videtur designare duodenarius numerus et fors duodecim apostolos indi-cat, quos misit divinus Moyses, Filius tuus, ut regnum Dæmonis in idololatria de-structuentes pro stabilienda [148:] Ecclesia bellum tuum inchoent.

Sed hanc reflexionem non refero eo fine, ut illam ex contextu historiæ stabiliam. In his enim mirabilibus tuis, quæ contra populum tantam abominationem sequente in ex justis judiciis tuis fieri jussisti, veritates proponuntur mihi, in quibus figuræ querere non præsumit ignorantia mea, quia jam sæpe declarasti hanc esse terram, quam patribus populi promiseras, et te in brachio excelso et manu fortí educturum populum in possessionem ejus dissipaturumque gentes habitantes illam propter iniquitates et abominationes eorum. Adoro igitur brachium justitiæ tuæ, quod hic operari agnosco, cuius virtus ut manifestaretur et populo tuo et inimicis suis et nobis, (quibus hæc instructionis loco tradita sunt), nonnisi mille viri ordinentur ex qualibet tribu ad debellandam tam potentem gentem, prout ex præda ad castra reducta appetet.

¶ Procul dubio itaque ideo tam exacte descripta sunt omnia, ut haec meditantes discant credere tibi, sperare in virtute tua et te, Deus, tam potentem, tam fidelem videntes in promissionibus tuis discant diligere te. Elegeras populum ad ministerium iustitiae tuæ in gentes, instruxeras illum omnem ordinem et disciplinam militarem, ecce, operari incipis per illum mirabilia tua, et dum filios Israel ulcisci jubes, te ordinas ulcisci in illo de gente, quæ tantis, uti dixi, abominationibus dedita illas in Israel quoque induxerat. Phineas, cuius<sup>a</sup> zelus furorem tuum placaverat, eligitur (6) ad continuandam ultionem in Madianitas, et fors ex ratione sacerdotii vasa sancta, ex ratione imperii super exercitum datae sunt ei tubæ, quibus signa daret, populum animaret et illis clangendo quoque te invocaret cui recordando, Domine. Fuit itaque vindicta sumpta non tantummodo de Madianitis, sed et de Balaam, qui illis scelestum consilium dederat, ut mulieres mitterent ad seducendum populum. [149:] Hinc (14) Moyses novo zelo incenditur ad aspectum mulierum, quas redux exercitus adduxerat, et procul dubio ideo jubet occidi cunctas mulieres, quæ viros cognoverant (17), ut omnes, quæ in deceptione et seductione filiorum Israel partem habere potuerant, in communi ultiione punirentur. Dat hic Moyses exemplum principibus, quo zelo omne scandalum a subdito sibi populo arcere debeant, nec de victoria populi lætatur, nec victoribus congaudet, sed primo omnium curam gerit, ne occasio te, Domine, offendendi supermaneat inter populum.

<sup>a</sup> Correxit *cujus ex hujus?*

dis nostri) et habitare in corde nostro, quod non nisi tu, Deus, potes nobis dare in possessionem per gratiam tuam (53–54).

Hæc terra itaque cordis nostri sorte decretorum æternorum datur nobis a te, Domine, et qui plures inclinationes virtuosas sortiuntur, latiorem terram possident, qui porro minus virtutum habent, angustiorem retinent, quia singulis, uti sors cecidit misericordiæ tuæ, ita tribuitur hereditas. (55) Verum quam misera est condicio illorum, qui nolunt interficere habitatores terræ suæ! Hi sunt enim passiones, pravæ consuetudines et habitus. Qui porro ex his remanent, sunt quasi clavi in oculis, qui excæcant et viam rectam discernere nequit homo. Sunt lanceæ in lateribus, quæ pungunt et stimulant, et adversantur nobis in terra habitationis nostræ.

Hinc fit, o Domine, (56) quod ex justis judiciis tuis quidquid misericorditer cogitas facere (dans nobis gratias ad occidendas prædictos habitatores terræ nostræ), si illis abutimur, ex justitia facis nobis. Dum enim nos nobismet ipsis tradis, dominantur nobis, quibus dominari deberemus. Ecce, Domine, quam sensibiles sunt hæ veritates, quas me docere dignatus es et opere completere velle dedisti. Sed fac me etiam transire Jordanem cupiditatis, ut perveniam ad habitandam terram charitatis!

#### [157:] SUPER CAPUT 34.

Deus, dominator Domine, qui transfers regna de gente in gentem<sup>1</sup> secundum consilia justitiæ tuæ, tradideras populos propter abominationes suas in manus filiorum Israel. Ecce, proinde limites possessionis horum præscribis, ne se ultra præfixos justitiæ tuæ terminos extendere præsumat humana cupiditas. Sic agis, Domine, in secretis consiliis tuis respectu omnium imperiorum et regnorum, sed quam sæpe limites præscriptos excedens regum et principum ambitio præfixis a te limitibus non contentatur. Hinc oriuntur bella et sanguinis humani tantæ effusiones, quæ evenire quidem permittis, sed innocenter effusum sanguinem de manibus principum exigis. Fecisti ergo opus misericordiæ erga populum tuum declarans illi tam distincte voluntatem tuam et partem hereditatis suæ, ne se in manu tam excelsa agere videns et de tuo auxilio præsumens totius terræ dominatum acquirere posse crederet et exinde ambiret. Exigua portio terræ fuit hæ regio, quam ad quattuor partes mundi designatis limitibus circumscrisisti et electo populo tuo in hereditatem dedisti respectu regnorum, quae possidebant gentes forsitan non minus abominabiles et dignæ<sup>a</sup> excidio, quam fuerant illæ, quas disperdere jussisti, et quid hinc aliud video, quam non esse signum gratiae tuæ amplam regnorum et terrarum possessionem, in hac consistebat enim portio gentium te, Domine, ignorantium. Sed Israel possidet ad sobrietatem.

Hæ sunt, Domine, reflexiones interpretum me sapientiorum, sunt verae<sup>b</sup> et fundamentales, non tamen convincor de toto illis respectu considerationis, cur tu, Deus, populo tuo tam exiguum regionem dederis respectu ceterarum gentium, quæ orbem [158:] impleverant et possidebant. Edoceor enim ex Scripturis illam fuisse voluntatem tuam, ne populus tuus incolis terræ idololatris commisceret nec habitaret, cole-

<sup>a</sup> Correxi ex digni

<sup>b</sup> Correxi ex veri

<sup>1</sup> Cf. Eccli. 10,8.

ret et possideret terram cum illis, sed disperderet, occideret et evellet illos, ut solus coleret, habitaret possideretque terram, quam dedisti.

Hac autem propositione stante quid profuisset populo plus terræ dare, quam indiguit, et non tantum pro ingrediente, sed etiam pro successive multiplicando populo suffecit. Docet me Scriptura te dixisse nolle statim eliminare omnes populos, ne terra inculta maneat et feræ ac malæ bestiæ propagarentur in illa. Nemini ergo defuit quidpiam, et terra, quæ ultra vires colenda data fuisset, onus, non beneficium fuisset. In omnibus igitur egisti cum populo tuo, prout te, Deum ejus agere decuit. Dedisti hereditatem sufficientem melle et lacte fluentem,<sup>1</sup> voluisti præservare populum a malis exemplis et a prava societate habitatorum. Et quomodo hæc fieri potuissent, si illimitatam possessionem dedisses populo, cui vel implendæ impar vel aliis populis commixtus fuisset? Sed quia numero illorum parem terram dedisti, culpa populi fuit, quod mandatum tuum non secutus habitatores terræ non interfecit et in illis clavos sibi in oculis, lanceas in lateribus reliquit.

Talis fuit paternus modus tuus procedendi cum populo electo, cuius sequela fuit denominatio principum, quorum consilio et cura terra sorte divideretur. Nominantur proinde (18. 19 etc.) principes illi, quibus hæc commissio data fuit, sed quia nomina horum differunt ab illis, qui ad initium hujus libri in connumeratione populi nominantur, putant interpres hic tantummodo principaliores aut seniores familiarum nominari principes. Sed fors ausim dicere, quod se non reflectant neminem illorum, qui connumerationem in principio hujus libri [159:] relatam ingressi fuerant, præter Josue et Caleb ingredi debuisse terram promissam in capite quoque 26. v. 64. dictum fuisse, in connumeratione in campestribus Moab facta neminem vixisse ex illis, qui in præcedenti connumeratione notati fuerant. Clarum igitur est principes tribuum, qui hic nominantur, præcedentibus successisse, te autem Domine denominasse, ut sorte jacta pro possessione totius tribus inter domos et familias terram repertirentur. Si tu, Domine, ex infinita bonitate tua ipsem non denominasses hos principes, fors illorum denominatio inter populum tam duræ cervicis multarum contestationum et dissensionum occasionem dare potuisset.

Ex omnibus igitur, quæ scripta sunt, patet mirus ordo sapientiæ tuæ, per quem populum tuum tamquam rex et princeps per fidelem servum tuum, Moysen rexisti, et ecce, ordinas omnia, ne sub imminentि gubernio novi ministri occasio detur simultibus et dissidiis. Sic Christus, Filius tuus cælos ascensurus Petro oves et agnos suos pascendos commisit, et apostolos tamquam tribuum principes ad prædicandum et annuntiandum verbum suum per totam terram dimisit, quorum cura induceretur fidelium multitudo in Ecclesiam, prout jam dixi, bellum spirituale gesturam toto tempore militationis suæ super terram. Adoro itaque has miras ordinationes sapientiæ tuæ, Deus, vires<sup>a</sup> petens ad gerendum hoc bellum in dilectione et observantia mandatorum tuorum, ut vocationi meæ satisfaciens agam opus tuum cunctis diebus vitæ meæ in patientia et charitate.

<sup>a</sup> Correxit *vires* fortasse ex *virens*

<sup>1</sup> Cf. Ex. 3,17 sim.

Instituisti, Deus, ordinem in præcedenti capite, secundum quem tota terra repartiri debuerat inter filios Israel. Ordo pariter institutionis tuae exigebat, ut tribus Levi a ceteris tribibus separata permanens<sup>a</sup> de illa quoque providere dignareris. Lex tua jam statuerat, ut tu sis hereditas illorum nec terram possiderent, sed ex decimis et ex oblatis tibi viverent. Quodsi igitur integra hæc tribus aliquam terræ partem (prout ceteræ tribus) acquisivisset, terra, quam possidere non debuerant, inulta mansisset et decimas oblataque in unum locum comportare populo nimis onerosum fuisset. Omnibus proinde his inconvenientiis, ecce, miro ordine providet bonitas tua statuens, ut Levitis urbes darentur, in quibus habitarent, non autem terra, quam possiderent, sed ex suburbanis urbium pecora sua alerent. Hæc porro urbes quadraginta octo in medio ceterarum tribuum repartita facilitatem suppeditabant in comportandis decimis et oblatis, et ipsos Levitas in medio populi habitantes a ceteris tamen tribibus separatos tenebat hæc dispositio tua.

Capit rationem hujus ordinis debilitas intellectus mei, sed deficit in illis, quæ ratione urbium refugii ordinare dignaris (6). Voluisti quippe, ut ex prædictis 48. essent sex in fugitivorum auxilia separatae, ut fugiant ad eas, qui fuderint sanguinem. Decernite, ait (11), quæ urbes esse debeant in præsidium fugitivorum, qui nolenter sanguinem fuderint, (12) in quibus cum fuerit profugus, cognatus occisi non poterit eum occidere, donec stet in conspectu multitudinis et causa illius judicetur. Jam per mandatum tuum ad Noe datum sanciverat æterna justitia [161:] te sanguinem hominis et animam ejus requisitorum e manu ejus, qui fuderit illum, eadem tamen justitia requisivit, ut inter innocentes et nocentes fieret discretio. Et propterea provideretur primis, ne cum his confunderentur. Hæc fuit causa, cur urbes refugii statueris, in quibus usque ad cognitionem causæ securi poterant permanere rei. Postquam enim (16. 17. 18) declaratur species et casus homicidii voluntarii, subjungitur: (19) Propinquus occisi homicidam interficiet, statim ut apprehenderit illum, interficiet, et hoc edictum indiscrete extendere potuisse humana vindicta etiam ad illos, qui involuntarium homicidium committere potuissent.

Quamvis ex antecedentibus versibus sat clare pateat hoc mandatum (aut fors solummodo permissionem) tantum ad supra relato modo patrata homicidia extendi debuisse aut potuisse, ut tamen ad investigandos casus justa concederetur mora et securitas, urbes refugii, tres cis, tres trans Jordanem ex mandato tuo nominari debuerant. Quia autem homo etiam absque instrumento ferri, ligni aut lapidis (20) vel violento impulso contra terram, contra lapidem aut arborem vel percussione manus (21) homicidium committere potuisse, in his casibus præcepis examinari, num similes illusiones, impulsiones et percussionses ex odio factæ fuerint, (22. 23) quia non nisi fortuitos et absque omni odio et inimicitia contingibles casus jubes excusari (24. 25). Et postquam hæc audiente populo comprobata fuissent, declaras liberari innocentem de manu consequentium. Sed non obstante hac perquisitione et ex hac subsecuta absolutione accusatus ad urbem, in qua configerat, reduci et se in illa continere debebat (28) usque ad mortem pontificis. (26. 27) Quodsi enim interfector extra illas repertus fuisset, vivente pontifice ab ultore sanguinis [162:] absque noxa occidi potuit.

<sup>a</sup> Rectius cum abl. abs!

O Domine, mirabile est hoc, et obscurum appareat homini hoc judicium tuum, cuius intellectum illuminare et elevare non dignaris ad considerationem fundamentalem homicidii, in qua agitur de anima, quia in primo decreto tuo edixisti te animam hominis requisitorum a bestiis quoque et animalibus, quia homo ad imaginem et similitudinem tuam creatus est. Unde sequitur, quod ad manifestationem decretorum tuorum, quæ de anima hominis statueras, oportuit, ut figuraliter declararetur, quomodo anima hominis suam plenariam innocentiam sit acquisitura. Occidit primus homo per peccatum animam suam et omnem animam hominis, et ideo misericordia tua ab origine mundi urbem refugii in Agno ab æterno occiso<sup>1</sup> statuerat et manifestavit ab ipsa condemnatione serpentis. Sed quamvis hanc urbem refugii ingressæ animæ justorum post mortem a peccatis immunes fuerint, in veram patriam tamen ingredi non potuerunt ante mortem summi pontificis, qui animam suam posuit pro anima hominis.

Hæc est absconditum mysterium, quod hic tegi credo, manifeste tamen declaratur animam quamvis purgatam (sicut occisor per judicium purgatus fuit, e manibus tamen consequentium nonnisi post mortem pontificis liberari potuit) pariter nonnisi post mortem pontificis nostri, Christi liberari potuisse ex captivitate, in qua retenta fuit. Erat igitur vera urbs refugii antecedens meritum effundendi sanguinis, sed integrum libertatem et reductionem in patriam nonnisi mors et effusus sanguis obtinuit, prout hac lege tua (de involuntario homicidio statuta) manifestatur. Peccatum enim, propter quod animæ justorum detinebantur extra patriam, quamvis involuntarium fuerit, retentionem tamen ex justo tuo, quamvis humano intellectui incomprehensibili judicio promeruit. (31) Nullo profecto pretio poterat redimi anima; hinc Christus Homo pro homine sanguinem fundere debuit. Hæc fuit, Domine, lex æterna justitiae tuæ, quæ postquam impleta fuisset, legi talionis lex charitatis successit, quæ pro injuriis beneficia [163:] reddere, pro persecutoribus orare, inimicis parcere docuit nos.<sup>2</sup> Millia martyrum occidebantur, quorum parentes et cognati non pro vindicta clamarent, sed te, Deus, pro tortoribus et carnificibus deprecabantur. Sed antequam sanguis innocens fusus terram maculatam purgasset, (33) terra nonnisi per illius sanguinem poterat purgari, qui alterius fudit sanguinem. (34) Prout dixi igitur, effusione sanguinis innocentis fuit purgata possessio nostra spiritualis, et sic habitas, Domine, in cordibus fidelium Israel spiritualis.

O sanguis immensi et ineffabilis pretii! Quoties et, heu, quoties reus tui factus sum, et mortem æternam, non tantum temporalem promeritus sum! In te tamen solo est urbs refugii mei. Non fugio igitur, nisi a me, ut confugiens ad te misertus me salves me!

#### SUPER CAPUT 36.

Deus immensæ bonitatis et ineffabilis misericordiæ, qui me voce tua suavi et dulci vocare dignatus dedisti auditum auribus meis, ut meditationem Scripturarum sacrarum in simplicitate cordis et confidentia auxilii tui aggrederer. Ecce, me digna-

<sup>1</sup> Cf. Apoc. 13,8.

<sup>2</sup> Cf. Matth. 5,44.

His factis (19) legi satisfieri jubet respectu purificationis. Quis potuit enim reperi ri in tam exiguo 12 000 hominum numero, qui in excidendo tanto populo (ex cuius reliquiis 32 000 virginum conservatae sunt) a nece hominis aut a tactu cadaveris immunis remanere potuisset, et in tanta præda parta idolis consecrata tangendo se non contaminasset? (21) Quod igitur Eleazar jussit, in illis legibus fundatum fuisse autumno, quæ tactum cadaverum et contaminationem super murtuo vetabant. (22) Verum de metallis igne purgandis quamvis me legem non meminerim legisse, non inquiro, quomodo Eliezer dicere potuerit lege mandatum fuisse. Quodsi enim præceptum non exstitisset, quomodo Eliezer hæc verba coram Moyse proferre ausus fuisset?

Tu vides, o Deus, scrutator et consolator cordis mei, per hæc, quæ refero, nolle excludere sensum figuralem hujus historiæ, in quo sensu dici potest his bellis figurata fuisse bella militantis Ecclesiæ, quæ profecto (respectu multitudinis hominum castra sequentium) per paucos geruntur respectu illorum, quæ propagationem ejus respiciunt. Alia sunt bella Ecclesiæ militantis, quæ suscipiuntur ad ultiōnem sumendam, aliæ, quæ geruntur ad possessionem terræ promissæ obtinendam. Hæc cuilibet fidelium gerere oportet bellum ultiōnis in peccatores cum diis [150:] alienis (cupiditatibus nempe suis) fornicantes,<sup>a</sup> ad bellum electis exercere competit, et horum dux ex ordine sacerdotali eligitur. Hi sunt, Domine, qui arma verbi tui circumportant et per illa ultiōnem exercent in illos, qui verbum tuum recipere nolunt, quia a talium civitate exire et pulverem calceamentorum suorum excutere jussit Filius tuus apostolis suis,<sup>1</sup> qui (prout jam in principio dixi) primi hoc bellum contra idolatriam exercere cœperunt et prædam partam per ignem Spiritus, per aquam baptismatis purgarunt, antequam in castra Ecclesiæ inducerent. Et profecto (49) ex Israelitis nemo in hoc bello occubuit, ita nemo apostolorum, qui ad bellum in universo mundo gerendum emissi fuerant, defecit. Subsistit adhuc hodie hoc bellum ultiōnis de idolatria in remotissimis mundi partibus, sed etiam illud bellum subsistit, quod gerendum est pro obtinenda possessione terræ promissæ.

Sex fuere gentes, quas exterminare jussisti populo, ut terram, quam promisisti, acquireret. Chananæi nimirum, Hethæi, Amorrhæi, Pheresæi, Hevæi et Jebusæi. Septima Madianitæ, de quibus nonnisi ultiōnem sumere decuit, quia terram hujus non totam possedit populus. Hæc sex gentes autem sex capitalia peccata possunt designare, superbiam enim, septimum peccatum in hac vita extirpare nequimus de toto, sed de illa ultiō continua sumenda est per humilitatem. Sed sine extirpatione integra ceterorum peccatorum promissam nobis terram viventium possidere non possumus. Omnis fidelium multitudo obligatur ad gerendum hoc bellum in hoc sensu, nec bellantium numerus ad duodecim millia solummodo restringitur. Bellum, inquam, ultiōnis contra superbiam gerere oportet, quia per hanc a te summopere elongamur et omnem fornicationem spiritualem patramus. De hac, uti dixi, ultiō desumenda est per arma humilitatis, et omnis præda parta per ignem charitatis et aquam lacrimarum purificanda est, antequam offeratur tibi (56) ob obtentam victoriam. Quam quia tu, Deus, obtinere facis, tibi omnia offerenda sunt, quæ in nobis bona sunt, [151:] quia nonnisi per te bona

<sup>a</sup> -x in rasura

<sup>1</sup> Cf. Marc. 6.11.

sunt. Sit igitur tibi oblatum, quidquid boni dedisti et quidquid in me purificando te dignum effecerit charitas.

Da,<sup>a</sup> quæso, ad bella gerenda humilitatem, auge ad purificandum charitatem, ut de me ultionem desumens extirpam illa in me, sine quorum extirpatione promisam mihi ex gratia tua terram possidere nequeo!

#### SUPER CAPUT 32.

Da,<sup>b</sup> o Domine, eloqui mirabilia tua, quæ dignatus es dare cognoscere! Debellarerat devictis Sehon, Og et Basan populus gentem Amorrhæorum, quam in hereditatem promiseras illi. Ecce, primi Ruben, Gad et Manasse hanc terram habitandam petunt a te. Propheta fuit Moyses, nec tamen statim cognovit, nec discernere potuit spiritum hanc terram potentium. Sed segnitiei arguens illos enumeret prævarications patrum illorum, propter quas tanto tempore circumducti fuerant in solitudine. Sed postquam edocutus fuisset de intentione harum tribuum, præcipit Josue et Eleazar, ut si obligationi assumptæ satisfecerint, petitam terram darent illis inhabitandam. Sed nec te superinde consuluit, Domine, quamvis jam Moysi dixeris Josue sorte divisurum inter populum terram, quam promiseras.

Hinc oritur inter Scripturarum interpretes quæstio, num terra, quam petierunt, fuerit pars terræ promissæ, quam Moysen non intraturum edixeras. Et sunt, qui concludunt in promissione tua non fuisse comprehensam hanc terram ex eo, quod Moyses illam intraverit. Sed quia bonitas tua in meditationibus meis supra Genesim quædam referre permisit, quæ hic combinanda sunt, me denuo ad illa revocare dignatur, et ecce, cum jucunditate video, quam miro ordine procedant mirabilia tua. Unde imprimis considerans jam in prima missione Moysis ad populum te promisisse, Domine, terram Amorrhæorum filiis Israel in hereditatem, [152:] dubitare nequeo hanc terram petitam Sehon regis Amorrhæorum et reliquorum regum gentis hujus omnino partem fuisse hereditatis filiorum Israel. Sed sub diverso respectu debere considerari terras cis et trans Jordanem sitas, prout te adjuvante ex combinatione illorum, quæ supra Genesim rettuleram, mox apparebit. Filii Ruben, primogeniti Jacob ex Lya, filii Gad, primogeniti ex Zelpha petunt et obtinent hanc terram cis Jordanem. Dimidiæ parti autem Manasse, primogeniti Joseph ipse Moyses dat regnum Sehon, regis Amorrhæorum, quamvis non petierint.

Memini, Domine, me protulisse generationem Lya (figuræ veteris testamenti) figurasse electos tuos ante divisionem regni Judæ et Israel viventes, generationem Zelphæ designasse regnum Israel adulteros et fornicatores, prout Manasses, quamvis primogenitus Joseph, a patre tamen Jacob in benedictione Ephraim postpositus figuravit filios circumcisionis, qui in postremis Synagogæ temporibus magis dignoscebantur per hoc signum extrinsecum filiorum legis in circumcisione statuentes justitiam tuam, quam ex observantia mandatorum tuorum. Et profecto ex his fuerunt primi, qui in Ecclesia tua tamquam terra promissa adhuc temporibus prædicationis Filii tui partem acquisiverunt, quia discipuli ejus facti sunt. Sed prius Jordanem transire et primi pugnare debuerunt,

<sup>a</sup> da sc. mihi (cf. Ms. fr.: donnez moy)

<sup>b</sup> da sc. mihi

antequam possessio daretur illis. Quamvis enim hi Abrahæ et promissionis filii primi vocati et ad illos præprimis Christus missus fuerit, Ephraim tamen adoptivus filius Jacob ex Joseph (gentium Ecclesiam designans) primogenituram obtinuit, in Ecclesiam tamen gentes nonnisi post ascensionem Christi et consummatum omne opus redemptio-nis intrarunt. Et in hoc sensu Jordanem transeuntes (seu in sanguine Christi baptisati) possessionem obtinuerunt, sed illi per Manassen designati circumcisionis filii seu ex Synagoga facti Christiani per dimidiam partem tribus Manasse (quæ cis Jordanem locata fuerat), [153:] qui vero post peractum opus redemptionis per prædicationem discipulorum conversi sunt, per alteram partem tribus Manasse, quæ trans Jordanem possessionem recepit, figurantur. Hos enim illi pugnantes præcesserunt, introduxerunt et, prout dixi, hi et illi Jordanem totam Ecclesiam militantem post completum opus passionis et redemptionis designavit. Prout enim omnibus electis tuis, Domine, ab origine mundi eadem terra viventium destinata fuit et in virtute hujus electionis ex captivitate eliberati transierunt Mare Rubrum, illi tamen, qui primi cis Jordanem terram obtinuerunt, non prius habitare coeperunt, nisi postquam etiam ipsi Jordanem transeuntes et circumcisi fratres suos in possessionem suam induxisserint, revera taliter omnes animæ justorum plenitudinem redemptionis suæ per sanguinem Christi adeptæ intrarunt in possessionem hereditatis suæ, postquam in illam virtualiter totum genus huma-num, sed singulariter filii Abrahæ spirituales introducti fuerunt, quos hæ justorum animæ (cum Christo post resurrectionem hujus Jordanem figurative transeuntes) præcesserunt, et terræ viventium perfectam possessionem obtinuerunt. (21) Postquam ni-mirum subvertisset Dominus noster, Filius tuus omnes inimicos suos (22) et subjcicere-tur illi omnium terra, tunc obtinuerunt regionem, quas voluerunt coram Dominino.

Hæc sunt, Domine, quæ te adjuvante in hoc capite credo figurativa esse, reliqua tamquam historica respicit mea debilitas. Hæc demonstrat mihi, quomodo omnis populus ejusdem terræ possessor fieri nequierit, antequam Jordanem transiisset, quamvis pars populi citius videatur obtinuisse partem hereditatis suæ. Moyses veteris legis lator seu lex ipsa hanc possessionem designavit, sed in illam Jesu Christi glorificati figura introduxit.

[154:] Adoro itaque in omni humilitate cordis mei tanta mirabilia tua, Domine, quæ mihi ex combinatione Scripturarum tuarum manifestas. Num autem ad captum aliorum eloqui dederis, ignoro. Sed siquidem a te, non autem a debilitate expressio-num mearum est omnis intelligentia, spirabit, ubi vult, Spiritus tuus,<sup>1</sup> et me quoque clarius intelliget illa, quæ scripsi, cui intelligere dederis. Dum igitur calamus meus connotat magnalia tua, da, ut cor<sup>a</sup> ferventius diligit illa, et ut mea fructuosior sit cognitio, fac, ut illam indesinenter comitetur dilectio!

#### SUPER CAPUT 33.

Respic, quæso, Domine, silentium ignorantiae meæ! Ecce enim, nihil scio pro-ferre super hoc caput, in quo stationes populi ab exitu suo ex Ægypto usque ad Jordanem connotatæ sunt. Dicamne hæc relata esse, ut noscamus labores et fatigia, ad quæ condemnatus fuerat populus, ut tam exiguum spatium terræ, quod illi recta

<sup>a</sup> cor sc. meum (cf. Ms. fr.: *mon cœur*)

<sup>1</sup> Cf. Ioan. 3,8.

via transeundum fuisse, quadraginta annis circumire potius, quam transire? Quadraginta fuerant stationes ejus et hic denuo mysticus iste numerus occurrit, de quo necdum plura dicere possum, quam quæ rettuli.

Sunt tamen hæ amplæ spiritualium reflexionum materiæ, hujus enim peregrinationis diuturnitas (secundum me sapientiorum explicationem) ad tædiosam moram peregrinationis nostræ super terram præclare refertur, in qua miser ego tot murmura et prævaricationes commisi, tot sepulchra concupiscentiæ, in quibus sepelivi animam meam, repperi, ad tot aquas contradictionis, in quibus te non glorificavi, stationes fixi et flagella tua promeritus sum. Et hæ omnes gratia tua succurrente, revocato de his dolore essent mihi utiles reflexiones et gemituum causæ, sed connexiones non reperirent cum veritatibus generalibus, quas hactenus dignatus es manifestare mihi. Non inhæreo igitur his, quin petere cessem lumen misericordiæ tuæ etiam ad continuandam narrationem [155:] magnium tuorum.

Doce me itaque, Domine, quæ placita sunt tibi! Da auditum auribus, da verbum ori meo! Sed quid quæro alias veritates, quam illas, quæ ipsam peregrinantem et militarem Ecclesiam tuam respiciunt, cum in hac omnia realiter apparent, quæ in populo tuo illo carnali pariter realiter figurata repræsentantur? Ambulat Ecclesia tua in solitudine mundi hujus, et in filiis suis omnia fieri gemebunde videt, quæ Moyses et Aaron toties repræhendebant in carnali populo. Exsurgunt contra illam carnalia et mundana sectantes filii et jam de vitæ spiritualis laboribus conqueruntur, jam panem levissimum spiritualis vitæ nauseant, cepas.<sup>a</sup> poros et allia Ægypti desiderantes. Et quot fuerunt suntque de doctoribus eorum visibilibus, qui sicut Moyses et Aaron, non præstant tibi, Domine, in operibus suis gloriam et coram populo non glorificant te!<sup>b</sup> Docent enim recte, sed non faciunt, quæ dicunt, exeunt, prout Moyses et Aaron cum virga verbi tui, percutiunt petram cordis aliorum, sed ipsimet deficiunt seu in fine seu in agendo conformiter mandatis tuis, prout Moysen et Aaron fecisse observavi.

Sic ducitur populus tuus spiritualis a ductoribus suis visibilibus usque ad Jordarem, quem transire Josue facit. Et quid hic transitus, nisi separatio animæ a corpore respectu cuiuslibet individui? Sed respectu totius Ecclesiæ respicit magnum illum transitum corporum ex mortalitate ad immortalitatem. Sed quia hæc posteriores explicationes non hujus loci sunt, ideo prætero illas, ut me in limitibus hujus capitis contineam. Est enim considerandus mihi etiam ille transitus populi spiritualis, per quem ex vita et peregrinatione vitæ carnalis transitur ad vitam spiritualem et ad possessionem bonorum spiritualium, ex quibus consistit terra promissionis et viventium in Ecclesia militanti. Et in hoc sensu quoque ductores nostri visibles solummodo usque ad Jordanis ripas (ad pœnitentiæ nempe lacrimas) ducent nos, sed divinis Josue noster transire facit de ripa peregrinationis et aberrationis nostræ ad ripam [156:] [pœnitentiæ]<sup>c</sup> bonorum spiritualium. Hinc transeuntes pœnitentiæ Jordanem (51) et intrantes hanc terram melle et lacte prædictorum bonorum fluentem quid facimus? Transimus ab exteriori nostro ad interiora et hujus interioris terræ nostræ habitatores disperdere (52), titulos cupiditatis configere, statua amoris proprii comminuere atque omnia excelsa vanæ gloriæ vastare debemus (mundantes terram cor-

<sup>a</sup> Correxit c- ex s-

<sup>b</sup> Correxit glorificant te fortasse ex glorificante

<sup>c</sup> Delevit pœnitentiæ

tus es perducere ad meditationem ultimi capituli Numeri, in quo Ecclesiæ militantis regimen regale Christi, Filii tui in Moyse, sacerdotale in Aaron figurari ad initium rettuli. Datum est caput visibile militanti Ecclesiæ in spiritualibus in summo sacerdote Romano pontifice, datum est caput in temporalibus in vicaria potestate regum et principum, qui portantes gladium justitiae tuæ in conductu vitæ uniri deberent et per unionem spirituum unum caput efficere cum capite spirituali in spiritu et veritate, quam<sup>a</sup> unionem unio carnalis Moysis cum fratre Aaron designavit et conductus vitæ utriusque normam vitæ et gubernii exhibuit usque ad lapsum illorum, qui humanæ [164:] condicionis fragilitatem demonstrans non Christum figuravit, sed disparitatem legislatorum manifestavit.

Præterit debilitas intellectus mei eventum filiarum Saalphad in cap. 27. considerare tamquam mysterium, sed ecce, bonitas tua, Domine, dignatur me reducere ad combinationem illorum, quæ de filiis Manasse jam rettuli. Quodsi enim illos considero tamquam figuram Synagogæ postremorum temporum, in cuius filiis (a potiori consideratis) nonnisi signum externum circumcisionis remanserat, dicam filias Saalphad specialiter figurasse illos, qui ex prædicta Synagoga doctrinam Christi, Filii tui amplexi sunt, in quibus defecit quodammodo circumcisione, quia nihil ipsis profuit, sed semen verbi tui in illis suscitari debuit, hereditatem tamen promissionis lex ipsis contulit promittendo, quæ hereditas ne amplius confunderetur cum reliquis tribubus (seu ne hereditas spiritualis cum hereditate bonorum terrestrium miretur), in hoc postremo capite lex litteralis legem spiritualem figurans hanc commixtionem vetat et semen patris in propria tribu suscitare jubet. Sed quæ fuit propria hæc tribus illorum, qui fidem receperunt? Profecto illi, qui ex aqua et Spiritu Sancto renati<sup>1</sup> tribus tua facti sunt per adoptionem, et profecto ii sunt, qui hereditatem spiritualem retinuerunt. Hinc deducit Scriptura (1) genealogiam familiarum Galad usque ad Joseph, quem promogenitum legis novæ figurasse dixi super Genesim. Hinc fuit stirps successionis, hujus primogenitus fuit Manasses, sed loco illius Ephraim te, Domine, Jacob inspirante vocatus est, qui gentilium figuravit Ecclesiam adinstar filiorum Ephraim per benedictionem veri Jacob multiplicandam. Horum autem uterque Ephraim scilicet et Manasses nonnisi per vocationem patris, non autem jure generationis constituerunt particulares tribus, quia prout jam super Genesim dixisse memini, Joseph sub [165:] proprio nomine temporalem hereditatem non debuit obtainere, quia figura illius fuit, cuius regnum non est de hoc mundo.<sup>2</sup> Sed sub nomine filiorum oportuit illum acquirere hereditatem terrestrem, prout factum fuit in Ephraim et Manasse. Ex hoc igitur consequenti hic eventus filiorum Saalphad in stirpe Joseph ex Manasse figurat prædictam veritatem, quia in his filiabus (sicut dixi, figuraliter sumptis) defecit circumcisione, tamquam semen, ex quo generabantur filii Abraham carnales, non defecit autem in filiis Ephraim semen Joseph, quia designabant gentiles, qui prout Ephraim, ad primogenituram ex gratia vocati sunt, non ex ratione genituræ.

Occasione filiarum Saalphad statuitur igitur lex, de qua hic agitur, (9) ne sibi misceantur tribus, sed ita maneant, (10) ut a Domino separatae sunt. Ut nimirum qui circumcisionem recipiunt, non proposit illis Christus, et qui hunc sequuntur, non cir-

<sup>a</sup> Correxit *quam ex quod?*

<sup>1</sup> Cf. Ioan. 3,5.

<sup>2</sup> Cf. Ioan. 18,36.

cumcidant carneū suam, sed cor suum. Et fecerunt, prout fuerat imperatum (discipuli conversi ad gentes) et resuscitarent semen (verbi tui, Domine) in generatione vocata stirpis veri Joseph, primogeniti Rachel seu novæ legis. (13) Hæc sunt manda-ta atque judicia, quæ mandavit Dominus per manum Moysis in campestribus Moab supra Jordanem contra Jericho. Mittens nimirum verus Moyses, legislator noster, Christus discipulos suos in universam terram ad inducendum populum suum ab æterno electum in Ecclesiam tamquam terram promissionis, qui per baptismum prius Jordanem transire debuerant (contra Jericho, quæ idolatriam figuravit) prout te adjuvante suo loco hanc veritatem dilucidabo.

Nec his amplius restat, o Domine, quam ut in omni humilitate cordis mei ad te referam, quæ in his, quæ protuli, tua sunt tamquam gratuitæ misericordiæ tuæ dona, quibus [166:] paupertatem meam ditare dignatus es. Dignum esset, Domine, ut te deprecarer de defectibus, tepiditatibus et dissipationibus meis, inter quas hæc conscripsi. Sed cui enarrarem hæc? Tibi profecto, qui plasmator meus es, renes et cor meum scrutaris et hujus secretas plicas me melius nosti. Eruisti, Domine, ex illis contrariandi, dissentendi et proprio spiritui inhærendi malitiam, sed neicum dissipasti condicionis meæ naturalem ignorantiam, quæ falsa veris miscere potuit, hoc tamen facere non voluit. Detestor itaque illa, hæc amplectens in omni possibili adhæsione veritati tuæ, quam in doctrina Ecclesiæ tuæ sanctæ, unius, catholicæ et apostolicæ manifestare dignatus es mihi.

Tu scis, Domine, me non altum sapere, non supra me ambulare, non denique his, quæ scripsi, alios docere velle, sed pro nutrimento fidei propriæ, pro confirmatione interna veritatis in corde meo contemplando conscripsisse et scripta conservare, ut ex illis, quæ bona sunt, sit tibi soli, Deus, honor et gloria in sæcula sæculorum. Amen!

## [1:] CONTINUATIO MEDITATIONUM IN FORMA SOLILOQUIORUM SUPER LIBRUM DEUTERONOMII

### SUPER CAPUT 1.

Revertor, Domine, in omni humilitate cordis mei ad petendam escam a te et manducandam in conspectu tuo, quam dare dignatus fueris mihi. Jejunet, quæso, corpus<sup>a</sup> te præcipiente per Ecclesiam, sed noli, Domine, jejunam relinquere animam,<sup>b</sup> ne deficiat in via peregrinationis sue! Dicit me bonitas tua ad novum convivium, in quo veterem ciborum substantiam, differenter tamen conditam præponere dignaris manducandam; liber enim Deuteronomii seu Secundæ Legis veritates in præcedentibus libris scriptas continet, et illas repetendo populo carnali inculcat Moyses, fidelis ille servus domus tuæ, antequam te jubente moreretur. Suaviter canere dicitur cygnus morti vicinus, et hoc præstat Moyses enarrando magnalia tua, Deus. Et quia ex abundantia cordis os loquitur,<sup>1</sup> sæpe relata repetit, ut tantas veritates sculpat in memoria. Novit cor populi lapideum, in quod iterate ferreo stylo verbi sui cælat, ut profundiora lineamenta remaneant aut certe opere cælato expressa verba ceteris omnibus emineant, ne obliterentur.

Inquirit humanus intellectus, cur jam in præcedentibus libris scriptis legibus tuis, Domine, quæ in Deuteronomio referuntur, quodammodo superscribere oportuerit. Quodsi enim primi libri legis scripti non fuissent, ad nos pervenire non potuissent. Quodsi autem illos Moyses scripsit, cur in secunda lege [2:] denuo descriptis? Et hac quæstione dubitationis assumit argumentum, num hic liber Deuteronomii ab ipsomet Moyse conscriptus fuerit, sed in hoc modo agendi Moysis quoque te illuminante profundam veritatis figuram latere reperio, quæ correspondet operibus Christi, Filii tui, legislatoris nostri. Quamvis enim iste apostolos suos docuerit, illis et universitati fidelium Spiritum dederit et miserit, qui legem suam cordibus inscriberet et doceret omnia. Quamvis, inquam, se cum Ecclesia sua usque ad consummationem sæculi mansurum promiserit,<sup>2</sup> illa tamen, quæ fecit et quæ docuit, per evangelistas suos scripta ad nos pervenire misericorditer voluit, ut hominem spiritualem et corporeum et Spiritus doceret et littera. Proinde hujus duplicitis legis figuram dicam esse legem a Moyse duplicitate scriptam, in qua primo verba tua, Deus, prout a te sibi dicta connotavit, et demum illa tamquam legislator reliquit populo, qui in deserto quodammodo renatus magnalia tua non viderat nec verba tua audiverat. Et profecto etiam respectu legis novæ taliter actum fuisse reperio in consideratione illorum, qui in nascentis Ecclesiæ primordiis visibiliter et sensibiliter descendente super se Spiritum viderunt et illorum, qui illa, quæ Christus fecit et docuit, invisibili Spiritu docente ex Evangelii littera didicerunt.

Scripsit igitur priora Moyses, dum vidit et a te, Deus, sicut amicus ab amico audivit. Hic autem in Deuteronomio, quæ vidit et audivit, annuntiat, prout Joannes,

<sup>ab</sup> *Corpus sc. meum, animam sc. meam*

<sup>1</sup> Ex....: Matth. 12,34.

<sup>2</sup> Cf. Matth. 28,20.

dilectus evangelista annuntiat veritatem, quam non tantum audivisse, vidisse, sed et palpasseretur testatur.<sup>1</sup> Sileant igitur suggestiones intellectus mei in perquirendo, cur lex tua, Domine, bis fuerit scripta a Moyse, et subjiciat se tam misericordi ordinationi sapientiae tuae adorans magnalia tua!

Ecce itaque, Domine, te adjuvante accedo ad ruminanda et masticanda illa, quae in praecedentibus ori cordis mei manducanda exposueras. Auge, Domine, famem meam, quam gustus optimum condimentum esse ipsa sensualitatis misera experientia docet, nam fame condita fercula convertuntur in substantiam et sine fame proposita obsonia delibentur tamquam plus delectationis, [3:] quam nutrimenti afferentia. Diligam te, Domine, veritatem, et dum hanc dilexero, repetita semper plus placebit, nec umquam hoc ferculum tam vetus et tam novum nauseam pariet, quia numquam tam antiquum, quin novum appareat profunditati ignorantiae meae, nec umquam tam novum, quin antiquum esse representetur te, Domine, intellectum illuminante et dispellente tenebras meas. Sed famis quoque ea est proprietas, ut vetusta fercula renovato gusto manducare faciat. Quae est autem veritatis manducatio, nisi hujus suavis ferculi dilectio? Da igitur dilectionem, Domine, et famem dabis veritatis verbi tui. Da hanc famem, et dabis dilectionem, ut quod te proponente manducavero, adhæreat mihi et ego illi tamquam conversum in substantiam vitae meae nimis miserae sine hoc nutrimento, sed in sua miseria plusquam felicis cum hoc edulio. Nutri me, Domine, hoc sancto Quadragesimalis jejunii tempore, omni illo, quod procedit ab ore tuo,<sup>2</sup> ut pinguecat macilenta anima! Haec, inquam, nutritur esuriente corpore, quia verum corporis jejunitum est animae suave convivium.

Nescio, Domine, num primi versiculi hujus primi capitinis usque ad sextum huic libro Deuteronomii annexi non sint ab illis, qui postremo hujus libri capiti (per relationem mortis Moysis) ibi epilogum, hic prologum adjungere potuerunt. Seu enim haec additio Josue seu Eliezero attribuatur, nihil derogabit veritati et antiquitati. Sed prout ibi circumstantias mortis legislatoris describere, ita ad initium hujus libri tempus et locum publicationis hujus repetitae legis ad exordium statim inserere rationi et veritati consonum fuisse videtur. De reliquo hunc librum ab illa antiquitate remansisse, non autem ab Esdra conscriptum fuisse ipsi annales Samaritanorum confirmant, qui Deuteronomium tamquam quinque librorum a Moyse conscriptorum partem conservarunt et pro lege seu thora habuerunt. Unde videtur praecedentia Moysen quodammodo per formam diarii rettulisse, dum tu, Deus, loquebaris illo connotans: Dixit Dominus ad Moysen etc. Hic vero jam populo valedicturus dicta tua, Domine, tamquam a se narrata [4:] in volumen legis rettulisse et ut hoc clarius appareat, quodammodo necessarium fuisse, ut praememorati versiculi per modum prologi adjungerentur.

Incipit proinde narrationem suam Moyses (6) referens verba tua, Domine, quae in praecedentibus libris non connotaverat, quia ad legem non spectabant. Hinc tamquam praæambulum historicum legis affert cum subsequentibus eventibus, quae per formam repetitionis enarravit populo, qui illos non viderat, narratione autem sua confirmans illa, quae populus a patribus suis audivisse potuit. Confirmor proinde in supra allata opinione, quod nimur illa, quae in praecedentibus libris conscripta sunt, velut pro spiritu legis debeat considerari respectu illorum, quae hic repetuntur.

<sup>1</sup> Cf. I Ioan. 1.1.

<sup>2</sup> Cf. Matth. 4.4.

Præcedentia in arca et in archivis populi fuerant conservata, hæc autem tamquam lex publica aut ut ita dicam, usualis præ manibus magistratum et demum (prout ipse Moyses mox præcipiet) regum semper in promptu esse debuit pro ferendis judiciis. Propterea Moyses recensens historica et hæc (ut ita dicam) legi immiscens præbet veritati testimonium, ut tibi, Deus, ex illis et ex lege reddatur gloria, quam sibi nullo modo vindicare cupiens ipsem Moyses refert omnia ad te, fontem omnis veritatis, cui soli debetur laus et magnificatio.

Sed et aliunde non tantum illa debent haberi pro lege, quæ dixisti, Domine, sed et illa, quæ tu, o veritas æterna, fecisti, in quantum miseriae nostræ imitabilia sunt. Vere loquelam te solo dignam refert Moyses: (7) Revertimini et venite etc. Non enim alteri, nisi tibi, qui omnia reples, competit hæc expressio. Præsens enim fuisti, dum Moysi loquereris, et tamen dicis: Revertimini et venite, quia etiam ibi eras, quo ire jusseras. Et quia vere progredi est ad te reverti, hinc dicis: Revertimini! Relinquo me sapientioribus conciliare (9) cum illis, quæ Exodi cap. 18. referuntur, ubi dicitur constitutionem tribunorum, centurionum etc. Moysen ex consilio Jethro, socii sui fecisse, antequam ad Montem Horeb pervenisset populus. Hic vero innuitur has institutiones factas fuisse in regressu a monte.

Tales enim quæstiones sunt plerumque aut curiositatis aut dubitationis, nisi tractentur ab illis, qui ad docendum [5:] et ad interpretandum vocantur a te, Domine. His competit textus originales examinare, versiones cum his combinare, ne ex contrarietatum apparentia detur incredulis obloquendi occasio. Sed siquidem mihi fidem dare dignatus es, quid prodest mihi scire, quando sint facta hæc, quæ bona, salutaria et populo utilia fuisse ex ipsamet institutione agnosco. Nam hæc, quæ (10. 11. 12. 13. 14. 15) proferuntur, possunt referri etiam ad caput undecimum Numerorum, ubi te, Domine, instituente facta est electio 70 virorum de Israel, quos repleversti spiritu sapientiæ ad judicandum. Ad Moysen mandaveras, Domine, hos seligere, sed vir ille mitissimus procul dubio taliter processit in hac electione, prout in præcitatibus versibus recensuit. Hic modus agendi conveniebat mansuetudini suæ et fidelitati erga te, qua ductus non tantummodo suæ prudentiæ suggestionem secutus est, sed et populi sensum et opinionem exquisivit, ne se in electione magistratum per externam personarum et experientiæ apparentiam falleret.

Tales petit itaque a populo, qui essent viri sapientes et gnari, quorum conversatio sit probata in tribubus, ut poneret eos principes. Et profecto tres qualitates essentiales magistratus et judicis paucis verbis specificantur hic, et hæc verba attenta ruminatione digna sunt. Moyses, cui supremam autoritatem ad ducendum populum dederas, quem spiritu tuo repleveras, legislatorem statueras, cui tanta portenta patrandi virtutem dederas, agnoscit coram populo se non posse solum sustinere illum. Ipse, inquam, Moyses petit a populo (non obtrudit, non nominat ex proprio sensu, favore, consideratione vel autoritate) viros sapientes, gnaros et probatae conversationis in tribubus.

Discite, o principes, ex his, quomodo procedere debeatis in electione magistratum, quos vere non sufficit esse tantum sapientes et gnaros, sed oportet esse probatae conversationis. Non enim vultus compositique gestus et gressus, non ponderata verba et rariloquium semper sunt argumenta sapientiæ et scientiæ, sed probata conversatione in tribubus seu conversatio inter homines notos et familiares, in qua constitit omnis probatio hominis, cui si nec linguae hominum, cum quibus conversatur, [6:] obloqui possunt, quis illi derogare poterit? Probata conversatione monstrat fidelitatem.

tatem in operibus, veritatem in sermone, affabilitatem in modo agendi, et his prædictis homo si sapiens et gnarus fuerit, quis illo meliorem magistratum reperiet? Profecto, inquam, nullo meliori modo probantur homines, quam in conversationibus sibi similium, prout Scriptura dicit: in tribubus; in conspectu enim majorum se plerumque componunt et metuunt, in oculis minorum magni apparent, timeri et admirari solent, sed in oculis æqualium occasione familiarium conversationum semper larvati manere nequeunt, sed plerumque nudi apparent. Hinc si princeps (prout Moyses) semper præcise bonum publicum respiceret, sæpe æqualis condicionis auctorum aut magistratum selecto numero diceret: Date ex vobis!

Differens enim est hæc expressio a petitione consilii, quia nemo in præsentia multorum libenter loquitur de alio, raro sincere et realiter *<lo><sup>a</sup>* in privato quoque suum sensum exponit. Boni temeraria judicia metuunt, dum de proximo agitur. Mali obloqui et obtrectare nihilis ducunt a privata invidia aut inimicitia incitati. Hinc fit, quod nihil sit difficilis principi, quam homines cognoscere. Hæc evitavit Moyses dicens ad populum: Date ex vobis! Plerumque enim illi, qui ex unanimi consensu pluralitatis dantur, apti reperiuntur. Sed multa sunt humanae prudentiæ dictamina, per quæ opponit se principum politica huic salutari modo procedendi in electionibus magistratum. Principes enim, qui voluntatem suam pro lege haberi volunt, cæcam complacentiam ceteris dotibus præferunt. Complacentiam dico, quia oboedientiæ nomen profanare crederem, si illis, quæ contra justitiam et receptas leges ex mandato principum fiunt, oboedientiæ nomen attribuerem. Hæc enim virtus est, complacencia plerumque vitiosa est, quia fundatur in amore proprio, quia complacencia, quæ ex charitate procedere potest, in stricto sensu justitia est, qua dictante aliis complacere tenemur.

(15) Tulit proinde Moyses populo dante viros sapientes et nobiles, et constituit eos principes, tribunos etc. (16) dans præcepta eis dicens, quia judicium populi judicium Dei est, in quantum justitiæ [7:] administratio in terris fundatur in suprema justitia tua, Deus. Propterea, ut Moyses obligationi suæ omni modo satisfaciat, res difficiles ad se referri mandat. Pro lege reputari debet itaque instructio, quam Moyses in hoc versu dat judicibus, ne illam distantiam personarum faciant inter magnum et parvum, ne cujusquam personam accipiant seu considerent, sed justitiam causæ. Hæc enim primæ regulæ loco debent haberi in judiciis, quæ tua sunt, Deus, in cuius conspectu omnis homo æqualis est.

Rettulit Moyses Numerorum cap. 13. v. 2. 3. te, Domine, mandasse, ut ad explorandam terram homines ex qualibet tribu ex princibus mitteret. (22) Hic tamen refert populum accessisse ad illum et hoc consilium proposuisse. Manifestat se in his Moysis mansuetudo, qua ductus, ut nullum sibi dominium super populum tuum, Deus, attribuere videretur, etiam mandatum tuum sibi datum ad populum rettulerat dicens: (20) Ite, vide<sup>b</sup> terram, quam Dominus Deus tuus dat tibi. Vox proinde populi dicentis: Mittamus viros, qui considerent terram etc., vox tua fuit, Domine, quam prævie dixeras ad Moysen, et hanc procul dubio Moyses secutus fuisset, etiamsi in populo contrariaim dispositionem repperisset. Sed tu, Deus, qui corda hominum diriges, quo vis, dedisti vocem tuam etiam in os populi, (23) et ideo placuit sermo ejus etiam Moysi.

<sup>a</sup> Delevit *lo*

<sup>b</sup> Post *vide* rasura duarum litterarum (*te?*)

Quam suave est gubernium populi, cuius ductor a mansuetudine regitur, nam hujus virtutis proprietas est etiam bonum potius suadendo, quam imperando propone reservata auctoritate ad illud sequendum, compellere ex justitia, qui sanas propositiones sequi recusant. Hic est modus, quem bonitas tua observat, Deus, in regendo homine, cui liberam voluntatem dare dignatus es. Ex hac misericordi bonitate nec ad ipsum bonum faciendum cogit nos tua omnipotentia, sed allicit, ducit et juvat efficaciter. Hinc videtur primam gratiam tuam esse respectu salutis, quæ nos bonum agnoscere facit, secundam, quæ facere suadet, sed salutem nostram efficaciter operari illam, quæ velle et posse dat facere, quod suades. Sed nec hæc agit potentiae tuæ violenta coactio, sed bonitatis tuæ misericors, fortis tamen tractio et per hanc voluntatis nostræ semper libera cooperatio. Hoc admirabili modo ducebas per Moysen populum, quem per hunc vicarium tuum ad ipsa verba tua, quæ ad illum dixeras, sequenda disponis.

Sed ex sequentibus verbis narrationis Moysis apparat, [8:] quomodo populus ille carnalis præferens spiritus humani suggestiones et prudentiae suæ dictamina defecerit in promissionibus tuis habenda confidentia. Sed (37) dicente Scriptura: Nec miranda indignatio in populum, cum ipsi quoque Moysi iratus propter populum dixeris: Nec tu ingredieris illuc. Haeret profecto, et fortiter haerere sentio imbecillitatem meam, nec scio, quid dicere debeam de hoc textu, qui cum sequentibus combinatus innuit, ac si jam tunc (dum populus redeuntibus exploratoribus murmurasset) edixisses hanc sententiam tuam Moysi, antequam scilicet in cap. 20. Numer. relatum delictum incurrisset cum Aaron occasione eductionis aquæ de petra. Loquere igitur mihi, Domine, si placitum est tibi, et fac, ut audiam te loquentem! Nescio enim, num ex horum combinatione dici nequeat continuas murmurations populi produxisse in interioribus Moysis tedium aliquod laboris, propter quod promeritus est, ut illum sibimet ipsi traderes, dum deliquit, et propterea hoc dictum tuum necdum sententia, sed prædictio fuit futuri eventus et incredulitatis aut infidelitatis in non exacte observando mando tuo, propter quod dum deliquit, subsequentem sententiam promeritus est. Sic fuerat factum cum Petro, cui negationem et lapsum Filius tuus prædixerat, quem futurum prævidit, Petrum tamen ad peccandum non coegit. Sed nec hic tua, Deus, Moysi facta prædictio fuit illi ad peccandum occasio, sed fors illius interne fluctuantis dispositio fuit prædictionis occasio, quam hic Moyses in humilitatis simplicitate confitetur coram populo, ut det gloriam justitiae judiciorum tuorum, ex quibus ipsum et fratrem suum deviare permisisti seu a firmitate fidei sue ab intelligentia mandati tui, prout ego rettuli.

Refert hæc Moyses de se recensendo populo, quæ facta fuerunt, sed illa, quæ se respiciebant in libro Numerorum, non rettulit, quia ibi solummodo verba tua connovavit exprobrans in sequentibus præsumptuosam superbiam populi, qua ductus et inimicos suos aggressus, cæsus et humiliatus fuit (45) reversusque ploravit coram te, sed tu, Domine, non audivisti nec voci ejus acquievisti, quia ut peregrinaretur, juste condemnaveras illum, ut appareat et justitiam et misericordiam tuam sua habere tempora et te hanc et illam exercere secundum decreta voluntatis tuæ. Quid potuit salubrius esse pro populo harum veritatum [9:] iterata enarratione, qui quamvis hæc vidisse potuerit (cum nonnisi illi fuerint mortui, qui ad montem connumerati fuerunt), tunc tamen, dum hæc contigerant, parvuli existentes opera tua, Domine, nonnisi superficialiter viderant, pauci sciverant, multi oblivioni tradidisse poterant. Dat

igitur Moyses gloriam magnalibus tuis recensendo<sup>a</sup> illa. Præbet veritati testimonium, et sciens duritiem cordis populi contra illam applicat præservantia remedia. Sed nec aptiora reperire potuisset enarratione multifariorum beneficiorum tuorum, promissionum et fidelitatis tuæ in promissionibus tuis subjungens suis locis exempla justitiæ tuæ tam inexorabilis in exsecutione latæ sententiæ. Tantarum veritatum consideratio accedente lumine gratiæ tuæ per fidem est hodie dum suprema medicina pro emolliendis cordibus hominum, et propterea in eundem finem, in quem Moyses hæc scripsit et narrando et in secunda hac lege exarando repetiit, voluisti, Domine, ut nobis quoque constent per eundem populum conservata, quem Scripturarum tuarum conservatorem esse voluisti, ut coram justitia tua evaderet inexcusabilis et patratorum tuorum ignorantiam prætexere nequeat.

(46) Sederat populus multo tempore in Cadesbarne et hodie quoque sedet in cœitate sua. Cadesbarne enim sanctitas motionis vel mutationis electæ interpretatur. Unde ex horum combinatione (quæ cum hac relatione Moysis et cum nomine loci, in quo tamdiu<m><sup>b</sup> consederat populus, tam adæquate convenient) agnosco 40 annos peregrinationis (ad quam condemnati fuerant per sanctitatem mutationis electæ) figuratum seu mystice expressum fuisse annorum numerum cæcitatis populi hodie subsistentis, quibus completis transibunt Jordanem baptismatis ingressuri terram promissionis seu Ecclesiam.

Sed ego, Domine, qui non futurorum temporum cognitionem desidero a te, sed semper duraturarum veritatum dilectionem, non morabor in temporum calculationibus. Verum est, Domine, quod hunc calculum et has combinationes possem referre etiam ad peregrinationem populi electi sub lege, quæ peregrinatio cessavit per adimplensionem legis per Christum et per transitum Jordanis in sanguine ejus. Si enim quadragenarium numerum inquirio (si me non fallit memoria) reperitur in peregrinatione [10:] Moysis in Midian in primo et secundo jejuno ejus in diebus perlustrationis terræ promissæ per exploratores et tandem in condemnatione populi ad peregrinationem quadraginta annorum. Et taliter hic numerus in septimanas annorum redactus et toties (quinquies nimirum), quoties repetitur, multiplicatus dabit numerum 1400 ita, ut combinando diversas chronologistarum opiniones respectu temporis ab exitu populi usque ad nativitatem Christi fors reperiem aliquam combinationem, quæ corresponderet dictis meis.

Sed omnes hæc essent tantummodo verisimiliter speculationes, in quibus morari non est instituti mei, etiamsi pròdissent ad confirmanda illa, quæ jam ad hanc rem spectantia rettuli. Nam quæ scripsi vel scripturus sum, si a te sunt, Domine, per se vera sunt, si autem a me fuerint, non reddet illa vera mea combinatio. Non cupio enim docere, sed nutrire animam meam meditando. Producunt in me hunc effectum, quæ scribo, quia in sensu meo veritati doctrinæ et spiritui Ecclesiæ conformia esse firmiter credo. Et hoc sufficit mihi, qui non sum vocatus a te, Domine, ad docendum, sed invitor per apostolum tuum, Paulum ad quærendum consolationem in Scripturis.<sup>1</sup> Trahor a te, in quantum das gratiam progredi in illis. Unde sit tibi, Domine, iterata laus, honor et gloria in sæcula sæculorum!

<sup>a</sup> Corrixi *recensendo* (vel *recensens?*) ex *recenso*

<sup>b</sup> Delevit -m

<sup>1</sup> Cf. Rom. 15.4.

Legem dat, Domine, Moyses etiam recensendo facta et mirabilia tua, prout etiam evangelistæ non solummodo illa scripserunt, quæ Christus dixit et præcepit, sed etiam illa, quæ fecit. Legis loco habendum est attribuere ordinationi tuae omnes eventus vitæ nostræ. Et dum hanc veritatem Moyses exempla recensendo demonstrat, legem dat. Volebant etiam antea transire Sehir filii Israel, sed necdum adveniat tempus transitus, et propterea opposuerant se filii Esau filiis Jacob, quamvis illi his servire debuissent secundum benedictionem patris, prout long[u]o post<sup>a</sup> tempore sub David factum fuit. Sed, o Domine, quam primum tibi placuit dicere: (3) Sufficit vobis circumire montem istum, ite contra [11:] aquilonem, (4) timuerunt filii Esau filios Jacob, et transire permiserunt per fines suos. Sed unde hic timor filiorum Jacob, quibus antea tam animose denegarunt transitum, timore illorum nunc correpti filii Esau? A Domino est istud et est mirabile in oculis nostris.<sup>1</sup> Non fiunt similia per miracula, sed per secretas motiones cordis humani. Sufficerat permittere, ut agat motu proprio, ut superbiret et peregrinantibus in deserto fratribus nec quidem per vias publicas transire permetteret contemnens illos. Repressisti, Domine, hanc superbiā insonare faciens in auribus illorum omnia mirabilia, quæ patrabas in populo, et timuerunt habitatores Sehir transitumque concederunt filiis Jacob.

Hoc et illud egit cordis et humanæ prudentiæ instinctus differenti modo perculsus. Erat enim prudentiæ dictamen arcere a limitibus tam fortè exercitum, et eo magis consentaneum illi denegare transitum genti (ut ita dicam) sine patria vaganti per desertum et terram inhabitandam querenti. Nam omnia hæc argumenta suggerebant prudentiæ humanæ præcautionem, ne hunc populum occasione transitus in viscera regionis penetrare permetteret. Sed populus iste non recedens a finibus circumibat, et Deus illorum tam mirabilia patrabat inter illos, quæ cum audivissent, alias cautelas suggestit eadem prudentia repræsentans melius esse hunc populum in deserto artatum per necessitates vitæ pacifice permittere, ut transeat, quam violentæ invasioni occasionem dare et ad hanc invasionem tentandam continuando degenerationem transitus cogere exercitum tam fortè, cuius Deus tam potens est. Sic dirigis, o Deus, corda hominum per differentes representationes objectorum seu illuminando seu cæcitatí et tenebris naturalibus tradendo hominem. Et quia tam admirandum, secretum tamen et invisibilem modum tuum agendi populo tuo misericorditer manifestare et illum instruere voluisti, oportuit hæc per Moysen explicare illis, et hoc ipsum præstat enarrando, ut cognoscerent et peregrinationem tot annorum circumēundo montem Sehir et transitum per fines fratrum ex ordinatione tua subsecuta fuisset.

Ad hunc finem misericordiæ tuæ itaque tendunt omnia in hoc capite relata, quæ eventus filiorum Esau, Moab et Amon concernunt, omnes enim hi ex benigna dispositione tua stabiliti in [12:] possessionibus suis gigantes devicerant, disperserant et occiderant. Horum itaque eventuum narratio et retroactorum temporum recordatio fidem in te dare, spem in promissionibus tuis augere confirmareque poterat in cordibus filiorum Israel. Et ipsum mandatum quoque tuum, ne prænominatis gentibus violentiam inferrent, demonstravit fidelitatem tuam, cum hæc omnia feceris propter Isaac et Loth,

<sup>a</sup> Correxī longo ex longuo (ut Gallicismus?)

<sup>1</sup> A Domino...: Ps. 117, 23.

quorum filii et semen fuerant nationes, quas protegere decreveras propter patres illorum, prout Israel quoque ex hac ipsa ratione conservare dignabarit.

Ut igitur tibi pro tantis et tam mirabilibus misericordiae tuæ operibus præstetur gloria a populo et ut firmetur spes ejus in te, Moyses hæc enarravit et in volumen legis scripta pro nobis reliquit, ut consolationem habeamus in Scripturis meditantes, quanti ponderis sit coram te memoria justorum, propter quam extendis misericordiam tuam etiam super indignum semen illorum, prout Moabitæ, Ammonitæ et Iudæi fuerunt, qui a te recedentes cum diis alienis fornicati sunt.

Sed quid hoc mirabile, Domine, quod repræsentatur intellectui meo? Ecce, omnes hæc nationes deviarunt a te, nec amplius recordati tui finixerunt sibi deos, et tamen conservas illos in tranquilla possessione terræ, quam dedisti illis. Filii autem Israel, hereditas tua vix murmuraverunt, vix pro labore peregrinationis conquerebantur, tam severe castigabas eos? Mirabile est hoc in oculis hominis, sed misericordia tua illuminat meos, ut ex hoc adorando conductu tuo agnoscam, quomodo semper et castigaveris et temporaliter castigas illos, quos diligis,<sup>1</sup> et in bonis terrestribus tranquillos relinquis, quos odio habes. Absque captivitate et peregrinatione induxisti filios Loth et Esau in possessiones suas, te adjuvante devicerunt gigantes se longe fortiores, fornicati sunt cum diis alienis te rejicientes, tu tamen reliquisti illos et protexisti in possessione hereditatis, quam dederas illis, et sic receperunt mercedem suam, quia promissiones tuæ, quas fides Abrahami promerita est, in Isaac, filio promissionis adimplendæ erant, et per benedictionem hujus translatæ sunt ab Esau in Jacob.

Transiit memoria illorum, quorum promissio terrestris fuerat, et ex hac [13:] ipsa ratione tranquillam conservationem exigebant<sup>a</sup> ex consequenti decreti tui. Sed hodie quoque subsistit semen Israel tam spiritale in terris peregrinans, tam vere carnale in dispersione gentis Judæorum conservatum, quia horum promissiones non nisi figurativæ fuerunt et in genuino sensu spirituali necdum de toto adimplentæ sunt. Manifestatur justitia tua coram facie universæ terræ in prædicto semine carnali Jacob, quod conservat tua providentia. Patet tua misericordia in semine Jacob spirituali, quod vocasti et adoptasti tibi in populum, ut lauderis et glorificeris in his et in illis propter tam fidem et tam exactam impletionem promissionum tuarum. Quis non agnoscet igitur ex horum consideratione misericordem modum tuum agendi, dum affligis et castigas, ne terrenis adhæreamus, sed per hæc ad te tantummodo transeamus.

Tam profundæ sunt, ecce, veritates, quas nobis in hac secunda lege te disponente Moyses scriptas reliquit, et hæc tamquam in libro vivo scriptæ sunt in exemplo semi-nis carnis Jacob, quod profunditas consiliorum tuorum adhuc ab omnibus nationibus et gentibus terræ separatum conservat, ut manifestetur in illis exsecutio pœnarum justitiæ tuæ, quas ante tot sæcula minatus fueras illis, si non custodiverint legem tuam. Multa sunt, Domine, quæ mihi super hæc contemplanda exhibes, quæ te adjuvante uberiori connotare intendo, dum ad loca<sup>b</sup> hæc magis concernentia pervenero. Adjuva proinde, ne præteream illa, quæ mihi adhuc in hoc capite consideranda sunt!

Postquam ergo satisfacta fuisset justitia tua per mortem omnium illorum, qui contra te murmuraverunt, ecce, magnalibus justitiæ succedunt magnalia misericordiæ tuæ. Dixisti enim ad Moysen: (24) Surgite et transite torrentem Arnon! Ecce, tradidi in manu

<sup>a</sup> Cum signo nasalis (ut correctio)

<sup>b</sup> Sic (recte: locos)

<sup>1</sup> Cf. Hebr. 12,6.

tua Sehon regem Hesebon Amorrhæum, et terram ejus incipe possidere, et committe aduersus eum prælium (25). Hodie incipiam mittere terrorem atque formidinem tuam in populos, qui habitant sub omni cælo, ut auditio nomine tuo paveant et in morem parturientium contremiscant et dolore teneantur. Tam forti expressione animas, Domine, populum tuum et post quadraginta annorum peregrinationem tandem pronuntias verbum: Posside; (26) Moyses tamen mittit nuntios de solitudine Cadenoth ad Sehon, quem debellare jussisti, verbis pacificis dicens: (27) Transibimus<sup>a</sup> per terram tuam publica gradientes via, non declinabimus neque ad dextram neque ad sinistram, (28) [14:] alimenta pretio vende nobis, ut vescamur, aquam pecunia tribue, et sic bibemus! Tantum est, ut nobis concedas transitum, (29) sic [ut]<sup>b</sup> fecerunt etc.

Pronus est hæc legentis humanus spiritus ad concipiendum indignationem contra Moysen et ad arguendum illum imbecillitatis ac pusillanimitatis, dum tuum mandatum, Domine, et pronuntiatum contra Sehon judicium, ex altera parte autem tam supplicem denuntiationem Moysis considerat. Tu, Domine, pugnare mandas, ille pacem petit, possidere jubes terram Sehon, et Moyses tantum transire petit terram illius et pretio vivere promittit. Quis est iste imbellis procedendi modus ductoris populi tui? An diffidit in verbis tuis vel in virtute exercitus sui? Sic loquerer tibi, Domine, sic accusarem coram te Moysen, hominum mitissimum et fidelissimum, si sequerer dictamen spiritus mei. Sed si secundum lumen bonitatis tuæ, quod dare dignaris mihi, considero modum agendi hujus fidelis servi tui, vel in limine reflexionum mearum hæc ipsa fidelitas et mansuetudo Moysis præsentat se mihi; unde adverto velle te, Domine, ut etiam positiva mandata tua in ordine et mensura justitiae et misericordiæ tuæ exsequatur homo, et hæc est, quæ præscribit (aut potius dicam) ad hunc modum agendi ducit hominem mansuetudinis virtus, quæ nihil magis horret, quam sanguinem humanum fundere et aliena tollere, e contra vero nihil magis desiderat, quam pacem servare.

Suffecit itaque Moysi scire judicia tua, quæ exercenda tibi reliquit agens, quæ sua fuerunt in mansuetudine, absque elatione animi, absque superbia, pronior ad miserendum, quam ad puniendum. Te imitabatur in his Moyses, Domine, qui semper prius misericordiam offers, antequam exerceas justitiam. Semper pronus es ad miserendum, patiens et longanimis ad puniendum, propter hoc tamen non frustrantur nec fine suo parent consilia tua, prout nec Sehon evitavit decreta justitiae tuæ, postquam per abominationes suas spreta longanimitate tua implevisset mensuram iniquitatis suæ. Proinde magnarum virtutum non imbellis segnitiei et pusillanimitatis exemplum debet esse Moyses omnibus principibus et belli ducibus. Quodsi enim ille, qui verba tua ex ore tuo audivit, judicia voluntatemque tuam de Sehon scivit, taliter egit, quomodo secus bene agere possent, qui illam tam positive scire nequeunt, aduersus inimicos suos tamen pace non oblata agunt crudeliter et sanguinarie.

Non auderem hæc [15:] taliter explicata referre de Moyse, si tu, Domine, ipsem et non appellasses illum mansuetissimum hominum, qui habitabant super terram,<sup>1</sup> et fidelissimum tibi. Quamvis enim cum Sehon tam pacifice egerit, cum de Madianitis per Eliezerum te jubente ultionem sumpsisset, jam in præcedentibus ipse rettulit, quomodo iratus fuerit, quod mulieres captivas reduxerit exercitus, quæ occasio fue-

<sup>a</sup> Correxit ex *-vimus*

<sup>b</sup> Supplevit posterius *-ut*

<sup>1</sup> Cf. Num. 12,3.

runt peccati. Unde demonstratur mansuetudinem nullo modo derogare fidelitati in exsequendis mandatis tuis, Domine, ibi enim vindicta sumenda erat ex mandato tuo. Hic aggrediendus erat Sehon, sed quo modo aggrediendus, si nihil mali fecerat populo? Dixisti quidem, Domine, in præcedenti versu: Committe adversus illum prælium!, sed hoc non significabat: Invade illum fraudulose aut inopinatae. Hinc in mansuetudine explicans Moyses mandatum tuum prius rem justam petit pacem offerens, ut petitione<sup>a</sup> justa quoquomodo denegata a Sehon justam præliandi haberet causam. Mandaveras, Domine, populo, ut Jordanem transiturus terramque sibi promissam ingrediens omnes habitatores exterminet, quod mandatum tuum populus non est executus, et ideo reprehendisti illum. Sed in hac omissione executionis mandati tui clarum est non egisse populum ex mansuetudine, sed ex criminosa indulgentia et concupiscentia, ut populus subjugatus serviret ipsi.

Non obsunt igitur hæc dictis meis, quin differentiam demonstrant, unde agnoscerem, cur Moyses mandatum tuum in obvio sensu non exsequens irreprensibilis, populus autem illud omittens reus fuerit. Petuit Moyses pacifice transitum, sed (30) Sehon noluit concedere illum. Quare? Quia induraverat Dominus Deus tuus (dicit Scriptura) spiritum ejus et affirmaverat cor illius, ut traderet in manus tuas, sicut nunc vides. Hæc fuerunt, Domine, justa judicia tua de Amorrhæis, quæ Moysi revealare potuisti. Hæc promeruerunt illis abominationes et peccata antecedentia, propter quæ immisisti populum tuum tamquam ministrum justitiae tuæ in terram illorum, ut transferretur regnum Sehon in populum tuum. Quamvis ergo Moyses in mansuetudine procedens pacem obtulerit, omnia secundum finem decretorum justitiae tuæ subsecuta sunt. [16:] Sehon denegat justas petitiones filiis Israel, et prout jam de his rettuli, secutus est dictamen prudentiae suæ.

Sed quid hoc mirabile, o Deus, quod mihi occurrit, ecce, supra (v. 25) dixeras te missurum terrorem atque formidinem tuam in populos, qui habitant sub omni cælo etc. Et ecce, tamen Sehon consurgit contra populum in superbia cordis sui et occurrit illi.

Quomodo creatura tua resistit tibi, et unde illi hæc fortitudo et animositas? Profecto a te sunt hæc, Domine, et apparent mirabilia in oculis nostris.<sup>1</sup> Opponunt se quodammodo judicia justitiae tuæ judiciis misericordiæ, quæ producunt et inducunt timorem in corda illorum, quorum vis misereri, et propterea agit in plena libertate depravata et corrupta humana voluntas. Nec igitur tibi resistit induratus et reprobatus, quia sibimet ipsi relictus est, nec amplius audit vocem tuam, quia promeritus est, ne loquaris ad eum,<sup>b</sup> et sic tua justitia excludit quodammodo omnem vocem misericordiæ et timoris tui (quam loqueris omnibus hominibus) ab auditu induratorum, postquam implant mensuram iniquitatis suæ, quia decreta misericordiæ et justitiae tuæ sunt semper immutabilia et æqualia in te, quamvis semper prior videaris et sis ad miserendum, quam ad puniendum, nec punires, nisi homo mereretur, ut punias, semper autem misereris ex bonitate, si corrupta massa humana tuam non provocaret justitiam. Sed nec tunc misericordia tua excluderet justitiam, quia ipsa misericordia erga justum reputaretur in justitiam.

Tantæ sunt, Deus, et tam exaltatæ perfectiones tuæ, quas homo per ænigma obscuritatis et ignorantiae suæ videns capere nequit sine lumine tuo. Hinc ego quoque

<sup>a</sup> Supplevit -ne supra lineam

<sup>b</sup> Inter duas lineas sub et super positas!

<sup>1</sup> Cf. Ps. 117,23.

de illis nonnisi balbutio enarrans magnalia tua, ut pro tenuitate et infirmitate mea præstem gloriam tibi in mensura dilectionis, quam dare dignatus es mihi, creaturam tuarum indignissimo, ut eo magis pateat gratuitas gratiarum tuarum, quo indignior sum illis, quæ dare dignaris, et gloria misericordiae tuæ revertatur ad te, qui illa solus dignus es in sæcula!

#### SUPER CAPUT 3.

In manu tua, Domine, sunt omnes fines terræ,<sup>1</sup> et tu disponis de omnibus, quæ creasti. Transfers regna de populo ad populum, et prout jure supremi [17:] dominii tui usus es in Sehon, egisti et in Og, regem Basan. Consurgit ille et venit in occursum populi se prius hostem declarans. Hinc non offert illi pacem Moyses, sed aggredientem (3) percutit usque ad internectionem, quia tradidisti illum in manus ejus. Uno igitur prælio expugnavit et omnes urbes munitas devastavit populus, et vicos omnemque populum, mares, feminas et ipsos lactantes occidisse velut jactabunde enarrat Moyses, hominum mansuetissimus.

Nimis limitatum et tantis obscuritatibus circumdatum humanum judicium primum est Moysen crudelitatis arguere, dum homo hæc perpendit; et dum hæc Moysen ex mandato tuo fecisse repperit, proclivis est ad censuranda ipsam mandata tua. Et unde hæc proveniunt? Unde emanat hic motus apparentis misericordiæ, quo externe factus homo interrogat: Cur feminarum tam imbellis sexus, cur infantium multitudinem occidi mandaveris, Domine, aut cur mansuetudo Moysis pro illis te non exoraverit? Unde, inquam, oritur hæc perquisitio, nisi ex illa naturali, uti dixi, ignorantia et superbia. Ignorat homo, sed nec capere potest per se, quid sit te, Deum offendere, quanta sit peccati enormitas et malitia, et per consequens quam justa sit totius humanae massæ condemnatio. Extenuat intellectui humano hæc objecta superbia, ex cuius instinctu semper homo crimina, quorum se reum sentit, in aliis excusare nititur. Consideret quis, quodsi Moyses populum regni Basan non delevisset, mansissent in peccatis suis abominabilibus, in quibus mortui omnes damnati fuissent, et exclamabit: Justus es, Domine, et justa judicia tua!<sup>2</sup> Sed dum legit, quod populus tuus te jubente occiderit tot centena millia hominum, tangitur sensualitas ab objecto mortis naturalis plus, quam tangebatur a consideratione supradicta damnationis æternæ, et alius inquirit, cur hoc feceris, alius crudelitatis arguit, alius te excusare querit, ac si tibi derogaret insipientis hominis vana blateratio.

Sic est, o Domine, quia te plus metuimus corpus occidentem, quam animam nostram damnantem. Quodsi enim a contrario (Salvatore nostro dicente) plus metuermus illum, qui occidit animam, quam qui mortem infert corpori,<sup>3</sup> crimen, quod occisionem animæ promeretur, mortem corporis (tamquam longe [18:] minus considerabilem) mereri juste facile agnosceremus. Dicit itaque homo labiis suis, quod nec anima infantis hodie nati immunis sit a peccato, et per consequens, quod ejus anima quodammodo jam occisa sit et in abominationibus populi Basan permanens occisa mansisset. Sed si hanc veritatem enormitatis peccati ita sentiret interne, prout labiis

<sup>1</sup> Cf. Ps. 94,4.

<sup>2</sup> Cf. Ps. 118,137.

<sup>3</sup> Cf. Matth. 10,28.

profert externe, ad omnia, quæ in Scripturis de similibus eventibus legit, exclamaret: Bonus es, Domine, et judicia tua æquitas! Impleverant Amorrhæi mensuram iniquitatis suæ, rejicit illos justitia a facie misericordiae tuæ. Quis arguet crudelitatis Moy-sen, quod sententiam tuam executus fuerit in tempore, quam pronuntiasti de æternitate respectu animarum, quæ condemnationem tuam juste promeritæ sunt?

Moyses itaque hæc judicia tua executioni mandavit in fidelitate, et enarrat populo res, quæ adhuc recentis memoriae fuerant, in Scripturis relinquens posteritati. Recenset gigantum et regis Og staturæ proceritatem demonstrans perinde esse homini a te adjuto gigantes percutere, prout pusillos debellare. Animat horum narratio-ne populum et his subjugens, quomodo terram et regna subjugata repartitus fuerit, invitat ceteros, qui necdum partem suam acquisiverunt ad fortiter agendum, ipsum-que Josue, qui cum Caleb soli testes remanserant mirabilium tuorum in Ægypto patratorum, ad fortiter agendum pariter cohortatur.

Invoco te, Deus, lumen cordis mei, ut mihi indicare digneris, quod referam de preca-tione Moysis (23. 24. 25). Jam sæpius relatum est in Scripturis te ipsi indicasse volunta-tem tuam. Jam ad aquas contradictionis audiverat judicium tuum, ex cuius sequela jam Aaron mortuus fuerat. Ecce tamen, vellet transire Jordanem et ingredi terram illam optimam, montem istum egregium et Libanum. Et tu, Domine, iratus es illi propter populum (26), ne exaudires illum. Dignare, Domine, elevare mentem meam, si hæc mysteriosa sunt! Debilitas enim mea recogitans imperfectionem, quam Moyses et Aa-ron ad aquas contradictionis commiserant, de his, quæ Moyses hic petit, mirari nequeat, quia hæc illius petitio et zeli et fidelitatis potuit esse suggestio, ut populum, quem quadraginta annis circumduxit et cervicis ejus duritiem expertus est, tandem in parte hereditatis suæ [19:] stabilitum videre potuisset, sed fors affectus ejus erga populum multum carnalis fuit, et forte ideo fuisti iratus contra ipsum, nam Moyses, homo omni-bus his infirmitatibus subjectus esse potuit et apparere quodammodo debuit, ut sicut jam rettuli, inter latores veteris et novæ legis, ita et inter leges manifestaretur disparitas.

Cœpisti ostendere magnitudinem tuam, Deus, manumque fortissimam, propterea videre desideraverat illa, quæ facturus eras, subjicerat se in omni humilitate, dum sententiam condemnationis suæ audivit, et quamvis propheta fuerit, hanc tamen esse absolutam voluntatem tuam ignorare potuit, et quia sæpe per preces suas iram tuam contra populum minasque tuas avertit, ecce, in illa ipsa confidentia ad te recurrit, sed illum non exaudivisse decretis tuis conveniens fuit. Hanc veritatem luculentius docuit nos Christus Salvator noster, 'qui ut eosdem, quos non mortalitatis languores se passum fuisse demonstraret, ut calix transeat,<sup>1</sup> petiit, ad quem bibendum se in mun-dum venisse scivit. Hinc divino quoque Moysi, legislatori nostro propter populum totius generis humani iratus non exaudivisti illum in petitione sua, Domine, sed morti tradidisti innocentem, ut salvares hominem nocentem.

Quæ quamvis taliter esse appareant, absit a me statuere has comparationes in omnibus circumstantiis correspondere. Filium enim tuum etiam in hac oratione, quam condicionatam fecit dicens: Si possibile est,<sup>2</sup> exaudivisti, quia ille suam tuæ, Pater, subjiciens voluntati, quod voluisti, voluit, sed Moyses, quod noluisti, petiisse videtur et propterea dicis: Sufficit tibi, nequaquam ultra loquaris de hac re ad me. Christus monstrare voluit, quid soleat suggerere humana infirmitas. Moyses fecit,

<sup>1</sup> Cf. Matth. 26,39.

<sup>2</sup> Si....: Matth. 26,39.

quod illa suggestit. Primus voluntatem nostram voluntati tuæ conformare exemplo suo docuit, Moyses sæpe ignorare hominem, quid petat, demonstravit, quamvis petitio ejus per se mala non fuerit, sicut Jordanem transire velle malum non fuisse, nisi in quantum hæc petitio decretis tuis conformis non fuit. Voluisti enim, Domine, ut in exemplo Moysis demonstraretur nec ipsum fidelem servum domus tuæ ingredi potuisse terram promissionis, antequam Josue, id est, Salvator introduceret populum suum, sed nonnisi a longe vidit Moyses omnia usque ad tempus, in quo per mortem veri Moysis adepta est nobis hereditas. Cacumen igitur Montis Phargha (27) locum illum figurare potuit, unde [20:] sancti patres redemptionem exspectantes, quæ futuræ erant, ad occidentem, aquilonem, austrum et ad orientem aspicerunt, Jordanem autem usque ad completum redemptionis humani generis tempus non transierunt. Cacumen montis promissionum tam grandium fuit sinus Abrahæ (cui promissiones factæ fuerant), unde et ipse et Moyses et ceteri patriarchæ veram terram promissionis circumspexerunt et promissionum futuram adimplitionem in continuo et ardentí desiderio exspectarunt.

His igitur, quæ sequuntur (28), sed alibi adhuc clarius indicatur Josue figuram fuisse magni illius prophetæ, quem Moyses venturum de longe annuntiavit populo et hinc nomen Josue seu Jesus<sup>a</sup> datum est illi, ut nec figurativa, nec vera inductio fieret per aliud nomen, nisi per illud, per quod redempti salvamur. (28) Propterea præcepit Moyses huic, in quantum verus ille Josue legi a**<**b illo**>** Moyse datae subesse voluit, hunc corroboravit, quia mandata tua, Deus, per legem implenda illi reliquit, quia ipse præcessurus erat populum et divisit illis terram, quam Moyses tantummodo vidit. (29) Sed mansit in valle, donec adimplerentur omnia et manifestarentur nobis ex tua infinita misericordia, Deus, cui a me et ab omni creatura tua sit sempiterna laus et gloria!

#### SUPER CAPUT 4.

Sisto me in conspectu tuo, Domine. Da, quæso, eloqui magnalia tua, quorum magna parte in præcedentibus capitibus recensita auctoritate legislatoris orditur Moyses sermonem suum ad populum. (1) Ecce, nunc Israel, ac si diceret: Audivisti et vidi, quis sit Deus tuus excelsus et magnus nimis, qui tanta operatus est pro te. Ecce, nunc, Israel, audi præcepta et judicia, quæ ego doceo vos. Sed audi, ut facias ea, audi, ut vivas et ingrediens possideas terram, quam Dominus Deus patrum vestrorum datus est vobis. Hæc sunt, Domine, quæ nobis in secunda, ut ita dicam, lege scripta evangelii referuntur mandasse Christum Filium tuum. In secunda lege, dico, quia primam illam appello, quam Spiritus Sanctus scripsit in corda fidelium, et est spiritus et vita, et in hoc sensu Deuteronomium nostrum sunt libri canonici Scripturae Sacrae Novi Testamenti. Unde patet legem in tabulis digito Dei scriptam et Moysi in caligine nubis dictatam figuram fuisse primæ legis nostræ in cordibus scriptæ.

Propterea illam Moyses repetit et dilucidat, prout evangelistæ repetierunt illa, quæ Christus verbo tradidit, [21:] apostoli in epistolis suis exposuerunt, et horum veritati Spiritus, qui regit Ecclesiam, præbuit testimonium, (2) et illis nec aliquid

<sup>a</sup> Supplevit *seu* Jesus supra lineam

<sup>b</sup> Delevit -b illo

addere, sed nec ab illis demere præcipit, sed mandata Domini Dei nostri hæc lex custodire jubet, quæ nobis tradiderunt evangelistæ et apostoli. Vident oculi nostræ fidei (3) omnia, quæ fecit Dominus, sed et corporales, ut ita dicam, oculi nostri vident, quæ fecerit Dominus conterens cultores idolorum et confundens haereses de medio nostri seu Ecclesiæ suæ. (4) Nos autem, qui adhæremus tibi, Domine, per unionem Spiritus, vere vivimus universi. (5) Per hanc igitur Spiritus unionem vere scimus, quod docuerint nos patres nostri præcepta et justitias, sicut mandavit illis Dominus Deus noster, ut faciamus ea in terra peregrinationis, quam tamen possidemus temporaliter, (6) sed et observare et implere debemus illa opere.

Vere transcribere, non meditari oportet (6. 7. 8. 9) versus, qui in sensu litterali et genuino clarius verificati sunt in populo Israel spirituali, cuius populus Israel carna- lis tantum figura fuit. Sed ut Moyses quodam modo adæquatam et continuam tibi, Deus, præstet gloriam, interrumpit, ut ita dicam, sermones suos, ut populo inculcat non verba et mandata sua prolaturum, (10) sed illa, quæ in Monte Horeb audivit, didicit, (14) et tu, Domine, docere mandasti. Docet itaque declarans (15) ideo non vidisse populum (in die, qua locutus est Dominus in Monte Horeb de medio ignis) aliquam similitudinem, (16) ne forte decepti faciant sculptam similitudinem aut imaginem masculi et feminæ etc. (17. 18. 19), ne errore deceptus adoret et colat ea, quæ creasti, Domine, in ministerium cunctis gentibus, quæ sub cælo sunt, e medio quorum vos tulit Dominus (ait Moyses) (20) et eduxit de fornace ferrea Ægypti. Hæc est explicatio visionis Abrahæ, dum ille vidisset clibanum ardentem in die,<sup>1</sup> in qua pepigisti fœdus cum illo super possessionem terræ et prædicti illi futuram captivitatem seminis ejus. (21)

Sæpe repetit Moyses te, Domine, iratum fuisse contra se propter sermonem populi. Ex consideratione enim exacta cap. 20. v. 4. 10 Numerorum <murim<sup>a</sup>> clare patet murmur populi causasse seu, potius dixerim, occasionem fuisse delicti, propter quod Moyses terram ingredi non potuit, et jurasti, ne transiret Jordanem. Murmur, inquam, populi fuit causa, quod vel de voluntate tua, Deus, in educenda aqua dubitaverit, vel prout debilitas mea protulit, mandatum tuum in vero sensu exsecutus non fuerit; [22:] fors propter nimium fervorem zeli, quo correptus inconsiderate egit et sic punitionem iræ tuæ promeritus est, prout dicit, propter sermones populi. Prohibueras itaque ei, sicut in præcedentibus relatum est, ne amplius terram ingredi petret, et sic resciens absolutam voluntatem tuam dicit: (22) Ecce, morior in hac humo, nec transibo Jordanem. Unde sumit occasionem de novo repetendi: (23) Cave, ne quando obliviscaris pacti Dei tui, quod pepigit tecum, ut nimirum proprio suo exemplo doceat veritatem sequentis versus: (24) Quia Dominus Deus tuus ignis consumens est, Deus æmulator.

Ignis es, Domine, qui profecto non corpora materialia consumis, sed spirituales impuritates et justorum delicta, prout demonstrasti in hoc exemplo Moysis, cuius delictum igne mortis temporalis consumpsisti, quia nullum delictum impunitum relinquere convenit tam exactæ et inexorabili justitiæ tuæ. Hæc est, quæ te Deum æmulatorum facit, quæ hanc expressionem explicat et diligentibus te salutarem timorem incutit ac zelum puniendi nosmet ipsos producit. Unde nos quoque æmulatores esse debemus, in quantum imitatores tuos esse jubes. Ex hoc

<sup>a</sup> Delevit murm

<sup>1</sup> Cf. Gen. 15,17.

consequenti æmulationis tuæ, Deus, prædictit Moyses in sequentibus versibus populo mala, quæ superventura sunt illi, et testes invocat (26) cælum et terram pro energia loquelæ suæ. Sicut enim omnes creature vindicant peccatum in homine, in quantum elementa inter se pugnantia defectum et mortem corporis causant, ita in hoc sensu condemnant tamquam testes prævaricationes ejus, et continuum præbet testimonium contra hominem inducta per peccatum eorum contrarietas, quæ prædictam mortem generat, quam peccatum induxit. Hinc dum cælum pluvias, terra fertilitatem (ex consequenti pœnæ, quam populo minatus es, Domine), denegavit, de peccato populi testimonium tulit, quod Moyses in hoc versu invocando prædixit, cum ceteris pœnis captivitatis et tandem dispersionis populi, quæ omnia suis temperibus verificata sunt et actualis status seminis carnalis Abrahæ manifestat. Præbet contra hoc hodie quoque testimonium cælum [23:] et terra, quæ illis nihil producit, quia illam ex consequenti hujus condemnationis nec possident nec colunt nec igitur serunt nec metunt, sed ab adoranda providentia tua, Deus, conservantur et aluntur tamquam viva, nobis autem stupenda et metuenda exempla veritatis dictorum et sententiæ justitiæ tuæ.

Vel sola meditatio status et historia gentis Judaicæ, quæ per totum orbem terrarum diffusa est, sufficit, o Deus, convincere incredulos et confundere illos, qui dicunt in corde suo: Non est Deus, vel qui alia specie insania spiritus humani laborantes te Deum esse non negant, sed de tua gubernatrice et omnes mundanos eventus ordinante providentia tua dubitant. Nescio, Domine, num non audeam dicere non esse nationem aut regnum in mundo, in quo Judæus non reperiatur seu incola seu vagus seu peregrinans, sed si hæc propositio mea verificari nequirit, respectu partium mundi mihi vel parum notarum vel penitus ignotarum ad nimirum respectu partis mundi, cuius extremos fines te ita disponente habito, vera est. Quærat quis originem et historiam illorum, inquirat religionis et morum principalia et essentialia fundamenta, statim ducetur ad hanc sacram historiam, cuius conservatricem et testem hanc ubique diffusam et dispersam gentem voluisti esse. Confrontet caput 26. Levitici et præcitos versus cum historia et actuali statu illorum, et quisquis exinde misericordias, justitiam et providentiam tuam non agnoverit, mente captus et omni sana ratione privatus est. Pervolvat ceterarum nationum historias, perlustret volumina librorum antiquissimorum, tantas diversitates opinionum reperiet, ut in illis se perdat. Usum, leges, mores, nomen quælibet sæcula mutarunt in omnibus nationibus, et ex his omnibus clare patet ingens illa differentia inter illas et hanc Judæorum gentem; reperiet inter primas spiritus humani varietatem,<sup>a</sup> unde processerunt illæ mutationes, in secunda videbit Spiritus tui, Deus, uniformitatem, quæ in hac reprobata gente quoque conservavit characterem populi tui, quamvis hæc ipsa reprobatio fecerit illos in abominationem, [24:] odium, ludibrium et contemptum omnium populorum terræ. Ipsa dispersio illorum per omnes mundi et regnorum angulos et hac non obstante morum, legum, religionis et originis conservatio tam contraria sunt inter se, ut captum humanum superent et sint continua miracula providentiae tuæ.

Signum enim levitatis et debilitatis judicii esset, si quis dicere vellet hanc uniformitatem turbari propter differentes sectas, in qua religio et observantiae legis illorum

<sup>a</sup> Correxi -em ex

repartitæ sunt. Hæ enim opinionum differentiæ non inferunt differentiam, sed differentem intelligentiam legis, quam spiritus humanus inducit, quæ legis tuæ veritatem, Domine, numquam potest subvertere, sed offuscat per inventiones et per mutabilitatem suam.

Hæc ipsa veritas manifestatur in religione Christiana quoque, quæ in ipsa eadem lege veteris et novi testamenti fundata in tot hæreses scissa et repartita est, nec tamen propterea legem differentem esse quis dicet, sed in illius immutabilitate virtutem tuam, Domine, et in differenti legis intelligentia humani intellectus tenebras et, uti dixi, mutabilitatem reperiet. Nemo umquam Judæorum fuit, qui auctoritatem vel saltem quattuor primorum librorum Moysis <contr><sup>a</sup> controvertit, quorum quintum quoque ipsi Samaritani agnoverunt et conserverunt.

Hæc sola consideratio sufficit ad stabienda dicta mea de uniformitate legis, cuius a tot annorum millennariis subsecuta conservatio opus providentiæ tuæ est, Domine. In his enim continentur omnia, quæ in ceteris libris tantummodo repetita clarius manifestata, exemplis, figuris ac doctrina explicata sunt, quia omnia reducuntur ad idem objectum et sic mutuum<sup>b</sup> testimonium præbent sibi adinvicem sacerdotiorum successiones et historiæ ducentes ad Christum, in quo et per quem lex completa perfectionem suam acquisivit per claram agnitionem veritatis et donum fidei nobis promeritum. Singulari modo (quamvis non absolute) exclusis usque ad certum tempus Judæis, ut manifestaretur character reprobationis cæcitatibus et duritie cordis illorum, quam ipsis promeruit ipsa prævaricatio legis et infidelitas.

Immutabilis es, Domine, et propterea [25:] judicia tua apparent intellectui humano abyssus multa, quia numquam in eodem statu permanet. Quodsi mea debilitas permitteret et tanto operi sufficerem, finitis his quinque libris Moysis, invocato auxilio tuo sumerem pro objecto meditationum mearum historiam ecclesiasticam, in qua adhuc proponendum admirabiliori ordine manifestantur magnalia tua, immutabilitas nempe in perpetuitate religionis, misericordia in conservatione Ecclesiæ et justitia in translatione veræ fidei de gente in gentem, ut me perdens in hac abysso judiciorum tuorum reperiem in te. Sed tua est voluntas mea, o Deus; da proinde, ut voluntas tua sit mea! Commisi me tibi, nec te inconsulto volo etiam apprens bonus. Duc itaque et rege me in tam obscuris viis meditationum, nec enim quinque hos libros absolvere posse meditando appromitto mihi, qui de vita mea incertus sum, nec lumen tuum aliunde sperare, nisi per humilem confidentiam in bonitate et misericordia tua, qua invocata redeo ad opus, in quo me hactenus perseverare dedisti.

Quamvis enim ubique repetitiones reperiam jam dictorum in Deuteronomio (quæ humano spiritui sunt tædiosæ et proponendum inanes apparent), omnia vetera sunt nova et nova sunt vetera in immutabili veritate tua, quæ sine auxilio gratiæ tuæ ego miser discernere nequeo. Seu igitur repetita confirmaveris in corde meo, seu in ruminatione jam dictorum, novum gustum et a me nondum prolatas veritates enarrare dederis, hoc et illud convertetur in panem et animæ meæ nutrimentum, quod quærō, sed necdum satis affamatus quærō, quia veritatem tuam necdum ferventer diligo. Da igitur dilectionem et dabis fervorem, auge famem, ut esuriam et sitiām justitiam et veritatem tuam!<sup>1</sup> O Deus, quam magnæ et quam multæ sunt miserations tuæ!

<sup>a</sup> Delevit *contr*

<sup>b</sup> *Mutuum* in rasura

<sup>1</sup> Cf. Matth. 5,6.

Ecce enim, nec hos, quos tantis malis affligis et nobis in vivum exemplum reprobationis tuæ statuisti, excludis [26:] a miserationibus<sup>a</sup> tuis. Dicit enim Moyses (30) (et posteriores prophetæ clarius confirmant): Postquam te invenerint omnia, quæ prædicta sunt, novissimo tempore reverteris ad Dominum Deum tuum, et audies vocem ejus, (31) quia Deus misericors Dominus Deus tuus est, et dimittet te, nec omnino delebit, neque obliviscetur pacti, in quo juravit patribus tuis.

Scio, o Domine, secundum quorundam et ferme communem opinionem hæc verba referri posse ad postremum redditum populi tui ex captivitate et ædificationem secundi templi, sed difficile est hos textus ita restringere ad duas illas ex captivitate reduces tribus, ut reliquæ decem, quibus hæc prædicta sunt, excludantur. Pactum enim tuum, Domine, totum populum concernebat, cuius te in novissimis temporibus recordaturum promittitur. Quodsi enim respectu seminis carnalis Abrahæ jam omnis promissio completa esset, ad quid conservaretur tam mirifice populus ille in dispersione sua, nisi ut fidelitas promissionum tuarum vel maxime appareat in novissimis temporibus.

Hæc sunt, Domine, quæ circa illas a tot annorum millennariis Moyses prædictit, et omnia anteacta mirabilia tua in subsequentibus versibus veluti nucleus restringit (32). Procul dubio propheta ille in antecedentibus temporibus nihil mirabilius potuit memorare populo, quam quod tu, Deus, illi de medio ignis locutus fueris, populum per portenta tam grandia ex captivitate eduxeris et in virtute excelsi brachii tui super omnes nationes exaltaveris. Sed his omnibus longe excellentiora patefecit nobis misericordia tua, Domine, quibus Deum pro salute nostra incarnatum de cælo descendisse, cum hominibus conversatum et mortem passum fuisse per fidem manifestatum est. Quantis pœnis igitur et quam juste sumus obnoxii, (40) si præcepta tua non custodimus atque mandata tua non observamus! Leges, inquam, quas nobis non Moyses, sed Filius Dei, Deus et Homo proposuit, et ipse se nobis in urbem refugii statuit, in quam animam nostram [27:] occidentes refugere possumus.

Posset mihi occurrere reflexio illa, cur Moyses has urbes refugii separaverit, quam primum hereditatem inter filios Israel distribuere cœpit, sed meæ ignorantiae ita videtur, quod dum populus peregrinavit, tabernaculum fuerit urbs refugii pro toto populo. Quam primum igitur populus separari incepit ad incolendam terram, has urbes separare oportuit, ut innocentias possint salvare animas suas.

Hæc sunt, o Domine, quæ fors mea profert ignorantia, quam illuminare tuum est, si mea, non tua eloquor. Cur enim hæc balbutio, nisi ut tibi reddam gloriam et sint ad minimum bonæ voluntatis documenta, quam quia tibi debeo, ad illa, quæ tua sunt et gloriæ tuæ convenientia, scribenda dico et dedico.

## SUPER CAPUT 5.

Digitu tuo scripta et toties repetita fuerant præcepta tua, Deus, quæ Moyses hic rursus ad populum enarrat (1) vocans omnem Israelem et dicens: Audi, Israel, cærimonias et judicia, quæ ego loquor in auribus vestris hodie! Discite ea et opere complete! Sed quia hæc necdum in cordibus, sed in tabulis lapideis exarata fuerant,

<sup>a</sup> Correxit miserationibus ex miserationis

omni momento repetit illa, quæ fundata sunt in æterna justitia<sup>a</sup> tua, quæ in his mandatis tuis recensita seu respectu tui seu respectu dilectionis proximi hodie quoque exigit ab homine. Hæc justitia tua æterna est, Domine, (9. 10) quæ te Deum æmulatorem efficit sumentem justam vindictam de peccatoribus et facientem misericordiam in multa millia diligentibus te et custodientibus præcepta tua. Hæc, inquam, mandata tua in tabulis scripta separata ab illis, quæ cæremonialia fuerant aut ordinem justitiæ tuæ concernabant, singulariter repetuntur observanda. (22) Hæc verba (inquit Moyses) locutus est Dominus ad omnem multitudinem vestram in monte de [28:] medio ignis et nubis et caliginis voce magna nihil addens amplius, et scripsit ea in duabus tabulis lapideis, quas tradidit mihi.

Sed, o Domine, quid produxit tanta bonitas tua in populo illo carnali, qui illam agnoverat dicens: (24) Ecce, ostendit nobis Dominus Deus majestatem et magnitudinem suam, vocem ejus audivimus de medio ignis et probavimus hodie, quod loquente Deo cum homine vixerit homo. Quid, inquam, produxit, nisi timorem: (25) Cur ergo moriemur et devorabit nos ignis hic maximus? Si enim audiremus<sup>b</sup> ultra vocem Domini Dei nostri, moriemur. Sed quia timor iste ab humilitate provenerat: (26) Quid est omnis caro, ut audiat vocem Dei viventis, qui de medio ignis loquitur, sicut nos audivimus, et possit vivere, ideo dixisti, Domine: (28) Audi vocem verborum populi hujus, quæ locuti sunt tibi, bene omnia sunt locuti. Sed, o Domine, quæ est hæc mirabilis et sane incomprehensibilis loqua tua: (29) Quis<sup>c</sup> det (inquis) talem eos habere mentem, ut timeant me et custodiant universa mandata mea in omni tempore, ut bene sit eis et filiis eorum in sempiternum?

Quis hoc poterat dare præter te, et tamen Moysen interrogas, ut quod optaveras, quodammodo interrogando edicas. Sed et aliunde lingua Hebraica, dicunt interpres, quod in conjugationibus optativum non habeat. Hinc quod per interrogationem exprimitur, pro optativo sumitur: Utinam talem haberent mentem etc., ad quam voluerat illos disponere misericordia tua, si durities cervicis illorum non reddidisset infructuosa tanta signa bonitatis, tanta opera longanimitatis tuæ. Indulges itaque timori illorum et dicis: (30) Vade et dic eis: Revertimini in tentoria vestra! Hæc itaque populi timiditas requisiverat, ut prout (5) dictum est, Moyses esset sequester et medius inter te, Domine, et populum, ut sensualis populi timiditas manifestaret nobis, quæ sit naturæ humanæ incapacitas, ut uniretur tecum, Deus, sine mediatore, qui ut secundum expressionem Scripturæ vere, non tantum figurative<sup>d</sup> sequester et medius esset, et Deus et Homo esse debuit, ut in duarum naturarum [29:] unione subsistens naturarum diversitas et visibilis personæ unitas formaret hunc characterem mediatorum inter te, Deus, et totum genus humanum. Attribuitur hæc qualitas Moysi, figuræ mediatoris inter te et populum figurantem, sed et legis imperfectio monstravit, quam invalida fuerit hæc mediatio, et hæc mediatoris in Moyse invaliditas vicissim manifestavit, quæ fuerit legis defectuositas, ad quam regeneraretur spiritus et subigeretur sensualitas.

Propterea nequivit vocem Dei sustinere populus, sed reversus est in tabernacula sua, ut per sequestrem audiret verba tua, Domine, quorum sonum audivit, litteram

<sup>a</sup> „Correxit” *judicia ex justitia*, sed restitui scripturam originalem

<sup>b</sup> Correxit *audiremus ex audieremus*

<sup>c</sup> Correxit *quid ex quia; correxi*

<sup>d</sup> Supplevit supra lineam *vere, non tantum figurative*

legit, spiritum non intellexit, quia Moyses ad intelligendum spiritum dare non potuit. Non dico, Domine, populum non potuisse intelligere legem, ut per observantiam ejus ad promissiones temporales perveniret, lex enim ad hoc data fuerat, sed dico legem non intellexisse ad salutem, quia non quæsivit per legem pervenire ad justitiam seu ad Christum, sed ipsammet legem statuit pro justitia ita, ut ex lege, non autem ex fide quæreret salutem. Hinc lex tua, Deus, in se bona causa mali fuit et peccatum induxit, quia depravatae naturæ sensualitas illa in suum verum finem usum non fuit. Sed hæc quoque non de tota lege dicta sunt, sed de lege figurativa et cæterinali, quæ per Christum impleta cessavit. Lex enim Decalogi, quæ in æterna justitia tua fundata est, manet in æternum, et ejus observantia necessaria est ad salutem. Sed nec hæc quoque omnimode fructuosa fuit, antequam per fidem demeritam fructuosa reddita fuisset, sed ejus observantia (sicut jam saepè dixi), ante mortem Christi separabat electos ad salutem post effusionem sanguinis ejus plenarie adipiscendam.

Ecce ergo omnis benedictio Israel carnis et præmium, ad quod obtinendum lex data fuerat, donec ad Messiam duceret, in sequentibus exprimitur: (32) Custodite igitur et facite, quæ præcepit Dominus Deus vobis. Non declinabis neque ad dextram, neque ad sinistram, (33) sed per viam, quam præcepit Dominus Deus vester, ambuletis, ut vivatis, et bene sit vobis et protelentur dies in<sup>a</sup> terra [30:] possessionis vestræ! Quam immensa est differentia, Domine, quam posuit misericordia tua inter leges et præmia, quorum alia pro servis, alia pro filiis dignatus es instituere. Placitum est tibi, Domine, me in horum postremorum numerum vocare; dignare proinde largiri, quod proprium est filiis, te nimirum diligere Patrem et in dilectione ambulare in mandatis tuis!

#### SUPER CAPUT 6.

Omnia, quæ Moyses te mandante, Domine, populum docere debuit, in præcepta, cæteronias et judicia subdivisa esse dicitur (v. 1), ut illa non solummodo scirent, sed et facerent, (2) ut te timeant, Deum suum, ut prolongentur dies eorum. His demum toties repetitis et, ut ita dicam, inculcatis (3) procedit Moyses ad mandatum dilectionis ex toto corde, ex tota anima, ex totis viribus seu ex tota fortitudine (5). Et hæc sunt verba, quæ voluit, (6) ut essent in corde totius populi, (7) ut narraret illa filii suis, meditaretur illa sedens in domo sua ambulans in itinere, dormiens atque consurgens, et hoc esse primum et maximum mandatum in lege<sup>1</sup> ipso Christo, legislatore nostro docente scio.

Quæ sunt tamen, quæ de his dicuntur et proferuntur a quibusdam interpretibus legis, qui sedent in cathedra Filii tui, qui de eo formant quæstiones, quoties teneatur quis elicere actum amoris Dei; et has decidunt tam differenter, ac si sufficeret hunc actum ore legere secundum statuta tempora opinionis illorum. Sentio, Domine, quod nesciant, quid sit dilectio, quorum talis est locutio. Sed hæc formatis ad regulas artis potius quam scientiæ syllogismis demonstrare nescio; verum nulla major scientia, quam hujus legis simplex et litteralis intelligentia. Verba nimirum (5) dicta in corde

<sup>1</sup> Correxit in ex in v. ins

<sup>1</sup> Cf. Matth. 22,38.

habes, filiis narrare (seu alios docere), meditari sedens in domo, ambulans in itinere, dormiens et consurgens, nec se dubitet vere diligere, cui haec vel in solam memoriam venerint, et toties, prout dicitur, praestare voluerit, quia nulla major dilectio, quam integra tibi adhaesio, sed nec perfectior adhaesio, quam continua tui recordatio.

Ubi amor dominatur, [31:] raro mens ab objecto amato divagatur, quam si quandoque fragilitas deflectit, et in hoc irreflexa voluntas consentit, vel minimus motus gratiae habitualis mentem reducit, et de eo, quod nolenter fecit, gemit. Haec est amoris proprietas, quam respectu sensualium objectorum potest dare humanitas, sed respectu tui, Deus, nequit dare, nisi a te data cordis punitas, quae prævie ex corde excludit, quidquid non est Deus. Hinc sunt beati mundo corde, quoniam illi Deum videbunt<sup>1</sup> in celis et amando vident in terris, quia in omnibus te, Deum querentes, omnia pro te agentes te videre querunt, et te vident in omnibus creaturis, quia nonnisi te respiciunt. Quidquid amat homo, donec in amore non deficit, numquam dicit: Sufficit. Hinc qui in amore tuo, Deus, dicit: Sufficit, heu, in amore quantum deficit! Clamarunt sancti sensibili amore tuo tacti: Satis est, quia ferre nequibant supernaturalem dulcedinem sensus excendentem, sed dum satis clamavit extra se constituta humanitas, numquam cessavit desiderare, adhuc plus amare voluntas, quia haec spiritualis potentia animæ æternæ ratione suæ æternitatis infinite amare potest, et per consequens capax est recipiendi amoris tui, Deus, quia ad hoc creasti animam, ut infinite diligeret te. Sed hujus tui amoris non est subjectum capax corrupta hominis sensualitas, nisi in certo gradu, quem si sensibilis amor te benigne largiente excedit, amoris incendia patitur homo et misera condicio fragilitatis tunc clamat: Satis est.

Ex his facit bonitas tua me concipere differentiam inter charitatem et amorem tuum sensibilem, qui differens donum tuum est nec est ad salutem necessarium, quia amor sensibilis est desiderium voluntatis per facultatem appetibilem et ejus organa productum, sed vera charitas est, dum absque operatione facultatis appetibilis tibi soli, Deus, adhaeret voluntas nec vult cuipiam rei adhaerere, nisi tibi soli, et sic vel te amat super omnia, vel quod perfectius est, nihil amat præter te. Ad hanc requiritur suavis illa [32:] tractio, quam sæpe præcedit, sæpe sequitur supremi boni intellectualis cognitio, per quam jam trahitur, jam tracta firmatur voluntatis libera adhaesio. Sed tua, Deus, tamquam summi boni interna seu intellectualis notio est gratiae tuae singularis operatio et est ipsa dilectionis tuae tractio, quam ut sequatur voluntatis fidelis adhaesio, oportet, ut tu, Domine, jam per cognitionem veri boni dans velle adhaerere illi des et posse, quod fit per refrenationem<sup>a</sup> facultatis appetibilis, quae objectis visibilibus propter corruptionem naturæ lapsæ prona est adhaerere, sed si te adjuvante quoque solvatur voluntas ab hac adhaesione, numquam redditur sat immunitis in vita mortali a rerum sensualium appetitione, quae si non moderetur, crescat in desiderium, quod si immoderatum et irrefrenatum fuerit, facile novam adhaesionem et relapsum producit elongationisque a te et tandem mortis animæ causa fit.

Dum igitur velle et posse das, Domine, homo adhaeret tibi in charitate, quia unitur tibi in voluntate. Hinc non omnis creaturæ appetitio est charitatis extinctio, nulla tamen est vel minima rei appetitio, quae non sit imperfectio, a qua in hac vita non datur plena immunitas. Plurima sunt inter haec bona, utilia, convenientia statui no-

<sup>a</sup> Correxit *refrivationem* ex *reformationem* (?)

<sup>1</sup> Beati....: Matth. 5,8.

stro, ordinata denique et licita, quæ appetere possumus, sed ad mensuram appetitus vel in minimis vigilare oportet, ne vel delectando vel desiderando plus quam oportet, simplex appetitio fiat adhæsioni charitatis præjudiciosa et opposita adhæsio cupiditatis. Numquam voluntas tam libera est, quam dum per cognitionem internam summi boni suaviter trahitur, sed numquam minus resistere potest (ut ita dicam, practice), quam dum amat. Speculative enim semper habet resistendi libertatem, sed quia reperit dulcedinem in sequendo et amaritudinem in resistendo, numquam resistit, quia suavi vinculo amoris se tenere delectanter sentit.

Hæc est, o Domine, amoris proprietas, quam in sensualibus agnoscit humana fragilitas. Sed dum de charitate sine charitate loquitur, deficit hominis debilitas. Hinc exsurgunt [33:] tantæ contestationes, quibus se imminicet sciolitas. Sed, o Domine, omnis hæc a Moyse in præcitatibus versibus injuncta dilectio fors non fuit vera charitatis adhæsio, quia finis ejus fuit terrena promissio. Cum enim omnia, quæ ad dilectionem pertinent, dixisset, subjungit denuo: (17) Custodi præcepta Domini Dei tui ac testimonia et cæremonias, quæ præcepit tibi! (18) Fac, quod placitum et bonum in conspectu Domini! An ideo, quia ille est summum bonum tuum, solum et unicum, ut ad illud possidendum pervenias? Non hanc causam dilectionis dicit, sed: Ut bene sit tibi et ingressus possideas terram optimam, de qua juravit Dominus patribus tuis, (19) ut deleret omnes inimicos tuos coram te, sicut locutus est.

Ecce, finis, ad quem ducebat dilectio, antequam promerita fuisset Spiritus Sancti effusio, quæ fuit filiis, non servis data promissio. (20) Hinc dum interrogamur, quid sibi volunt testimonia atque judicia, quæ præcepit Dominus Deus noster nobis, (20. 21) dicimus: Servi eramus dæmonis, et eduxit nos Dominus de servitute illius et captivitate peccati in manu forti etc. (24) Præcepitque nobis Dominus, ut faciamus omnia legitima, quæ docuit nos Filius Dei, et diligentes timeamus Dominum Deum nostrum, ut bene sit nobis cunctis diebus æternitatis nostræ. (25) Eritque nostri misericors, si custodierimus et fecerimus omnia præcepta ejus coram Domino Deo nostro, sicut mandavit nobis.

Hæ sunt, Domine, veritates, quas nobis Veritas incarnata manifestavit et fides promerita credere, charitas in cordibus diffusa amare facit. Hæc est illa adhæsio, quam sequitur æternorum bonorum promissio, quam figuraverat bonorum terrestrialium possessio. Auge, Deus, fidem ad credendum, largire charitatem ad diligendum, da vires ad sequendum Filium tuum unigenitum, qui nobis hæc testimonia tradidit!

#### SUPER CAPUT 7.

Jam, Domine, consideravi hæc, quæ in hoc capite referuntur de mandato, quod extirpationem terram populo tuo promissam habitantium [34:] concernit. Propterea, ecce, peto, ut ad hoc mandatum tuum spiritualiter considerandum tuam largiaris gratiam, quia in hoc sensu vita nostra mortalis super terram, quam nobis inhabitandam dedisti, potest considerari tamquam per terram Chanaan figurata veritas. Hinc septem gentes, quas extirpare jussisti, ad septem peccata capitalia applicari possunt, quæ in hoc sensu possunt sumi pro habitatoribus terræ hujus, in quantum Diabolus princeps mundi esse dicitur. (1) Hæ sunt gentes nobis fortiores, (2) quas nobis tradere dignatus es per gratiam, quas usque ad internectionem percutere debeamus, nec fœdus cum illis inire. (3) Procul debet esse igitur a nobis omne conjugium

cum illis, nec opera nostra (tamquam filios et filias nostras) illis tradere debemus, sed nec progeniem illarum in matrimonium et unionem sumere oportet, (4) quia seducunt nos et prædictos filios nostros, ut magis serviamus diis alienis passionum nostrarum, quam tibi, Deus. Inde irascitur furor tuus in nos, et deles nos cito de libro vitæ. Aræ illorum sunt sensus nostri, quas subvertere debemus mortificando. Statuae sunt cupiditates, quæ confringendæ, luci pravæ suggestiones, qui exscindendi, sculptilia vanitates, quæ igne charitatis comburendæ sunt, (6) quia populus tuus vere sanctus est tibi, quem elegisti, ut sit tibi populus particularis de cunctis populis, qui populo tuo neadum annumerati sunt. (7) Non quia cunctas gentes numero vicit, junctus es illi, Domine, cum omnibus populis paucior fuerit, (8) sed quia dilexisti illum et custodivisti, quæ promisisti patribus nostris per Filium tuum, qui eduxit hunc populum tuum in manu forti et redemit de domo servitutis peccati et de manu Diaboli. (9) Unde scimus, quod tu sis Deus fortis et fidelis custodiens pactum et misericordiam diligentibus te, et his, qui custodient præcepta tua in mille generationes, (10) reddens audientibus<sup>a</sup> te statim, dum peccant (spiritualiter), ita, ut disperdat illos et ultra non differat mortem (animæ) protinus illis restituens, quod merentur.

(11) Custodienda sunt igitur nobis præcepta, cæmoniæ et judicia, quæ mandasti, ut faciamus; (12) quæ si custodierimus et fecerimus, custodies nos et [35:] pactum nobis et misericordiam, quam promisisti, (13) diliges nos ac multiplicabis benedicesque fructui generationis et operum tamquam fructui terræ nostræ, benedes frumento et vendemiac<sup>b</sup> nostræ (usui nimirum sacramentorum), multiplicabis armenta et greges ovium (quæ virtutibus applicari possunt), et sic verificabuntur in populo tuo spirituali, Domine, spiritualiter benedictiones (14. 15. 16) expressæ.

(17) Quodsi autem diceremus in corde nostro: Plura sunt peccata nostra, quam vires nostræ, quomodo poterimus delere illa? Noli, inquit Scriptura, metuere, sed recordare, quæ fecerit Christus in cruce! (21) Non timebimus igitur inimicos nostros, quia Dominus Deus noster in medio nostri est, Deus magnus et terribilis. (22) Ipse consumet nationes has (peccata scilicet et pravos habitus) in conspectu nostro, id est, per vigilantiam et attentionem nostram cooperando gratiæ. Non est nostrarum virium hos hostes nostras delere penitus, quia virtus in infirmitate perficitur,<sup>1</sup> ne forte multiplicentur contra nos bestiæ terra (quæ sunt stimuli carnis et sensualitatum nostrarum, quibus connovere tam prompti sumus, dum nos a miseriis condicionis nostræ exemptos putamus[])<sup>c</sup>. (23) Dat proinde Dominus Deus noster in conspectu nostro hostes nostros, sed ipse per gratiam auxiliantem interficit illos, donec penitus deleantur per pænitentiam peccata illa capitalia, quæ septem nationibus per populum Israel deletis figurari dixi. Has nationes repræsentant species peccatorum et reges earum sunt ipsamet peccata capitalia, quæ dominantur in homine. (24) Hos igitur reges tradit gratia tua, Deus, in manus nostras, dum bene utimur illa, et disperduntur nomina illorum, nec possunt resistere nobis illa auxiliante, donec conteramus eos, (25) sed præcipitur sculptilia eorum seu objecta et occasiones igne charitatis comburere nec concupiscere argentum et aurum, id est, illecebras vanitatum et sensualitatum, ex quibus conflantur objecta idolorum nostrorum. Nec ergo de his quid-

<sup>a</sup> Sic? (cf. Vulgata *odientibus*)

<sup>b</sup> Sic (ut Gallicismus)!

<sup>c</sup> Supplevi

<sup>1</sup> Virtus...: 2 Cor. 12,9.

quam assumere debemus [36:] propterea, quia abominatio est Domini Dei nostri, (26) nec inferre in domum cordis nostri quidpiam ex hoc idolo, ne fiat anathema, sicut et illud est; sed quasi spurcitiam detestari et velut inquinamentum ac sordes abominationi habere debemus, quia anathema est.

Hæ sunt veritates, Domine, quas mihi manifestat gratia tua ex meditatione spirituali litteræ. Custodi me, quaso, ne deprehendatur anathema in domo cordis mei! Da ignem charitatis, ut comburam omnes spurcitas et inquinamenta, ne sim abominatione in conspectu tuo!

#### SUPER CAPUT 8.

(1) Omnia itaque mandata, quæ præcepta sunt nobis, diligenter attendendum est, ut faciamus, ut possimus vivere et multiplicetur numerus populi tui spiritualis, qui generatur ex Spiritu, et ingressi possideamus terram Ecclesiæ, in qua vivimus in diebus vitæ nostræ, pro qua jurasti, Domine, patribus nostris, per quorum successivam et a te traditam doctrinam et fidem regenerati sumus et ut hæc præstare possimus, ecce, Scriptura incitamenta tradit, (2) ut nimirum recordemur retroactæ vite nostræ et itineris, per quod adduxisti singulariter me, Domine, usque in hodiernum diem.

Appropinquat enim non post multos hos dies adjuvante et conservante te complendus annus 46<sup>us</sup> peregrinationis meæ super terram. Conduxisti me per desertum, ut affligeres ac temptares, id est, probares me, ut nota fierent te illuminante mihi met ipsi, quæ versabantur in animo meo, utrum custodiverim mandata tua, an non. (3) Afflixisti me multa penuria temporali et spirituali merito, dedisti tamen mihi cibum et temporealem, sed specialiter spiritualem, man nimirum cælestem, quod ego quamvis crediderim, ignorabam tamen, quia sæpe indigne sumpsi, ut tandem gratia tua ostenderet mihi, quod non in solo pane vivat homo, sed de omni verbo, quod egreditur de ore tuo, et sic vivificasti me spiritualiter per intrinsecam agnitionem vitæ spiritualis, in qua adhuc infans tuus sum. (4) Vestimentum [37:] corporis numquam defecit mihi te largiente, sed nec vestimentum spirituale virtutum vetustate, sed incuria, negligencia et malitia mea laceratum est. Taliter pes quoque meus subtritus<sup>a</sup> est, in quantum non ambulavi in viis mandatorum tuorum, numquam tamen ita subtritus fuit, quin ambulare potuisssem, si gratiis, tuis bene usus <non><sup>b</sup> fuisse.

(5) Hæc sunt, o Domine, quæ recogitare debeo in corde meo, quia sicut erudit filium suum homo, sic tu, Dominus Deus meus dignatus es erudire me, ut custodiam mandata tua, ambulem in viis tuis et timerem te. (7) Tu enim observantem mandata tua introduces me ex misericordia in terram tuam bonam, et jam quoque introduxisti in terram vitæ spiritualis, terram vivorum aquarumque et fontium, in cuius consolationis campis et ariditatum montibus erumpunt fluviorum misericordiæ tue abyssi, (8) terram frumenti verbi tui et vinearum spiritualem lætitiam producentium, in qua<sup>c</sup> ficus dulces spiritualem reflexionum, malogramata purpurea ardoris charitatis tot semina virtutum in se continentia et oliveta spiritualium unctionum nascuntur; ter-

<sup>a</sup> Correxit primam litteram -i ex?

<sup>b</sup> Delevit non

<sup>c</sup> Post qua delevit litteram (s ?)

ram olei harum unctionum et mellis meditationum, (9) ubi homo absque penuria comedit panem verbi tui et rerum omnium spiritualium abundantia perfruitur. Cujus apparentes asperitates tamquam lapides ferrum sunt utilitati et usui applicabile, et de montibus contemplationum metalla æris incorruptibilis perseverantiae fodiuntur, (10) ut cum comedenter et satiatus fuerit homo, satietate famelica benedicat tibi, Domine, pro terra optima, quam dedisti illi.

(11) Sed quid mihi est faciendum, ut hac terra spiritualis vitæ utar, ecce, Scriptura denuo repetit: Observa (inquit) et cave, ne umquam obliviscaris Dei tui et negligas mandata ejus atque judicia et cæremonias, quas Deus præcepit tibi, ut postquam comedero et satiatus fuero, semper desiderabilibus et te adjuvante, Domine, domos pulchras ædificavero ex bonis operibus et in illis perseverans habitavero (13) habueroque arimenta boum [38:] seu operum vitæ activæ et ovium bonarum intentionum greges, argenti et auri, dilectionis nempe proximi et tui, cunctarumque rerum copiam, (14) ne elevetur cor meum et non reminiscar tui, Domine, quod tu me eduxeris de terra peccati et de domo servitutis Diaboli, et ductor meus fuisti (15) in solitudine magna et terribili mundi, in qua erat serpens vanitatis flatu adurens et scorpio superbæ [apud ipsas],<sup>a</sup> cuius morsus sitim mortalem iniquitatis inducit, et nullæ omnino reperiuntur aquæ salutares, nisi quas tu educis ex petra durissima cordium habitatorum mundi. (16) Tu tamen me cibasti sæpe in hac solitudine man, sacramenti Eucharistiae et verbi tui, quod audivi, legi, sed ignoravi, quia non intellegi vel non feci, et postquam me tantis adversitatibus afflixisti et probasti, ad extremum misertus es mei, (17) ne dicerem in corde meo: Fortitudo mea et robur manus meæ hæc mihi omnia præstiterunt, (18) sed recordarer tui, Domine, quod tu mihi vires præbueris, ut implerem pactum tuum, super quod jurasti patribus meis, sicut præsens indicat dies, in quantum te adjutus feci, quod præcepisti.

(19) Sed si denuo oblitus fuero, Deus, et deos alienos cupiditatis meæ secutus fuero et coluero illos et adoravero adhærendo illis, ecce, nunc Scriptura prædicit mihi, quod omnino disperibo, (20) sicut gentes, quas delesti, Domine, quæ sicut ego, secuti sunt vias iniquitatis, ita et ego peribo, si inobediens fuero voci tuæ, Deus meus.

Ecce, Domine, paraphrasis hujus capitil te illuminante concinnata, in qua repræsentas mihi bonitates tuas erga me, ingratitudines meas erga te, felicitatem meam, qua in terra vitæ spiritualis frui possum, et infelicitatem, si in incolatu terræ hujus non permanesco. Agnovi vias solitudinis et pericula earum, per quas me duxisti, et illas, in quibus ambulare debeo. Perfice igitur, quæso, in me, quod inchoasti, diligere, quod noscere fecisti!

#### SUPER CAPUT 9.

Posteaquam in præcedenti capite 6º fidelis servus domus tuæ, Deus, [39:] populo dilectionem tuam præcepisset, ecce, in hoc capite singulariter humilitatem commendat. (1. 2. 3) Præparat illum ad transgressionem Jordanis, fors tamen non erro dicens, quod expressio: Transibis Jordanem hodie, fortasse late patentius sumitur in lingua originali, quam in Latina. Hæc enim, quæ in hoc libro Deuteronomii præci-

<sup>a</sup> Delevi (Ms. delevit tantum apu)

piuntur, in sequentibus capitibus non una eademque die publicata sunt, sed et post mortem Moysis adhuc populus triduo cis Jordanem subsistit, prout ex sequenti primo cap. libri Josue clare patet. Edicit, inquam, Moyses, quæ facturus eras, Domine, pro populo tuo, sed immoderate subjungit: (4) Ne dicas in corde tuo, cum deleverit eos Dominus Deus tuus in conspectu tuo: Propter justitiam meam introduxit me Dominus, ut terram hanc possiderem, cum propter iniquitates suas istæ deletæ sunt nationes. Neque enim propter justicias tuas et æquitatem cordis tui ingredieris, ut possideas terram eorum, sed quia illæ egerunt impie, introeunte te deletæ sunt, compleret verbum suum Dominus, quod sub juramento pollicitus est patribus tuis, Abraham, Isaac et Jacob.

Clare demonstrant hæc verba universam illam dispositionem decretorum tuorum, secundum quam populo tuo singulariter electo dedisti ex misericordi et gratuita promissione terram, quam a ceteris nationibus abstulit justitia tua. Pridem antea revelaveras hanc veritatem Abrahamo prædicens annos peregrinationis et captivitatis semenis ejus, donec Amorrhæi replerent mensuram iniquitatis suæ, quod futurum prævideras, et tamen aliquod sæculorum spatum concessurus eras illis ad pænitendum, cursu quorum illi non ad tuam misericordiam recurrerunt, sed sceleribus suis justam reprobationem et indurationem promeruerat. Unde elucescit, quod terram illorum non justitia populi promerita sit, sed tua justitia tribuit ex justitia misericordis promissionis patribus illorum factæ. Hoc erat fundamentum humilitatis, ad quam Moyses populum hortatur, et in sequentibus enarrat illi duritiem cervicis illorum repetens toties relatas prævaricationes, quibus iram tuam, Domine, 40 annorum cursu [40:] provocarunt.

Immutabilis es, Domine, et ecce, immutabilia sunt opera tua, quia semper idem es. Hinc dicit Sapiens: Quod est, fuit, et futurum est, quod præteriit.<sup>1</sup> Hæc verba exacte verificantur in ordine operum tuorum, non autem in omnibus illis, quæ humana sapientia cursu temporum respectu scientiarum et artium detexit, sed respectu mutationis regnorum et vel maxime respectu conductus et dispositionis justitiae et misericordiæ tuæ, quæ sunt, fuerunt, et quæ præteriorunt, revertentur.<sup>2</sup> Coram te enim omnia hæc sunt præsentia; nos mutamur et tua decreta sunt immutabilia. Omnia, quæ creasti, in te, sed secundum debilitatem captus nostri infra te constituta velut in rota volvuntur, tu autem velut super hanc rotam respiciens semper idem es et semper agens, omnia movens manes immobilis. Sic ipsa natura generata corruptit, corrupta regenerat, et tu omnia conservando continue creas, et hæc omnia propter te facis, quia nemo est alius, propter quem facias, quia tu solus es, nec quid præter te a se est.

Volvuntur igitur, nec umquam in eodem statu permanent, quæ creata sunt, sola anima, portio illa divinitatis tuæ in his quodammodo impermutabilis est, quia a quo creatur, ex misericordia incorrupta manet in æternum ex justitia seu misericordis salutis seu justæ damnationis. Hæc portio divinitatis tuæ imaginem et similitudinem tuam<sup>3</sup> repreäsentat in homine, sed multum despurcatam per peccatum, quæ ut denuo ad puritatem suam perveniret, ecce, hæc<sup>a</sup> omnia, quæ Scriptura refert, fecisti, et quæ

<sup>a</sup> Correxit *h-* ex *o-* (?)

<sup>1</sup> Cf. Eccle. 1,9.

<sup>2</sup> Cf. Eccle. 1,4.

<sup>3</sup> Cf. Gen. 1,26.

futura sunt, facies, et tu semper idem facis diversimode. Postquam dixisses igitur ex misericordi bonitate: Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram<sup>1</sup>, verbum fecit, et quod fecit, perfecit ex justitia, quod dixisti ex misericordia. Nisi enim perfecisses mundando imaginem et similitudinem tuam despurcatam, fecisse nihil huic profuisset, quia a te in æternum separata mansisset. Justitia fuit igitur respectu illius, qui fecit, ut quod fecit, repararet, sed hæc ipsa justitia misericordiæ fuit respectu imaginis, quæ se [41:] despurcavit et se sibimet ipsi dissimilem fecit per peccatum. Justitia fuit, ut quæ creaveras, pro te, Deus, reduceres ad te, et qui non vult redire ad te, in æternum elongares a te. Sed hanc reductionis justitiam non creatura promeruit, sed tua justitia propter temet ipsum exegit.

Hæc est illa veritas, quam Moyses populo toties repetit et pro fundamento humilitatis statuit, quæ Christiano non minus est necessaria, quam fuerat populo illi carnali, quia respectu operum tuorum semper eandem agendi rationem observat immutabilitas tua. Super Exodum scribens mirabar, Domine, te Aaron propter idolatriam populi (cujus causa fuit) non corripiisse, sed ecce, quod ibi humilitas Moysis celaverat, hic ipse Moyse reddens tibi gloriam detegit (20). Postquam populum introduxisset, nihil propriæ justitiæ debere attribuere populum dicit: (19) Et exaudiuit me Dominus, quia jam prius dixerat illa, quæ pro populo fecisti, Domine, propter patres illorum, propter quos juramentum promissionemque tuam factam fuisse declarat. Sed de peccato Aaron et de ira tua loquens dicis solummodo: Et pro illo similiter deprecatus sum. Tanta fuerant opera tua et magnalia, quæ jure merito toties repetuntur, ut populi naturalis superbia humilitate coercentur (24) et se semper rebelle, te semper ita misericordem fuisse agnoscat, ut justitiæ tuæ numquam oblitus fueris.

Lauderis igitur, Domine, ab indignitate mea quoque, cui tanta magnalia tua dignatus es sensibilia reddere. Quod enim fecisti erga populum tuum, etiam mecum fecisti, cuius totius vitæ cursus his operibus juste punientis justitiæ et ad te revocantis misericordiæ plenus fuit. Submitto me itaque justitiæ tuæ, ut obtineam misericordiam, et peto misericordiem charitatem, ut obtineam coronam justitiæ!

#### SUPER CAPUT 10.

Continuatio est peregrinationis filiorum Israel, quam Moyses [42:] enarrat, et postquam in præcedenti capite confraktionem primarum tabularum legis repetendo memorasset, recenset illa, quæ illum eventum subsecuta sunt. Non penitus illo ordine, quem in Exodi et Num. libris rettulerat, sed tamquam jam semel relata repetit, ut occasionem habeat dicendi: (12) Et nunc, Israel, quid Dominus Deus tuus petit a te, nisi ut timeas Dominum Deum tuum et ambules in viis ejus et diligas eum ac servias Domino Deo tuo in toto corde tuo et in tota anima tua (13) custodiasque mandata Domini et cæremonias ejus, quas ego præcipio tibi, ut bene sit tibi?

Profunda et salutaris est hæc quæstio: Quid Dominus Deus tuus petit a te etc., et præcipue in hoc desiderato tempore locum habet, quo tota Ecclesia tua, Domine, in

<sup>1</sup> *Faciamus...: Gen. 1,26.*

celebranda memoria passionis Filii tui, Salvatoris sui occupatur, et hæc, quæ Moyses filiis Israel recenset, meditanda et cum illis, quæ facta sunt, combinanda sunt. Memorat ille in hac secunda lege illa, quæ tu, Deus, fecisti pro populo. Historia passionis Filii tui superaddit consideranda, quæ ille fecit pro eodem populo et toto genere humano. Patet virtus brachii tui, Domine, apparent opera omnipotentiæ tuae ex illis, quæ Moyses refert, ex quorum consideratione ad timorem et ad dilectionem hortatur populum. Manifestantur opera dilectionis, humilitatis et obediencie Filii tui ex illis, quæ Evangelistæ referunt, et hæc ipsa adhuc vivacius interrogant: Et nunc, o homo, quid Dominus Deus tuus petit a te, nisi ut Dominum tuum timeas et ambules in viis ejus ac diligas eum et servias Domino Deo tuo in toto corde tuo et in tota anima tua?

Repræsentant mihi veteris testamenti Scriptura Moysem hæc populo recensem, Moysem, inquam, legislatorem, fidelem servum domus tuae, sed historici sacri vitæ Filii tui proponunt mihi considerandum Filium tuum Unigenitum completo tempore conversationis suæ cum hominibus in cruce pro salute totius humani generis suspensus, et præcedentia, quæ Moyses, hominem interrogantem. Docuit iste nos verbo et exemplo, quid facere debeamus, et dilectionem, quam [43:] exposuit, opere complevit exemplum dans, ut quemadmodum ille fecit, ita et nos faciamus.

Percussus fuit Pharaon prodigiis multis, quia facere noluit, quod jusseras, Domine. Ecce, Filius tuus innocens percutitur, ut facere possimus, quod fieri mandasti. Quam stupenda dilectionis disparitas! Quam differens redemptio modus! Quam adoranda bonitatis operatio, quam, ecce, manifestat Filii Dei passio! Et quid his aliud vult, nisi ut diligamus, qui tanta passus est, ut hoc præstare valeamus? Deficit, Domine, virtus mea in consideratione tantorum magnalium tuorum. Obcaecatur lumen intellectus mei. Adjuva igitur me, et inflamma dilectionem,<sup>a</sup> ut de tam ineffabili dilectione dilectionis verba proferam, et te, Deum opere diligam! Magna quippe fuit omnipotentiæ tuae per Moysem facta demonstratio, sed longe incomprehensibilior est per Filium et in Filio facta dilectionis Dei manifestatio. Sed quod intellectus capere nequit, te adjuvante voluntas diligere sufficit. Non enim mandas, ut intelligam, sed jubes, ut diligam. Et profecto, quod potest esse dilectionis majus fundamentum, quam tantæ dilectionis manifestatio, qui dilexit, ut diligamus, et Spiritum suum dans nobis vere nobis conglutinatur, ut idem simus cum ipso, sicut ille unum est tecum, Deus, Pater æterne, qui Filii tui sanguinem glutem conglutinationis <nostræ tecum> tuae nobiscum<sup>b</sup> esse voluisti. (15)

Conglutinatus fueras, Domine, prout Moyses exprimit, patribus populi propter patres eorum, sed, o Domine, ex sequela decretorum tuorum dignatus es manifestare nobis, quod patribus quoque illorum propter Israel spirituale conglutinatus fueras, quia Filius tibi consubstantialis<sup>c</sup> conglutinandus erat cum natura humana. Quæ expressio potest esse clarior unionis illius adorandæ duarum naturarum in una persona Christi, quam expressio hæc conglutinationis, ex cuius antecedenti merito amabas patres et elegisti seipsum eorum post eos. Fides patrum in promissionibus tuis, spes fidei in Messiam venturum, quam dederas eis ex misericordia, formavit glutem justitiæ, per quod conglutinabar eis et propterea non obstantibus prævaricationibus populi hæc ipsa justitia reddidit vinculum seu glutem promissionum tuarum [44:]

<sup>a</sup> dilectionem sc. mean

<sup>b</sup> Delevit nostra tecum, supplevit tuae nobiscum supra lineam

<sup>c</sup> Correxit consubstantialis ex consustancialis (ut Gallicismus?)

indissolubile, hujus vinculi signum externum fuerat circumcisio extrinseca, quæ (16) signum internum circumcisionis præputii cordis (ad quam prædictus versus exhortatur confirmante [17]) requirebat et docilitatem exigebat. Sed postquam promissiones in Christo completæ fuissent, super naturam humanam (per incarnationem dispositam) gluten sanguinis effusum est, cuius virtute Spiritus promeritus est, qui hominem tecum conglutinat, Deus, conglutinatione æterna. (18) Hinc dicit Moses, quod ames peregrinum, gentes enim, super quas hic Spiritus effundendus erat, peregrinæ fuerant, et tu, Domine, illis victum fidei et vestitum stolæ innocentiae et immortalitatis dedisti.

Hoc est ineffabile mysterium, cuius annualem memoriam dies reducunt, et totius vitæ meæ cursus conservare debet. O stupenda hominis cum Deo realis tamen et invisibilis conglutinatio, per te facta est dilectionis Dei efficax manifestatio in effusione Spiritus illius, qui gluten est unionis personarum divinitatis. Hinc incarnatione fuit hujus Spiritus operatio et sanguinis effusio participatioque est hujus Spiritus seu glutinis applicatio. Corporis autem manducatio et sanguinis potus est hujus glutinis renovatio, ad quam requiritur hominis dilectio, ut subsequatur vera et realis tecum, Deus, conglutinatio, ut sic te homo (20) solum timeat, tibi soli serviat et adhæreat, ut tu sis unica laus, (21) qui fecisti hæc magnalia et terribilia populo Israel propter severas pœnas justitiae tuæ, reddidisti autem nobis amabilia propter magna opera misericordia tuæ.

(22) Septuaginta fuerant discipuli præter apostolos, qui descenderant in Aegyptum mundi idolatriæ, et ecce, nunc multiplicavit Israel suum spirituale Deus sicut astra cæli. Dum enim Filius tuus, Domine, exaltatus fuisset, omnia traxit ad se<sup>1</sup> diligendo, sed quia huic tractioni non omnis homo correspondet, dum diligentem non diligit et non conglutinatur ei, propterea sua culpa non trahitur. Dum igitur dilectionem peto a te, Deus, gluten illud salutare peto, per quod conglutiner tibi, ut trahentem Salvatorem per dilectionem sequar in humili docilitate, ut tu sis, Domine, unice per ipsum laus mea et Deus meus!

#### [45:] SUPER CAPUT XI.

Nihil frequentius repetit Moses in hac secunda lege, quam præceptum, ut te populus amet Dominum Deum suum (1) observans præcepta tua et cæremonias, judicia atqua mandata omni tempore. Et quotiescumque hoc suminum mandatum repetit, statim <et><sup>a</sup> amoris etiam incitamentum subjungit, (2. 3) signa et magnalia nimirum, quæ fecerat pro populo, enarrans promissiones terræque, quam datus eras, ubertatem fructuumque abundantiam annexens. Hæc fuere amoris tui sensibilia incitamenta, quia supernaturalem charitatem (cujus finis non terrena retributio, sed tumet ipse es, Domine), lex dare non poterat, quia necdum hanc supernaturalis fidei et hinc procedentis dilectionis gratiam Filius tuus promeruerat; ita quidem, ut hinc facile agnoscam, quod nullius promissionis complementum assequi potuerit homo sine dilectione. Visibilia signa, punitiones et sensuales benedictiones ac promissiones fuerunt itaque amoris ex his incitamentis nascentis objecta, sed nisi nobis

<sup>a</sup> Delevit et

<sup>1</sup> Cf. Ioan. 12.32.

charitas omnes sensus excendens<sup>a</sup> et ex fide invisibilium procedens promerita fuisse, sensualitas nostra ad invisibilia objecta quodammodo pervenire nequivisset.

Quoties proinde haec littera legis repetit, toties debet recordari spiritus illorum, quæ tu, Deus, nobis manifestare dignatus es ita, ut amor lege statutus debite tibi charitatis me moneat et promissionum terrestrium memoria mentem ad illa, quæ nobis promisisti, elevet. Prodest meminisse captivitatis Ægypti in recordatione captivitatis et servitutis peccati, ex qua nos eduxit Filii tui charitas ita, ut terræ tam fertilis possessio desiderium terræ viventium et patriæ cœlestis augeat.

Excita, quæso, in me, Domine, horum ferventem memoriam, da tantorum bonorum ardens desiderium hoc salutari tempore, in quo tantorum mysteriorum memoriam celebrat Ecclesia, quæ singulariter magnalia et tam adoranda opera divini legislatoris nostri consideranda exponit. Opera, inquam, tantæ charitatis, quam mors et sanguinis effusio homini promeruit, resurrectio communicavit per fidem, quam Spiritus Sanctus diffudit. Per haec [46:] charitatis opera translatum est cor nostrum eo, ubi est thesaurus noster,<sup>1</sup> possessio et hereditas nostra. Cor Israel carnalis ad proportionatum sensibus suis thesaurum ferebatur, cor Israel spiritualis, in quo per Spiritum Sanctum est diffusa charitas, unde nascitur, illuc redire desiderat et origine sua dignum thesaurum appetit. Nascimur ex Deo, dum renascimur ex aqua et Spiritu Sancto,<sup>2</sup> et ideo eo tendere debemus, unde nati sumus. Ideo Spiritus ad spiritualia bona anhelare debet.

(13) Si ergo obœdierit mandatis, quæ legislator præcipit, ut diligit Deum suum et serviat ei in toto corde et in tota anima, habebit pluviam roris cœlestis gratiarum, temporaneam, id est in cursu vitæ suæ et serotinam, id est, donum finalis perseverantiae, ut colligat fructus terræ hereditatis suæ. Sic igitur te opitulante, Domine, redditur fructifera terra possessionis nostræ seu spiritualis seu temporalis. Sic te adjuvante vincuntur inimici nostri. Propterea subjungit Moyses: (26) Et propono in conspectu vestro hodie benedictionem et maledictionem, (27) maledictionem, si non obœdieritis mandatis Dei vestri, si recesseritis de via, quam ego nunc ostendi vobis, et ambulaveritis post deos alienos, quos ignoratis.

Hæc est, Domine, omnis vis et energia pacti, quod intercessit inter te et populum tuum. Hæ sunt condiciones, per quarum fidelem observantiam possedissent terram, quamdiu cælum terræ imminet, sed quia hæc populus non observavit, justa judicia justitiæ tuæ promeritus est. Denique hæc est fidelitas, quam a nobis hodiecum exigit Legislator noster, Filius tuus, et tam excellentes retributiones hereditatis nobis promissæ obtinere possimus ex justitia, postquam mandata sua adimplere et in viis suis ambulare dederit ex misericordia, quam in te confidentibus et a te in sinceritate cordis patentibus non denegas, quia bonus es et misericors.

Hanc igitur peto a te gratiam, quam ex me habere nequeo; non solummodo, ut bene sit mihi et ut obtineam, quod promisisti, sed præcipue sim fidelis tibi, quia me in hunc finem creasti. Denique, ut separar voluntatem tuam, propter quam faciendam vis, ut vivam. O Deus, miserere itaque mihi, et quem tam pretioso sanguine redemptum esse voluisti, adjuva, ut faciam, quod jussisti. (29) Jubet Moyses ponere benedictionem super montem Garizim, maledictionem super montem Hebal, sed de his

<sup>a</sup> Correxit *excendens ex extendens* (?)

<sup>1</sup> Cf. Matth. 6,21.

<sup>2</sup> Cf. Ioan. 3,5.

meditari amplior erit mox in subsequentibus occasio, ego vero, quod petii, peto et fac me, ne petere cesse! [47:]

## SUPER CAPUT 12.

Quodsi me reflecto, quid sit homini inter corruptos homines vivere et quanta occasio malorum sit societas illorum, non miror, cur Moyses toties moneat populum, ne ad cultum idolorum deflectat omnemque superstitionis cultum vitet, lucos, ligna frondosa excidat, aras subvertat, statuas confringat. (1. 2. 3) Locorum amoenitate sæpe sub innocentis relaxationis specie potuisset invitare populum ad excelsa, frondosa lucosque, et amicitia familiaritasque occasione deambulationum cum idolis regionum contracta illi periculo exposuisset populum, in quod per filias Moab et Madian inductus fuerat.

O Domine, vere lucorum et frondosorum adinstar debet respicere homo Christianus plurimas apparenter innocentes conversationes et etiam licitas animi relaxations. Nihil enim tam exiguum est inter illa, quæ sensibus placent, delectant et distrahunt, quod a te suo modo non retrahit. Si autem illa frequententur, facilime ad adhæsionem (qui cultus est deorum alienorum) inducunt hominem. Non statim delectant illa, quæ a te avocant, nec semper peccaminosa sunt, quæ innocentia dicuntur, et absque dispendio spiritualium exercitiorum fiunt seu sub specie seu ex necessitate relaxationis animi licite fiunt, sed vix bis reiterantur, tertio placent, et vix placere incipiunt, delectant ita, ut animi relaxatio in distractionem et hæc ipsa distractio in delectationem degenerat, delectatio autem negligentias tepiditatesque in spiritualibus et tandem consuetudines adhæsionesque causat. Pondus cupiditatis sensualis trahit hominem ad quærarendam animi relaxationem, quam charitas in te solo reperit, Domine. Prædicta autem cupiditas in sensualibus querit. Hinc quotiescumque homo ad has accedit, a te elongatur et sibi fit propior. Hæc sunt igitur frondosa et luci (quos me sæpe invisere reperio), quos Moyses excidere jubet, ne degenerent in periculosas occasiones idolatriæ. Adjuva me, Domine, et fac, ut me regat charitas, ne me deflectere faciat sensualis cupiditas!

Jam te, Deus, jubente præceperat Moyses populo, ne quis tibi victimas et hostias offerat aut sanguinem animalis ad sacrificium destinati fundat, nisi ad ostium tabernaculi. Sed quia populus in terram sibi [48:] promissam inducendus erat, (11) ne populus credat hoc mandatum peregrinationis solummodo tempus respexisse, denuo præcipit, ut quæ tibi, Domine, offerenda erunt, in locum, quem elegeris, ut sit nomen tuum in illo, comportentur. Præceptum hoc erat bonitatis tuæ erga populum, ut retineretur in omni alienatione et aversione a cultu superstitionis idolorum, quam requisivit puritas cultus tui. Hinc in unum locum convenire præcipitur, ut loci illius retineat continuatam memoriam et cultus uniformitatem observet absque humani ingenii adinventionibus. Quodsi igitur te in omni loco publico cultu coli permisisses et sacrificia offerre ubique licitum fuisse, populus (qui fidem supernaturalem nequid in sua perfectione habuit) facile cultum tuum confudisset sacrificans in locis diis alienis consecratis. Sed dum locum præfixum et lege statutum habuit, simplicissimus quoque scire potuit vetitum esse alibi offerre tibi munera.

Sequela est hujus legis repetitio de non edendo sanguine. Necesse fuit enim explicare te non jubere, Domine, ut omnis omnino etiam ad comedionem occidendi

animalis occisio et sanguinis effusio in eodem loco fiat, sed dum comedibilium animalium ubique permittitur occisio, sanguinis denuo prohiberi debuit mandatio, ne populus crederet illorum tantum animalium sanguinis esum vetitum esse, quorum sanguis extra locum nomini tuo dicatum fundi inhibetur: (23) Sanguis enim eorum pro anima est, et idcirco non debuerunt comedere animam cum carnibus, prout jam haec uberioris relata sunt.

Confirmant haec, quae te adjuvante protuli 30. 31. 32, in quibus Moyses inhibet, ne te, Domine, populus colat, sicut coluerunt gentes deos suos, sed quod praecipit, hoc tantum faciant, nec addant quidquam, nec minuant, et ad hoc erat necessarium subvertere lucos fixumque locum statuere cultui tuo, ne populus imitaretur superstitiones gentium in cultu tibi debito, unde sequentur errores ceremoniarum, quos singulariter expiari jussisti in Levitico. Te suggestente, Domine, tot ac tantis præcautionibus utitur Moyses, ut populum ab idolatria averteret, quod tamen successu temporis nec lex nec pœna et sensibilia flagella tua efficere potuerunt, antequam Serpentis caput contritum fuisset et sanguis effusus promeruissest homini gratiam et vires, quas lex dare non potuit.

Venit itaque tempus, in quo tu, Deus, adoraris ubique in Spiritu et veritate<sup>1</sup> a veris adoratoribus, sed nec amplius humana corruptio inclinatur ad fingendum sibi deos in sculptilibus, sed heu, quam prona est, ut semet [49:] statuat homo pro fine actionum suarum ita, ut a te deflectens convertatur ad se. Et haec est species idolatriæ periculosissima, a qua nonnisi gratia tua, Deus, potest me reddere immunem. Fac me igitur, quæso, deflectere ab omni objecto cupiditatis, ut tu sis objectum meæ charitatis!

#### SUPER CAPUT 13.

Prædictum etiam nobis in evangelio Filius tuus, Domine, futuros falsos prophetas, et fructus ac opera illorum examinare jussit,<sup>2</sup> ut illos discernere possimus; et profecto sub denominatione fructus non solummodo opera, sed præcipue doctrinam intelligi credo ex his, quae Moyses recenset (1. 2. 3). Possunt illi futura prædicere, eventus potest esse prædictionibus conformis, quia temptat seu probat nos Dominus, ut palam fiat, utrum diligamus eum, an non in toto corde et in tota anima nostra. Quapropter non iste est fructus, unde falsus propheta discerni debet. (4. 5) Propheta autem ille aut factor somniorum, qui locutus est, ut nos averteret a Domino Deo nostro ..., ut errare nos faciat de via, quam præcipit Dominus, interficiendus est.

Hoc igitur est verum signum falsi prophetæ, et his taliter consideratis quisque nostrum falsum prophetam in semet ipso reperiet, quem vel maxime timere debet. Prudentiam illam pure humanam intelligo, Domine, quam homini ad ductum vitæ sue ordinandum dedisti. Hic est propheta, qui ad futuros eventus ex combinatione præsentium et præteriorum discernendos datus est nobis, et profecto hujus prædictiones et suggestiones vel maxime examinandæ sunt, quia per hanc prudentiam saepe nos in cursu vitæ nostræ temptari permittis, ut nostra dilectio appareat. Prædictus nobis jam bona, jam mala, quae eventus verificant, invitant ad colendos deos alienos, mundum nempe et carnem, proponit consuetudinem, usum communem, repræsentat modos perveniendi

<sup>1</sup> Cf. Joan. 4,22.

<sup>2</sup> Cf. Matth. 7,15.

ad finem nostrum secundum principia mundana adaptatos, et quam saepe dicit per haec: Eamus et serviamus diis alienis (6. 7) et cunctarum in circuito gentium, quae juxta vel procul sunt ab initio usque ad finem terrae. Et quis modus in his verum a falso discernendi, nisi ille, quem hic Scriptura prescribit, nimirum non considerare eventus, sed examinare, num illa, quae suggestuntur, conformia sunt dilectioni et mandatis tuis, quae custodire precepisti. Sin minus, (8) [50:] non acquiescere non audire, sed nec parcere debemus aut occultare suggestiones prudentiae nostrae, sed statim interficere excutiendo illas ex mente nostra. Sunt in his multa, quae non solummodo propria prudentia, sed etiam amici, parentes et uxores suadere ac representare possent, prout Moses (6) exprimit, sed omnes illi falsorum prophetarum loco habendi sunt, qui nobis preceptis tuis contraria proponunt.

Cetera, quae in hoc capite continentur, in sensu litterali considerata demonstrant bonitatem tuam, Domine, secundum quam facis exponere populo tuo, in quanta attentione procedere debeant in mandatis tuis, nec fratribus nec amicis parcere in illis, quae tuum cultum concernunt. Haec sunt, quae Filius tuus nobis precepit declarans nos debere relinquere patrem, matrem, uxores et filios propter ipsum.<sup>1</sup> Abscondere artus, eruere oculos spiritualiter, quod si scandalisant nos<sup>2</sup>, (17) ne ullum nobis adhæreat anathema, ut avertatur Dominus ab ira furoris sui et misereatur nostri.

Facit bonitas tua, Domine, me agnoscere, quis sit falsus propheta intra<sup>a</sup> me, qui sint falsi prophetae extra me, qui me suggestionibus suis ad cultum falsorum deorum ducere nituntur, sed nisi mihi affuerit gratia tua, non possum praecavere omnes suggestiones, praedictiones et temptationes illorum, nec occidere valeo illos. Miserere mei itaque et adjuva me! Da<sup>b</sup> dilectionis tuae oculos, ut illuminatus numquam obliiscar illorum, quae facere precepisti!

#### SUPER CAPUT 14.

Obmutescit, Domine, ignorantia mea coram profunditate sapientiae tuae, quotiescumque occurrit consideranda lex tua de distinctione mundorum et immundorum animalium. Omnia, quae fecisti, bona esse declarasti.<sup>3</sup> Secundum institutionem creationis omnia pro homine et pro usu ejus produxisti, ille peccavit, et vere per peccatum immundus factus est. Ecce tamen, animalia dicuntur munda et immunda. Scio, o Domine, quod hanc immunditiam non natura, sed lex et legis prævaricatio quodammodo annexit, et si animalia pro victu et usu communis destinata immundis animalibus annumerata fuissent, dixisset hoc statutum fuisse in <s><sup>c</sup> mortificationem sensualitatis, sed præter sues cetera animalia immunda a potiori etiam in regionibus orientalibus tam exotica sunt, ut vix illorum species noscatur. Cur ruminati et ungularum fissura<sup>d</sup> est<sup>e</sup> distinctio in quadrupedibus? Cur squammæ et pinnulæ inter

<sup>a</sup> Correxit *intra ex in*

<sup>b</sup> *Da sc. mihi*

<sup>c</sup> *Delevi s*

<sup>d</sup> Correxit *fissura ex scissura* (vel imverse?)

<sup>e</sup> Correxit *e- ex d-*

<sup>1</sup> Cf. Luc. 18,29.

<sup>2</sup> Cf. Matth. 5,29–30.

<sup>3</sup> Cf. Gen. 1,31.

[51:] pisces et aquatilia disting[ui]unt<sup>a</sup> munda ab immundis? Aves autem nullam genericam distinctionem habent?

O Domine, superant hæc captum meum, fateor, nec ea curiosus investigo, sed mirabilia tua admiror. Sufficit mihi te sic voluisse et præcepisse, ut fierent in finem tibi soli notorum judiciorum, quæ homo in discreta humilitate accedere debet, quæ quandoque vix ut in hac dispositione scrutetur, sed ut plerumque in submissionis silentio adoret.

His simile est mandatum tuum tam sæpe in lege repetitum: Non coques hædum in lacte matris suæ, quod interpres differentibus modis explicant quidem, sed ex tam frequenti repetitione autumo illi longe profundius mysterium inesse. Quodsi enim sensus ille esset, nec fetus cum matre occidatur, hoc mandatum generaliter ad omnem animalium fetum extendi potuisset, sed ubique eisdem verbis ad solum hædum restringitur, quamvis secundum proprietatem linguæ Hebraicæ etiam agnus sub hoc nomine intelligi credatur.

Sit tibi igitur gloria, Domine, ex ignorantia et silentio meo! Confiteor tibi tepiditatem et tedium meum in continuatione meditationum mearum super hunc librum Deuteronomii seu ideo, quia jam plerumque repetita ruminare fastidium generat, seu quia dissipationes meæ sæpe se inter me et te interponentes obtenabrant intellectum meum. Unde novum oritur tædii et tepiditatis argumentum. Exsurge, Domine, adjuva me, ne deficiat virtus mea, quæ sine tuo auxilio virtus dici nequit, sed est arundine levior et flexibilior debilitas!

Omnia, quæ hic ratione decimarum recensentur, sunt manifesti effectus bonitatis tuæ, qui Creator universorum, largitor omnium bonorum es. Ecce, tamen decima bonorum parte contentaris, nec plus tibi dare lege præcipis. Nescio, o Domine, num me felicem quodammodo non auderem dicere, quodsi tibi cunctis diebus vitæ mæ vel saltem hanc decimam præstissem ex operibus meis miser ego, qui tot titulis me et mea omnia tibi debeo. Sed non intres, quæso, in judicium mecum!<sup>1</sup> Ecce enim, judico memet ipsum et invoco te, ut de memet ipso pœnam desumere et me punire valeam. Dum enim me examino, heu, nec millesimam partem operum meorum tribui tibi et fors necdum decimam tibi persolvo. Ita quidem, ut quo tu es erga me liberalior, eo erga te appaream parcior.

Dimitte, quæso, mihi debita mea<sup>2</sup> secundum magnitudinem miserationum tuarum!<sup>3</sup> Da<sup>b</sup> dilectionem et dabis vel maximi debiti persolutionem, quia numquam in hac vita te tantum [52:] diligere valeo, quantum diligere debeo. Sit itaque quæso, mea, quam dedisti, intentio legis persolutio! Juvet me tua misericordia, ut placetur tua justitia!

<sup>a</sup> Supplevi -u-

<sup>b</sup> Da sc mihi

<sup>1</sup> Cf. Ps. 142,2.

<sup>2</sup> Cf. Matth. 6,12

<sup>3</sup> Cf. Ps. 50,3 sim.

Jam tibi rettuli, Domine, quæ mihi tua suppeditavit bonitas circa præceptum anni jubilæi et festa legalia. Quid sanctius? Quid justius? Quid societati humanæ convenientius, quam leges tuæ, quæ gubernium civile populi tui concernunt? Jam observavi hos annos sabbathales, singulariter autem annum jubilæum quandam æqualitatem bonorum inter populum conservasse et pauperes defendisse, ne opprimerentur a divitibus. Conventus totius populi occasione festorum ordinati opportunitates erant firmandarum amicitiarum, sedandarum inimicitiarum, administrandæ justitiæ conservandæque unionis inter tribus, demum (18. cap. 16) instituuntur magistratus et judices in cunctis urbibus, præscribunturque illis breves, sed omnia principia justitiae concernentes regulæ, sed hæc omnia, quæ tua æterna instituerat sapientia, respectu usus subvertit, ut ita dicam, hominum malitia<m>.<sup>a</sup>

Nec tamen ex hoc, nec ex aliis ab annorum millennariis manifestatis exemplis potuerunt differre reges et principes omnia statuta, leges et politicæ regulas non posse continere homines mutabilitati et instabilitati subjectos, nequiverunt, inquam, discere tranquillitatem objectum esse, quam<sup>b</sup> homo semper querit, quia bonam esse agnoscit, sed numquam stabilire potest, quia ad labores condemnatus in hac vita, dum a te, centro suo et ultimo fine deviat, totum cursum vitæ suæ transigit in formando quodam vitioso circulo, qui a semet ipso incipiens reddit ad se, et sic semper elongatus manet a te; se amat, se querit, et numquam quiescit, quia quod obtinuit, fastidit, quod non habet, appetit et querit, obtentum nauseat, et denuo circulum inchoat, et sic desiderando et querendo pervenit ad limites vitæ suæ, quos unicuique præscripsit providentia tua. Hinc lumine tuo illustrata hominis prudentia dum te, Deus, summum bonum verumque finem suum esse agnoscit, labores mundanos pro obtinendo hocce fine suo suscipit, continuat, tolerat, et quia in illis quietem non <repperit><sup>c</sup> querit, se numquam decipit, ac tandem dum ad suæ vitæ periodum pervenit, de fine laborum lætatur.

Scribo hæc pro illis, Domine, qui auditum [53:] habent a te, non mundanis hominibus, a quorum auribus hanc veritatis vicem removet amor proprius, quia surdos reddit illos detestanda sensualitatum cupiditas. Omnes prophanae historiæ hæc, quæ dico, exhibent, sacræ historiæ docent, sed hæc et illæ surdis canunt fabulam, dum tu non das intelligentiam. Quid umquam celeberrimorum legislatorum antiquitatis instituit prudentia, quod Moysi tua non dictavit sapientia? Quid præter scelera tradidit in fabulis et fictionibus præfata antiquitas, quod in populi Hebræi historia respectu mirabilium et portentorum tuorum non exhibuit veritas? Hæc tamen omnia persuadere nequeunt, quanta sit in mundo vanitas et instabilitas, nisi hanc profundam scientiam tua imprimat veritas.

Hæc loquatur igitur mihi,<sup>d</sup> Domine, cunctis diebus vitæ meæ, in omni statu, loco et cursu ejus. Hoc sit objectum unicum verborum et actionum mearum et centrum tranquillitatis meæ æternæ. Quid queram quietem, ubi nemo a tot annorum millennariis reperire potuit eam? Cur fugerem laborem, ad quem omnis homo nascitur,

<sup>a</sup> Delevit m

<sup>b</sup> Correxit quam ex quod (?)

<sup>c</sup> Delevit repperit

<sup>d</sup> Supplevit mihi supra lineam

quid denique in hoc mundo desiderarem, in quo nihil possum retinere? Nudus intra-  
vi in eum, nudus exibo;<sup>1</sup> fac, ut nudus vivam, ut in te nudam, quia simplicem verita-  
tem reperiam et felicem æternitatem obtineam!

#### SUPER CAPUT 17.

Dissipa, Domine, si placitum est tibi, tepiditatem meam, ut cogitare et meditari  
valeam illa, quæ tua sunt, et ne sacrificem tibi victimas maculosas, quas tibi hac lege  
offerri inhibes (1). Pro talibus reproto ego orationes meas, inter quas divagatur mens  
mea occupaturque circa illa, quæ non diligo, nec illis delector, sed tamen illis occu-  
por, distrahor et dissipor, quia illa, quæ tua sunt, neandum cadunt in sensu meos,  
quamvis sint objecta voluntatis meæ, quam ad te allicere dignatus es. Adhuc tamen  
manet insensibilitas in animalitate mea, unde producuntur hostiae maculosæ et indi-  
gna offerri<sup>a</sup> tibi.

O felix naturæ humanæ condicio in eo, quod tibi, Deus, in æternum uniri potest,  
et quod tu sis finis et retributio ejus. O status infelix et misera condicio corruptionis  
meæ, in qua quæ volo, non facio, qua sensus mei non obœdiunt voluntati meæ. Sic  
reperiuntur inter portas meas (2), qui faciunt malum in conspectu tuo, Domine, et  
transgrediuntur [54:] (sensus mei) pactum tuum. Nuntiat mihi hæc gratia tua; audio,  
inquo et verum esse reperio, et fit abominatio in me, sed educere nequeo extra  
portas carnis meæ, qui refragatur mihi, ut lapidem eos. (6) Intellectus et voluntas  
præbent testimonium contra sensus meos, memoria accusat, (7) sed manus non val-  
lent mittere in illos, nec possum auferre hoc malum corruptionis meæ de medio mei.  
(8) Quod difficile et ambiguum est, fero ad sacerdotem tuum et conscientiam meam  
tamquam judices, fero ad tribunal sacramenti tamquam locum, quem elegisti. (9)  
Facio, quod hi judices dicunt et docent me (10) juxta legem tuam, (11) sequor  
sententiam illorum, sed denuo declino.

Hæc sunt, Domine, quæ fiunt, prout dixi, inter portas meas, sed si illa, quæ in hoc  
capite referuntur, extendo ad totam civitatem Ecclesiæ tuæ, reperio mysterium, quo-  
modo Christus, Filius tuus per institutionem sacramenti pænitentiae hanc legem, de  
qua meditor, adimpleverit, et ejus perfectionem nos docuerit tradens sacerdotibus  
suis solvendi et ligandi potestatem.<sup>2</sup> Qui secundum verba Salvatoris legem non  
solutam, sed adimpleteam esse credunt, hanc veritatem manifeste agnoscent, et quæ  
ambigua in se reperiunt, ad judices Levitici generis referunt, ut judicent de illis et  
sequuntur sententiam juxta legem tuam pronuntiatam. Sed et in sensu litterali, quæ  
scribuntur, adimpta sunt.

Postquam enim in præcedenti capite judices inter portas urbium constituti fui-  
sent, hic superiores judices et appellatio ad illos instituitur,<sup>b</sup> et sic tribunal ecclesia-  
sticum prout et sæculare erigitur in persona summi sacerdotis et judicis, qui fuerit  
illo tempore. Judicem hic ego intelligo illum, qui præfuerat toti Israel usque ad  
tempora regum, quos futuros Moyses prædicavit (14) et regibus regulas præscribit, et

<sup>a</sup> Correxit offerri ex offerre

<sup>b</sup> *Judices... et appellatio... instituitur (!)*

<sup>1</sup> Cf. Job 1,21.

<sup>2</sup> Cf. Matth. 18,18.

in hoc sensu connexionem reperiunt illa, quæ primum de judice et demum de regibus referuntur, quorum eadem fuit in judicando functio, sed differens auctoritas et dignitas, prout suo loco uberior explicabitur.

Prima mandata sunt, ut rex constituantur, quem tu elegeris sitque de numero fratribus, et profecto multæ nationes temporaliter feliores fuissent, si has regulas in electionibus regum suorum observassent. Sed jam plerumque, qui ex regum lumbis nascuntur, a te, Domine, ad regendum dari creduntur, et in regnis, in quibus hæc opinio necdum inducta est, magnatum et procerorum superbia mavult exteris obœdiere, quam fratribus. Et propterea [55:] dum humani spiritus dictamina legi tuæ præfert, plurimis inconvenientiis *<et><sup>a</sup>* externi et exotici regiminis subjicitur (16). Alii spem suam in armis et belligeratione collocantes militiam augent, arma circumferunt. Alii per pravam vitam et exempla sua populum in servitutem Aegyptiacam peccati et carnalis vitæ reducunt. Alii posthabita lege Christi vitam ducunt lascivam, adulteriis et fornicationibus plenam (18).

Tu, o Deus, qui corda et renes hominum scrutaris,<sup>1</sup> solus nosti (homines enim noscere non possunt), quis sit regum, qui postquam sederit in solio regni sui, describat legem Regis regum, Dominib<sup>b</sup> dominantium accipiens exemplar a sacerdotibus, (19) et habet secum legitque illud omnibus diebus vitæ suæ, ut discat timere te, Dominum Deum suum, et custodire verba et cæremonias tuas, quæ in lege præceptæ sunt. (20) Tu solus nosti, cuius cor non elevatur super fratres suos in superbiam, qui denique non declinat in partem dextram vel sinistram, externæ enim apparentiæ fastus et mollis vitæ differentia nobis exhibent spectacula, quæ legi tuæ non videntur esse conformia.

Sed tibi competit, Domine, hæc judicare, non mihi, qui si in throno, in quem me elevaveras, permansisse, vanitati et cupiditati deditus et propterea a te juste mihi met ipsi traditus procul dubio omnium deterior factus fuisse. Bonum est ergo et vere bonum est, quod humiliasti me, ut discam justificationes tuas,<sup>2</sup> quas velut pater filium castigans docere dignaris me. Sit ergo meditatio cordis mei in conspectu tuo semper!

#### SUPER CAPUT 18.

Legi, quæ de regibus tamquam pastoribus temporalibus eligendis regulas præscripsit, lex de pastoribus spiritualibus subnexa repetitur, ut hæ duæ spirituales et temporales potestates debere mutuam inter se harmoniam habere demonstretur et unius ac alterius functiones manifestentur. Sæpe dictum est sacerdotes et Levitas partem in Israel non habituros. Sæpe mandatum est, ne aliquid accipient de possessione fratrum suorum, quia Dominus ipse est hereditas illorum (2). Confirmavit et in suo sensu exposuit Filius tuus, Legislator noster hanc legem discipulis suis, sed de communi praxi et observantia ejus quoque illius est judicare, cui omnes homines rationem villicationis suæ reddituri sunt.

<sup>a</sup> Delevit et

<sup>b</sup> Correxit Domini ex Dominum

<sup>1</sup> Cf. Ps. 7,10.

<sup>2</sup> Cf. Ps. 118,71.

Super illa enim, quæ victimas concernunt, jam te adjuvante meditatus sum, et data rettuli tibi. Quæ hic repetuntur, ingressui et possessioni terræ [56:] promissæ magis appropriantur, quia præcedentia universales præscriperant regulas, quarum observantia denuo præcipitur, ne occasione possessionis terræ prædictæ regulæ aboletae esse credantur. Sed postquam lex de ministris tuis loquitur, denuo repetit illa, quæ ad cultum nefarium deorum alienorum referuntur, et repræsentat, quam abominabilia sint in conspectu tuo (10. 11. 12) Unde respectu horum subjungit: (13) Perfectus erit et absque macula. Sed quomodo perfectus et absque macula cum Domino Deo suo, a quo omnis perfectio et puritas. (14) Gentes istæ, quarum possidebis terram, augures et divinos audiunt, tu autem a Domino Deo tuo aliter institutus es.

Potest, non diffiteor, secundum sensum interpretum et versionum hæc expressio, aliter institutum pro expressione aliter instructus sumi. Quodsi tamen institutionem ad statutionem referam, clariorem connexionem repperit cum sequentibus, ac si Scriptura diceret: aliter institutus es,<sup>a</sup> id est, de te aliter statutum est, quia (15) prophetam de gente tua et de fratribus tuis, sicut me, suscitabit tibi Dominus Deus tuus, ipsum audies! Statutum, inquam, seu institutum est, (16) prout petiisti a Domino Deo tuo in Horeb, quando concio congregata est atque dixisti: Ultra non audiam vocem Domini Dei mei et ignem hunc maximum amplius non videbo, ne moriar.

Hæc fuit, o Domine, vox et loquela miseriæ humanæ præsentiam Dei sub specie ignis sustinere non valentis. Vox porro misericordiæ tuæ fuit: (17) Bene omnia sunt locuti. (18) Prophetam suscitabo eis de medio fratribus suorum similem tui (in eo, quod de semine illorum futurus sit secundum carnem), et ponam verba mea in ore ejus (non scribam in tabulis lapideis, sicut scripsi tibi), loqueturque ad eos omnia, quæ præcepero illi.

Hæc est adoranda illa prophetia, quam impletam esse fides nostra agnoscit. Hæc sunt verba, quæ manifestant misericordia consilia tua, cur oportuerit, ut propheta ille, in cuius os posuisti verba tua, esset de gente illorum et de fratribus nostris essetque homo, ut huic unitam præsentiam Dei sustinere posset homo et diligeret in fratre, quem timuerat in igne. Hinc subjungitur: (19) Qui autem verba ejus, quæ loquetur, in nomine meo, audire noluerit, ego ultor ejus exsistam.

Quantæ sunt tenebræ tuæ, quam densum est velum oculorum cordis tui, o gens Hebræa, quod ex his non agnoveris et non agnoscas prophetam, quem e medio fratribus tuorum suscitavit tibi Deus! Cur oportuisset aliud suscitare, præter Moysen, si lex [57:] huic data perfecta fuisset, vel si omnia, quæ Deus instituere decrevit, per hunc legislatorem majori perfectione non eguisserint? Sed quis umquam prophetarum fuit, qui verbis Dei, quæ per Moysem scripta tradidit, conformius docuit, quam ille, qui legem adimplevit,<sup>1</sup> quia illum nemo de peccato arguere potuit nec aliquid præter voluntatem Patris fecit?

Hinc manet super te tremenda illa sententia: (19) Qui autem verba, quæ loquetur in nomine meo, audire noluerit, ego ultor exsistam. Ulcisceris, Domine, super hanc gentem crimen, quod ignorantes commiserunt, sed si tua misericordia non retinuissest tuam justitiam, quoties ego quoque huic sententiæ obnoxius non<sup>b</sup> fuisset et adhuc sum et ero, quia verbum ejus audiens audivi in auribus et non audivi in corde

<sup>a</sup> Supplevit *es* supra lineam

<sup>b</sup> Nota fortasse Hungarismum (*non* Latine spurium)

<sup>1</sup> Cf. Matth. 5,17.

faciens illud! Hos concernit præcipue lex tua, nam pauci sunt, qui auribus audire legem recusent, sed heu, adhuc pauciores, qui audientes illam faciant.

Hæc sunt pauca, sed nervosa verba, quæ de propheta illo clarissime prædixit Moyses, cui per excellentiam hoc nomen convenit. Ne vero verba sua cum subsequentium versum sensu confunderentur, Scriptura de aliis prophetis loquitur, qui populum ducere debebant ad Prophetam illum per excellentiam, de quo præcedentia dicta fuerunt, quem audire debuit Israel, cui testimonium præbuerunt Moyses et omnes prophetæ. Ille autem testimonium præbuit de te, Pater cælestis, et de verbo ac mandatis tuis.

(20. 21. 22) His versibus continetur fundamentum omnium, quæ de missionibus extraordinariis observanda sunt, in quibus signa debent peti et prædictionis veritas ex effectu probari. Hæc, inquam, quæ dicuntur, in illis verbis Salvatoris mei comprehenduntur: Ex fructibus illorum cognoscetis illos.<sup>1</sup> Hinc, qui non legitime mitiuntur, primum examinandi sunt, num in nomine tuo loquantur, num illa, quæ non præcepisti, dicant, num denique prophetiam eventus comprobent. Sed horum omnium summa probatio est, num verbis et mandatis tuis (quæ aeterna sunt) conformat fructus producant. Qui enim verbum tuum prædicant et quod dicunt, sequendo comprobant, quis dubitat illos a te esse, etiamsi eventus prædictiones non probaret? Alioquin et Jonas pro falso propheta haberi potuisset, si ex eventu prædictionis [58:] judicatus fuisse, non ex prædicatione conversionis ad te, verum Deum, et pænitentiæ, quam verbis et operibus prædicavit. Sunt et fuerunt hæretici, qui sine missione ordinaria prædicaverunt evangelium, sed in operibus et extraordinariæ missionis signis semper defecerint, nec nisi incautos seduxerunt.

Da igitur mihi lumen ad quærendum tuum lumen, cum sine tuo lumine nihil sit in homine.<sup>2</sup> Sunt enim etiam in memet ipso falsi prophetæ, quos sine te discernere nequeo. Sunt instinctus, qui sub specie boni malum sugerunt, sunt, qui verbum tuum detorte repræsentare possunt. Defende igitur me, qui verbum tuum meditans his tenebrarum mearum et suggestionum erroribus obnoxius sum, ne quid proferam, quod a te non est, ne quid agam, quod mandatis tuis contrarium est, ut sit tibi laus et gloria ex illis, quæ cogito, scribo et ago!

#### SUPER CAPUT 19.

Sicut justitiæ tuæ proprietas est, Domine, punire nocentes, ita et huic et misericordiæ tuæ convenit salvare innocentias. Et hæc est ratio instituti, de quo hic agitur. Repetit Moyses populo, quæ de urbibus refugii extensus refert, nec tamen hic nec alibi videtur civitates refugii institutas fuisse pro salvandis reis et homicidiis voluntariis ex preconcepto odio aut proposito patratis. Nec proinde patet ignorantia mea, quomodo jura et observantiæ asylorum respectu voluntariorum criminum et nefariorum homicidiorum possunt fundari in lege tua, Domine. Docuit nos Filius tuus condonare injurias, orare pro persecutoribus,<sup>3</sup> ut distinguantur discipuli sui ab ethnicis et sint misericordes, sicut Pater eorum misericors est.<sup>4</sup>

<sup>1</sup> Ex...: Matth. 7.20.

<sup>2</sup> Cf. sequentia *Veni Sancte Spiritus*

<sup>3</sup> Cf. Matth. 5.44.

<sup>4</sup> Cf. Luc. 6.36.

Sed hæc et similia mandata ad particulares vindictas restringit sana doctrina, nec possunt extendi ad judices et magistratus, quibus justitiam exercere competit puniendo crimina non ex ratione vindictæ, sed ex proprietate justitiæ, prout hoc (11. 12. 13) clare præcipitur. Quapropter asylum et locus refugii lege institutus reis deservire nequit, nisi ad tempus, quod requiritur ad cognitionem causæ, num nimirum crimen casu involuntario non<sup>a</sup> acciderit, num illud deliberata malitia non patraverit.

Clarus et obvius est sensus verbi tui hæc præcipientis, [59:] nec explicatione aut meditatione indiget, sed nec instituti nec propositi mei est inquirere aut discutere usum et observantiam asylorum in quibusdam regnis, in quibus detestanda quæque homicidia committentes ecclesiarum et monasteriorum refugii jure gaudere posse prætenduntur et in hac securitatis opinione et fiducia homicidia committere fors parvipendunt. Ego profecto nescio, num criminosos salvare, ne in manus justitiæ incident, saepe non sit opus falsæ misericordiæ, prout condemnare reos, cui non competit, esset actus falsæ justitiæ.

Omnia in ordine et mensura agit Spiritus tuus, Deus, et misericordiam exercet cum justitia, nec hanc separat ab illa. Potest quis dicere ideo se salvare vitam, ut reus agat pænitentiam, sed quis magistratus et judex est, qui tempus ad pænitentiam non concedat, etiamsi in corpus exerceat justitiam? Sed nec actus pænitentiæ longum tempus, sed sincerum dolorem requirit. Sæpius sceleratorum salvata vita majorum criminum fuit occasio, quam pænitentiæ, et quis hominum potest scire, num in æquali morientium numero plures non salventur vitam per supplicium justitiæ finientes, quam in lectulis violentibus morbis afflitti exspirantes, cum primi in sanitate et usu sensuum constituti omnem occasionem habeant se disponendi et ipsummet supplicium in expiationem criminum offerendi, hi autem saepe sensuum, saepe usu mentis destituti, saepe majoribus aut æqualibus, quamvis hominibus ignotis criminibus onerati solis signis dolorem de peccatis aut absolutionis desiderium exprimere creduntur. Est supplicio affectis expiationis occasio ipsius notæ infamiae, quam incurrint, oblatio, ita quidem, quod non dubitem multos esse hominum similis notæ, qui si vitam ex justitiæ sententia finivissent, salvati fuissent, sed ab hac quoquomo do liberati redierunt ad vomitum et æternæ justitiæ tuæ, Deus, incurrerunt penas, quas temporalis justitiæ pœnæ fors evitare potuissent.

Unde videtur adorandæ dispositioni tuæ conformius esse omnia agere in simplicitate Christiana, in conformitate legis tuæ, justitiam agere sinentes in voluntarios homicidas, cum tu expresse jubeas: (13) Ne miserearis ejus et auferes innoxium sanguinem de Israel, ut bene sit tibi! Nam et misericordia habet terminos suos, (14) quos transferre non oportet, prout subjungitur hoc mandatum [60:] priori respectu terminorum, qui separabant funiculos hereditatis seu qui respiciebant repartitiones bonorum terrestrium. Omnia enim hæc fundantur<sup>b</sup> in æterna illa lege tua, quam naturæ impresseras, ut quod nobis fieri nolumus, alteri ne faciamus.

In omnibus igitur, quæ concernunt judicia, ad refrenandam hominum malitiam jubes, (15) ut testes adhibeantur tam in civilibus, quam in criminalibus causis. Nam quamvis nec in pluralitate testium consistat semper veritas, hanc tamen nequit homo consultius investigare, quam per pluralitatem eorum, quos tamen præcipis (18) dili-

<sup>a</sup> Hic et inferius saepe nota Hungarismum (*non* Latine spurium)

<sup>b</sup> Supplevit *fundantur* supra lineam

genter examinare, perscrutari et pœnam talionis exercere in illos, qui falsum<sup>a</sup> testimonium dixisse reperirentur.

Videtur hanc talionis pœnam quodammodo abrogasse legem evangelicam,<sup>1</sup> sed Salvatoris doctrina nullo modo derogat justitiæ tuæ, Domine. Quamvis enim doceat nos parcere inimicis, benefacere maledicentibus,<sup>2</sup> hæc particularis dispositio proximi erga proximum justitiæ et judicum sententiam non tollit, nam magistratibus et potestatem habentibus datus est gladius justitiæ tuæ, non particularibus seu privatis hominibus. Hi itaque condonare tenentur, illi punire obligantur ex ratione officii, unde sequitur, quod respectu judicum lex talionis nunc quoque subsistat.

Hæc sunt, Domine, quæ de hac lege tua te adjuvante adæquate protulisse autumo. Fac, quæso, ne a sano intellectu ejus deviem, dum me justitiam exercere contigerit, ut legi misericordiæ et justitiæ tuæ in vera mensura satisfaciens misericordiæ et justitiæ tuæ præmia obtainere valeam finitis diebus peregrinationis meæ super terram!

#### SUPER CAPUT 20.

Ecce, Domine, divagatur intellectus meus, nec scio, quid referam de hac lege per Moysem promulgata, quæ belli regulis partim contraria, partim conveniens esse videtur. Sacerdotes suo munere funguntur, dum populum ad ponendam spem suam in te cohortantur. Sed quæ est hæc mirabilis loquela, quam duces exercitus proferre jubentur, (5) ut si quis domum ædificavit novam et non habitavit eam, si quis [61:] vineam plantavit et fructum illius necdum gustavit, si quis uxorem desponsavit et necdum accepit eam, (6. 7) revertatur, ne forte moriatur in bello.

Dicunt enim mihi cogitationes meæ, quod satius fuisset similes edicto publico a belligeratione inhibitos nec quidem in castra recipere, quam ex acie, ex conspectu inimici domum reverti jubere. Sacerdotes fiduciam victoriæ in te ponere hortantur populum, duces periculum mortis repræsentantes prudentiam consulere et metu mortis se sub<s>trahere<sup>b</sup> suadent militibus.

Quot fuerunt sæpe millia hominum, qui spectante inimico recesserunt ex acie et retrocessione sua inimicum animare potuerunt? Quomodo duces exercitum ordinare potuerunt, si horum defectum nonnisi instante prælio cognoverunt? Intricata et obscura sunt hæc prudentiæ meæ, fateor, et tibi, Domine, qui vides tenebras ejus, confiteor. Sed dignaris mihi revocare in mentem, quod bella, quæ populus tuus fecit, bella Domini vocentur et longe aliter consideranda sunt, quam bella hominum, quorum regulis et principiis hæc, quæ refero, tam contraria apparent. Largire itaque lumen mihi, Domine, ut quæ mihi Scriptura repræsentat, secundum regulas bellorum tuorum, non secundum dictamen prudentiæ meæ considerem.

Patet itaque in limine, quod illi, qui bella tua ducunt, præprimis omnem suam spem et fiduciam in te, Domino exercituum ponere debeant, et hoc publicatur per sacerdotem. Hujus principii sequela est integer et totalis recessus ab illis, quæ hominem ab adhæsione tua revocant aut inter te et terrena dividunt. Et hujus speciei sunt

<sup>a</sup> Correxit *falsum ex fuscum* (?)

<sup>b</sup> Delevi litteram -s-

<sup>1</sup> Cf. Matth. 5,38 sqq.

<sup>2</sup> Cf. Luc. 6,27-28.

illa, propter quæ hortantur duces, ut ad bella tua ducenda inepti recedant. In bellis tuis enim non militum numerus et robur, non prudentiæ humanæ dictamina et ad regulas ejus instructa acies parit victoriam, sed virtus brachii tui, in qua ductores belli tui confidere debent. Hæc sunt bella, per quæ figurabantur bella militantis Ecclesiæ tuæ super terram, cuius omnis firmitas est verbi et promissionum tuarum invincibilitas. Omnes illi, qui terrestribus bonis adhærent, inepti sunt ad bella tua, et sicut ille, qui ad edictum ducum ex acie recesserunt, inter populum numerari propter recessum non demeruerunt, [62:] ita et illi, qui in Ecclesia tales reperiuntur, comprehenduntur quidem in illa, sed ad tua bella ducenda inhabiles esse censur.

Hæc sunt, quæ paucis verbis docet nos Dux noster exercitus tui dicens: Qui mittit manum suam ad aratum et retro respicit, non est aptus ad regnum cælorum.<sup>1</sup> Hæc veritates docet, inquam, per parabolam vocatorum ad convivium, qui uxores ducentes, juga boum ementes, his et similibus adhæsionibus debiti excusarunt se a convivio.<sup>2</sup> Omnes hi jam instructa acie domum remittunt nec horum recessus turbat ordinem a te institutum nec numerus minuit virtutem nec absentia nutare facit victoriam. Multi enim vocantur ad hoc bellum, pauci eliguntur ad triumphum.<sup>3</sup> Sed præter hos quoque, quos adhæsio ad terrena reddit ineptos, est etiam alia species hominum, quæ a bellis tuis remittitur, qui nimis formidolosi et corde pavido sunt (8), qui quot passus faciunt, tot difficultates et tot timoris argumenta reperiunt, quia in te confidere ignorant suas metientes vires, non tuas considerantes misericordias.

Omnia igitur, quæ de bellis populi tui hoc loco referuntur, in consideratione bellorum tuorum seu tunc seu nunc consideratorum explicantur et magnam examini conscientiæ meæ suppeditant materiam, num de numero illorum non<sup>a</sup> sim, qui inepti ex acie dimittuntur. Militia vita est hominis super terram. Unde duo vexilla erecta video, sub quibus congregatur omnis hominum multitudo in uno castrorum aut, potius dicam, vexillorum crucis signum pictum video, in altero castrorum vexillum respicio, quod diversissimos colores repræsentat et secundum situm sequentium illud vexillum colores mutat et sic oculos attrahit ad aspiciendum, figit ad intuendum, denique allicit ad sequendum. In his castris auro, purpura et gemmis ornata sunt omnia. Aures mulcentur concentibus, corpora curantur dapibus ad cupedium instructis. Risus, tripudia et choreæ resonant, et ludicum exhibent spectaculum. Nullus ex his castris remittitur, qui illa semel ingressus sequitur. Et hæc sunt castra inimicorum crucis [63:] infidelium, idololatrarum et crucem odio habentium.

Converto oculos ad castra ab adverso constituta, et in illis labarum crucis erectum cerno, quod aliis miro fulgore circumdateum splendore videtur, aliis fusco, aliis nigro colore tinctum appetet, ab aliis autem multis oculos delectantibus coloribus circumdateum observatur. Milites horum castrorum respicio, et differens exhibetur mihi spectaculum. Nam alii corpora macilenta vix trahunt et torvis ac austeriis oculis umbrarum <ad><sup>b</sup> instar gradiuntur. Alii vultu et oculis in modestiam compositis incedunt alacres et cordis lætitiam in ipsa facie manifestant, alii extra castra huc et

<sup>a</sup> Nota Hungarismum (*non* Latine spurium)

<sup>b</sup> Delevit *ad*

<sup>1</sup> Cf. Luc. 9,62.

<sup>2</sup> Cf. Luc. 14,16 sqq.

<sup>3</sup> Cf. Matth. 20,16 sim.

illuc vagantur, cursitant, et labarum crucis ex diversis locis respicientes differentes colores vident in illo.

Hæc sunt castra Filii tui, Domine, qui gerunt bella tua signum crucis sequentes. Splendet hæc illis, qui vitam ducunt contemplativam omnibus externis mortificatiōnibus corporis repletam. Miro fulgore circumdatum videtur illis, qui in vita activa currunt, alacriter incedunt in charitate Dei et proximi. Cursitant alii hinc inde et extra castra spatiantur, et hic sunt mundani ac hæretici, quorum aliis crux fusca, aliis nigra, aliis diversi coloris appetet. Hi sunt, qui sibi fingunt laborem in præcepto, vagi et errantes extra castra. Vident colores in cruce, sed lucem veritatis ejus non vident.

Hæc duo castra sibi opposita educuntur et consistunt semper in acie. Inimicorum crucis duxor et princeps Diabolus est. Hi in vexillis suis diversos colores vident, sed nullum fixum objectum habent, quia caro et mundus fingit hos colores. Castra illa dicit Christus et crucem suam exponit illis pro vexillo. Sequaces ejus agnoscunt Christum, respiciunt crucem, sed ex hac instructa acie tamquam ad pugnam inhabiles et inepti remittuntur omnes, qui in vero lumine crucis crucem non sequuntur, quia (sicut dixi) fingunt sibi laborem in præcepto, et ideo domos, vineas et uxores appetunt vel extra castra Ecclesiæ divagantes in adinventionibus suis aberrant, et heu, quam pauci sunt, qui pugnant, et adhuc pauciores, qui victoriā obtinent. Quot sunt, Domine, formidolosi [64:] et corde pavido, qui vires suas, non autem misericordias tuas considerantes horrent ad aspectum crucis? Quot sunt, quibus crux vel fusca vel nigra appetet, et hi ex pusillanimitate nec pugnant, sed a cupiditatibus et a segnitio sua se vinci permittunt?

Reliqua, quæ in hoc capite a v. 10. referuntur, bella populi Israel respiciunt, quæ charitas et lex evangelica respectu effusionis sanguinis humani moderari docuit. Sumus enim omnes fratres in Christo et bella etiam temporalia ex amore justitiæ, non ex vindicta et cupiditate acquirendi ducere debemus. Fecisti me, Domine, sequi castra crucis, exercitum Filii tui. Dedisti me videre fulgorem crucis, animasti ad pugnam. Fac, quæso, ut obtineam victoriā!

#### SUPER CAPUT 21.

Respic me, Domine, et miserere mei!<sup>1</sup> Illumina mentem meam, dispelle tenebras ignorantiae meæ! Hæreo enim, nec in meditatione mea progredi valeo. Quidquid in hac lege refertur de expiatione sanguinis innocentis, videtur respicere generalem illam legem, qua institueras, ut omnis expiatio peccatorum per sanguinem in memoriam fundendi sanguinis effusum fieret, sed particularitates harum cæmoniarum, quæ hic occurunt, explicare nescio, nec possum dicere occisionem vitulae sacrificium fuisse, quia nec in altari nec in loco consueto nec per sacerdotes, ministros sacrificii nec modo præcepto jugulabatur vitula.

Sed nec hoc capio, quid hic de valle aspera et saxosa dicatur, quæ non ubique reperi potuit, ubi hominis occisi cadaver inveniebatur, sed nec appetet institutum fuisse, ut cadaver ex loco, in quo repertum fuit, alio (in vallem nimirum talem, prout

<sup>1</sup> Cf. Ps. 24,16.

designatur) transportaretur. Distantia enim civitatum exinde mensurari debuit, ubi corpus occisi inventum fuit.

Nihil igitur in his discerno propter generalem illam, prout dixi, legem justitiae tuæ, per quam sanguinem humanum sanguine expiare jusseras, et in hac consideratione potuit vitula designare corpus illud peccati, quod tamen jugum peccati numquam portavit per seniores populi Israel occisum. Erat enim anima humana quodammodo tamquam cadaver, propter cuius per peccatum factam occasionem sanguis innocuus effundendus erat in expiationem. (4) Quodsi autem vallis aspera et saxosa secundum textum [65:] Hebræum sumatur pro valle, quæ non arbitur et sementem non recipiet, evidenter Synagogam designabit, in qua occisa est supradicta vitula figurans. Quæ enim vallis asperior et magis petrosa esse potuit Synagoga, in qua verbum suum sementem cælestem Christus tribus annis prædicationis suæ seminavit, sed cecidit super petram et exaruit.<sup>1</sup> Hanc terram ingratam quamvis sanguis irrigaverit, arare et seminare vetitum erat, quia postquam verbum rejecerunt, predicatores verbi conversi sunt ad gentes.

Et hæ sunt, quæ venerunt (6) et lavarunt manus suas super vitulam, quæ in valle percussa est, (7) dicentes: Manus nostræ non effuderunt sanguinem hunc. Quamvis enim gentiles Romani Christum crucifixerint tamquam executores, illi proprie occiderunt, qui clamarunt: Sanguis ejus super nos et super filios nostros.<sup>2</sup> Gentiles vero (8) pænitentiam agentes clamarunt: Propitius esto populo tuo Israel spirituali, quem redemisti, Domine, et ne reputes sanguinem innocentem in medio populi tui; et sic ablatus est ab eis reatus sanguinis (9) et alieni facti sunt ab innocentis cruento. Sic Judæi innocentem Christum tradendo occiderunt, gentiles victimæ sanguinem fuderunt et a sanguine per sanguinem mundati sunt.

Videntur mihi, o Domine, hæc, quæ ecce, te adjuvante protuli, applicabilia esse, sed quæ (10) et sequentes versus referunt, novas tenebras generant in mente mea. Scio, Domine, illa, quæ hic (13. 14. 15) referuntur, non esse legem, sed indulgentiam propter duritiæ cordis populi a Moyse datam, prout Christus revelavit in evangelio.<sup>3</sup> Sed unde Moysi potestas legem solvere, facultatem dare multiplicandi<sup>a</sup> uxores et ad libitum repudiandi? Evangelium dicit ab origine mundi institutum fuisse, ut duo sint in carne una,<sup>4</sup> et propterea hominem patrem et matrem relinquere debere pro uxore,<sup>5</sup> et tamen Moyses hanc legem propter duritiæ cordis solvit. Dicamne ex hoc exemplo posse minus malum admitti pro evitando majori malo aut malum patriari, ut sequatur bonum? Non, non, Domine, absit hæc loquela spiritus humani ab ore meo. Quod enim de natura sua malum est, opponitur veritati tuæ, sed jam de lege meditans rettuli esse mala, quæ de sua natura mala non sunt, sed per ordinem justitiae (lege vetante) mala fiunt, et hoc ordine justitiae indulgente mala esse desinunt.

Statueras, Domine, hunc ordinem, quem Evangelium refert, in prima creatione hominis. Etsi homo non peccasset, fors ille ordo permansisset, sed post pecca-

<sup>a</sup> Correxit multiplicandi ex multiplicanda (?)

<sup>1</sup> Cf. Luc. 8,6.

<sup>2</sup> Sanguis...: Matth. 27,25.

<sup>3</sup> Cf. Matth. 19,8.

<sup>4</sup> Cf. Gen. 2,24.

<sup>5</sup> Cf. Matth. 19,5.

tum ordinis justitiæ tuæ dispensationem subsecutam fuisse ipsa Abrahæ, Jacob exempla [66:] demonstrarunt, et procul dubio hæc sumpsit Moyses pro fundamento indulgentiæ suæ, quam indulgentiam Christus non reprobavit tamquam peccaminosam, sed quia naturam reparavit, ordinem in creatione statutum reduxit, quia ad illum servandum majorem gratiam promeruit, et matrimonium in sacramentum erexit et hinc indissolubilem esse per legem novam sancivit. Ad primævum ordinem justitiæ tuæ reduxit hominem, quem fors ratio multiplicatio-  
nis generis humani turbaverat et indulgentiam duries cordis populi Israel ex-  
egerat.

Tu scis, o Deus, scrutator cordis mei, quod per ordinem justitiæ tuæ non intelligam immutabilem ac æternam legem tuam (cui derogari numquam potest), prout de his sensum meum jam in Levitico rettuli. Sed per illam expressionem ordinis justitiæ illa intelligo, quæ pro ratione gubernii hominum et temporum antea in Synagoga quamvis per legem Moysis præcepta, postmodum in Ecclesia per Spiritum tuum respectu disciplinæ et praxis et statuta et abrogata fuerunt, prout de his jam disseruit mea infirmitas etiam in illo loco Scripturæ, in quo agebatur de differentibus gradibus consanguinitatis, secundum quos ordinabatur matrimonium.

(15) Mysteriosum fuit, Domine, jus primogeniturae, hinc quoque impletum non fuit, Moyses in illo nihil mutavit, sed postquam Unigenitus tuus, primogenitus Matris Virginis benedictionem toti generi humano (reparata natura) obtinuit, hæc quoque lex pure civilis secundum differentem usum regnorum et populorum observatur, ita et filiis dyscolis et inobedientibus secundum illas pœna infligitur.

(22. 23) Explicant, Domine, doctores Ecclesiæ tuæ, Augustinus<sup>1</sup> et Ambrosius<sup>2</sup> hos textus et demonstrant, in quo sensu potuerunt extendi super illum, qui maledictum legis tollens in cruce pependit et mortuus est. Quamvis autem illorum explicationem amplectar, fors licitum est mihi dicere hos textus super illum nullo modo extendi posse, maledictio enim, quæ in (23) super pendente in cruce pronuntiatur, cadit super illum, qui in præcedenti (22) denuntiatur, super hominem nimirum, qui peccans morte plectendus erat et propter commissum peccatum adjudicatus appen-  
sus fuerit in patibulo. Sed ille, qui ex falso testimonio impie judicatus et injuste condemnatus fuit, (quia peccatum non commisit), legis hujus maledictum et senten-  
tiæ nullo modo incurrit.

Si igitur Judæi hanc legem etiam in Salvatorem nostrum extendere præsu-  
munt, necesse nest, ut illum peccasse comprobent, quem de peccato arguere  
[67:] nemo patrum illorum potuit, dum vivens doctrinam suam prædicavit. Illum  
itaque, qui peccata nostra portavit justitia tua, Deus, propter peccata nostra juste  
morti tradidit, sed quia a justitia humana injuste judicatus fuit, maledictum legis  
non tulit, sed sustulit, quia legem adimplevit et generi humano gratiam et salu-  
tem per crucem et in cruce promeruit; cui laus, honor et gloria in sæcula sæcu-  
lorum! Amen!

<sup>1</sup> Cf. Ubi?

<sup>2</sup> Cf. Ubi?

Non, non, Domine, non verbi tui sterilitas, sed mea infirmitas et ignorantia reddit tepidas et tædiosas meditationes meas super hunc librum Deuteronomii. Quamvis enim plerumque ex repetitionibus jam relatorum consistat, cum veritas tua fons sit inexhaudibilis, facundus essem, si veritatem tuam clarius viderem. Quidquid in hoc capite continetur, veritatis tuæ præcipit charitas, quam homo homini tamquam proximo suo præstare tenetur.

Sed, o Domine, in humilitate cordis mei audeo<sup>a</sup> interrogare te: Quid est hoc præceptum? (6) Capio enim secundum sensum interpretum, quod Moyses humanitatem vel potius dicam, mansuetudinem erga volucres et animalia ideo inspirare voluerit, ut quod proximo debetur, eo profundius imprimeret. Sed cur (7) prædictæ mansuetudinis actioni præmium longæ vitæ promittat, hoc est, quod ignoro. Omnia animalia dominus est homo, pro cuius usu sunt creata, animalia silvestria in venatione aut aucupio capere occidereque permisit lex tua, Domine, dummodo sanguis illorum effundatur super terram. Quæ est ergo hujus inhibitionis ratio, ne mater cum filiis capiatur? Unde longæ vitæ meritum, quod promittitur?

Fecit me tua bonitas in his sentire mysterium, me præterire potui ejus inquisitionem. Et, ecce, dignaris me instruere hanc actionem esse effectum mansuetudinis, mitibus autem terræ promissionem promisit Filius tuus,<sup>1</sup> et profecto hoc est, quod hæc lex indicat mansuetudinis exercitium præcipiens et ejus præmium prædicens. Hujus virtutis proprietas est se quodammodo ad omnia animalia extendere et etiam minutissimo vermiculo opitulari velle. Hinc videmus homines ex indole naturali mites ipsismet canibus [68:] ejulantibus suo modo compati nec posse videre occidi animalia, non quod exercitium ejus virtutis hæc exiget, sed ex natura sua secum fert. Hanc itaque virtutem voluit Moyses hac lege familiarem reddere, huic promisit retributionem dicens: Ut bene sit tibi! Nulla enim virtute melius devincitur et in captivatur hominum animus, quam mansuetudine.

Hæc sunt, Domine, quæ ex supracitatis versiculis occurserunt mihi connotanda. Omni momento deficit mea ignorantia et intellectus se perdit in consideratione apparenter exilium, sed procul dubio mysteriosorum.

(9. 10. 11) Ignoro, Domine, cur terram ad plantandam vineam destinatam duplice semine seminare vetitum fuerit, cur lanam et linum misceri prohibeat ad vestitum exinde contexendum, cur denique cum bove et asino licitum non fuerit arare. Aedificor in spirituali sensu patrum, quem his textibus dant, sed non satori illis. Sunt, qui quædam referunt in horum explicationem, ne silentii arguantur, quorum censorem agere non est mei propositi, adhaerere tamen non possum sensui illorum.

Præterivi vers. 7, qui ex horum numero fuerat, quia capere non potui, cur fuerit abominabile coram te, Domine, virum mulieri vel hanc virili ueste indui. Scio intentiones, in quibus hæc practicari possunt, posse pessimas esse, sed in illis casibus ipsamet intentio damnabilis est etiam in propriis vestibus. Sed nec proprias uestes viris et mulieribus instituit Moyses, tu vero, Deus, Creator omnium, expellens primos parentes nostros ex paradiso utrisque tunicas pelliceas dignatus fuisti facere,<sup>2</sup>

<sup>a</sup> Correxit *audeo ex audio*

<sup>1</sup> Cf. Math. 5,4.

<sup>2</sup> Cf. Gen. 3,21.

unde colligere non possumus te formas vestium distinxisse. Verum est inter volatilia multas esse species, in quibus plumarum respectu coloris magna est distinctio inter mares et feminas, inter quadrupedes autem, prout et homines, per corporis externam dispositionem, vultus scilicet lineamenta et membrorum apparentem flacciditatem discrevit natura sexus, sed a quo a statu innocentiae lapsa natura hominem pudorem docuit, num vestitum disreverit, ignoro. Sunt enim hodie quoque nationes, quæ hanc regulam differentiae vestium non observant. Sunt, quæ nudæ incedunt, sed vix ulla natio tam barbara est, quæ pudenda non tegat. Quapropter vestium externam differentiam tantummodo ad decentiam spectare credidisse, si hæc lex occasionem non dedisset amplioris considerationis, cum tuam manifestet abominationem, quæ per [69:] transmutationem vestium incurrebatur sub lege.

Quæ quamvis ita sint, errare tamen non puto, si hoc mandatum ad leges ordinis justitiæ tuæ seu tantummodo disciplinæ rettulero. Vestium enim indifferentia aut mutationis earum libertas multorum occasio esse potuisset. Hæc tamen, quæ hic refero, nullam connexionem reperiunt cum præmemoratis versiculis, quos mea ignorantia (salvo relicto spirituali sensu patrum) aliter explicare nequit, quam quod sint proverbia, quæ significant hominem nihil debere facere, quod sanæ rationi oppositum est. Hæc est, quæ dictat vineam alio semine seminari non debere, vinea enim repetitis fissionibus et graminis quoque intermixti extirpatione indiget, ut succus ejus sit uberior et generosior et ipsa vinea umbra foliorum suorum alia semina crescere et fructus maturescere impediret. Eadem sana ratio dictat bovem asino non debere jungi in arando, nisi enim animali aratro juncta æquales vires habeant, vomerem in recta linea ducere nequeunt, et per consequens ad terram sulcandam inepta sunt. Hæc autem disparitas sensibiliter patet inter bovem et asinum, et mole et viribus corporis inter se distinctissima animalia. Sic lana quoque asperitate sua linum corrodit, sed nec inter se mixta hæc filamentsa sibi cohærent mutuo, in textura vero lanæ filamentum si<c><sup>a</sup> crassius esset, linum corroderet et vicissim linum crassius subtiliorem lanam destrueret aut inæqualitate producta se pariter mutuo rumparent. Linum per humiditatem putrescit, lana humida compacta et inclusa ignem concipit. Hinc sæpe naves incaute et non satis exsiccata lana onustæ conflagrant. Unde clare patet, cur lanam lino miscere rationi consentaneum non sit.

Non quæro igitur in his mysteria. In ceteris autem, quæ in hoc capite continentur, tam clare manifestat se justitia tua, ut explicatione non indigeant. Lauderis itaque, Domine, ex omnibus justitiæ tuæ operibus et legibus, quæ ad conservandum inter creaturas rationales ordinem tam necessariae sunt, ut si justitia cessaret, confundentur omnia et depravata natura omnem humanam societatem destrueret. Hinc sola ratio conservationis generis humani mutuam dilectionem exigit, et hæc dilectio justitiam præscribit. Hanc autem et illam lex naturæ dictat, naturæ lapsæ pravitas corruptit, quia amorem proprium seu cupiditatem cordibus hominum insculpsit. Propterea tam pronus est homo se præferre proximo faciendo sibi bonum, quod altero ex invidia fieri nollet. Sed vice versa ex [70:] hac ipsa ratione corruptionis alteri malum facit, ut sibi procuret imaginarium bonum. Nam omnia detestabilia quoque a corruptione sua delusus plerumque sub specie boni agit unusquisque.

<sup>a</sup> Delevit -c

Illumina me, Domine, inter tot infirmitates et mala naturæ meæ, et fac, ut te diligam in omnibus! Cum enim te dilexero (qui omnibus creatis ines), omnia diligam propter te, prout præcipis.

#### SUPER CAPUT 23.

Ignoraverat lex Moysis, quid sit se castrare et eunuchum facere propter regnum cælorum,<sup>1</sup> sed de<sup>a</sup> illis eunuchis loquitur, quos partibus [hominem]<sup>b</sup> virum constitutis privavit hominum depravatus sensus. Nam hic fuit, qui hominem opera carnis et ex hic præcipue libidinis sectari faciens, cum uxorum, pellicum et concubinarum numerus auctus fuisset, siquidem ipsa carnalitas zelotypiam excitavit, ex servis bello captis eunuchos fieri suasit, cum major mulierum numerus virorum servitio carere vix possit.

Hinc video, Domine, quod postquam peccatum hominis intellectum depravavit, legis naturæ frenum excutiens pro nihilo duxit aliis facere, quod sibi noluisset. Propterea lex quoque, quæ ad fraternalm dilectionem inter populum tuum reducendam data fuerat, ex consequenti abominabiles reddidit coram populo eunuchos excludens illos ex congregacione sua, ut talis actio castrationis per separationem ab Ecclesia redderetur abominabilis in Israel. Sed posteaquam legis spiritualis lator Ecclesiam suam instituisset, eunuchos natos, factos et se propter regnum cælorum castrantes distinxit, omnibus quidem Ecclesiam ingrediendi potestatem fecit, sed postremos per doctrinam et consilium apostoli sui omnibus ceteris statibus prætulit. Nihil est enim, quod hominem angelis similiorem reddat, quam castitas spiritualis castitati corporis conjuncta, cuius populus carnis capax non fuit et propterea lex uxorum pluralitatem et divortium indulserat, sed scortationem eo severius vetuit, quam ut magis odiosam redderet (2) ex scorno natos usque [71:] ad decimam generationem a cœtu fidelium exclusit.

(3. 4. 5. 6) Quodsi Scriptura rationem non adduxisset, cur Ammonitæ et Moabitæ in æternum fuerint exclusi e cœtu populi, ex consequenti illorum, quæ super Genesim de incestu Loth rettuli, credissem hos populos ideo exclusos fuisse, ut repræsentaretur peccati originalis effectum esse exclusionem e cœtu fidelium. Sed textui contraria dicere esset spiritus mei sequi dictamina, cum hanc exclusionem promovererit illis malitia, non autem originis illorum macula.

(7. 8) Persecutus fuit fratrem suum Esau, Idumæi quoque arcebant Israel a transitu per terram suam. Ægypti quoque jugo servitutis affligebant hunc populum, et delere volentes consurrexerunt contra illum. Lex tamen utrosque distingui jubet, quia horum et illorum procedendi modus differens fuit a facto populi Amon et Moab. Tumet ipse condemnaveras populum, ut montem Sehir quadraginta annis circumiret, et quia hanc peregrinationem promeruit populus, Idumæi filiis Israel transitum denegantes executores fuerunt justorum judiciorum tuorum, non peccatores. Afflictus fuit Israel in captivitate sua, sed non ab Ægyptiis, verum a rege, cuius cor

<sup>a</sup> Supplevit *de supra lineam*

<sup>b</sup> Delevit *hominem*, supplevit *virum* in margine

<sup>1</sup> Cf. Matth. 19,12.

pariter ex justis judiciis tuis induraveres, Domine. Ille fuit, qui populum laboribus afflxit. Servi et ministri ejus saepe clamarent ad regem: Dimitte populum, nonne vides, quod tota Ægyptus pereat?<sup>1</sup> Exeunti populo vestes, vasa aurea et argentea mutuarunt,<sup>2</sup> et propterea (8) ingressus horum et Idumæorum in Ecclesiam Dei ad tertiam generationem restringitur.

O Domine, quam victoriosi essent exercitus hodie quoque, (9) si hanc legem tuam egredientes adversus hostes observarent! Ecce enim, non solummodo ab omni malo abstinere tenentur, sed etiam legali impuritate, (10) quamvis involuntaria maculati e castris egredi præcipiuntur.

(10. 11. 12. 13. 14) Magna est munditiae idea, quam hi versus habere jubent filios Israel de sanctitate castrorum, et pro illa vivacius imprimenda diceris, Domine, ambulare in medio castrorum. Hæc repræsentant itaque mihi obligationem meam quoque, in qua semper et ubique ambulare deberem in memoria praesentiæ tuæ et tanta attentione curare spiritualem puritatem, prout [72:] populus carnalis ipsam æternam et carnalem puritatem observare jubetur. Sed, o Domine, ecce, omnie die quam multæ apparent in me fœditates, tu tamen non derelinquis me, quia Filius tuus sanguine suo lavit me et tu vides, quod nolens malum faciam coram te. (11)

Ignorat, Domine, hanc charitatis legem hominum multis prætextibus colorata malitia. Sæpe justitiae larvam assumit vindicta et non desistunt principes persequi illos, a quibus offensi sunt, et quoties mutuus respectus et complacentia hanc (uti dixi) charitatis legem infringat non alieno tantum, sed meo proprio exemplo edoctus sum. Ita quidem, ut quam apud Christianos principes non repperi securitatem refugii, apud Turcas, legis hujus quodammodo religiosores observatores obtinui. Pronus essem et facundus in referendis illis, quæ mecum et cum aliis principibus temporibus meis facta sunt, sed sileat spiritus meus de factis hominum, qui sæpe nesciunt, quid faciunt, dum justa judicia tua tradunt illos sibimet ipsis, et sic assumis illos tamquam flagella, quibus flagellare dignaris alios, quos compellis ad te.

Imputa, Domine, inimicis meis in bonum malum temporale, quod fecerunt mihi, quia hoc malum in bonum meum spirituale et ideo vere reale conversum est; feceruntque mihi bonum, quod non intenderunt facientes malum, quod voluerunt. Quæsiverunt animam meam, quam tu conservare dignatus es, et illis compellentibus tu traxisti illam ad te; et hæc est pars felicitatis meæ. Audeo itaque dicere tibi rogans, ut dimittas mihi debita mea, sicut ego dimisi illis, quod faciunt mihi.<sup>3</sup>

Quo duxisti me, Domine, ut me doceres legem tuam! In terra legem tuam ignorantium et falsum prophetam sectantium! Doces me in multis facere, quæ dederas in solitudine cognoscere. O quam mirabilia sunt judicia tua de me, Deus! Fac me, quæso, facundum in enarrandis illis, in quibus lætatur anima mea! Fac, quæso, ut hæc benedicat tibi semper pro omnibus, quæ fecisti illi! Dilectio homini, qua proximo debita instituit hospitalitatis legem, quapropter profugos et exsules etiam servas, non tantum jubes, ne tradantur, (16) sed ut in pace conserventur, ne contristentur. Acceptat, Domine, bonitas tua oblata hominum, sed in his quoque offerendis [73:] modum et ordinem dignaris præscribere.

<sup>1</sup> Cf. Ex. 10.7.

<sup>2</sup> Cf. Ex. 12.35.

<sup>3</sup> Cf. Matth. 6.12.

(18) Hinc merces prostibuli abominatio est coram te. Quoties fit tamen, quod homines ex inique partis aut injuste ablatis offerentes munera tibi credant his muneribus expiare peccata et sanctificare opera sua! Quidquid igitur de mercede prostibuli etiam ex voto promissum est tibi, respuis, et hinc agnosco esse vota indiscreta, ad quæ servanda non tenetur homo, quamvis (21. 22. 23) votum stricte adimplere jubeas. Obmutescant ad considerationem horum (quæ hic et alibi jam de observatione votorum præcepta sunt) labia iniqua, quæ vota religiosorum tamquam indiscreta condemnant. Quomodo darentur eunuchi, qui se pro regno cælorum castrant, si omne castitatis votum pro indiscreto et per consequens pro non obligante reputaretur? Spiritus igitur humani, non legis tuæ sunt dictamina doctrinæ, quæ condemnant illa, quæ tibi ex spe et firma fiducia auxilii tui promittuntur.

Præterii ex ordine (19) versuum, ut illa, quæ de voto dicuntur, connexionem habent, sed nec aliunde instituti mei esse credo illa tractare, quæ de feneratione docentur in scholis. Sufficit mihi, quod ipsa benedictio, quam promittis, absque usura commodantibus clare me doceat, quid sit perfectius. Illa enim, quæ tantummodo licita (omissis perfectioribus consiliis) facere volunt, sæpius periculum incurunt agendi ex cupiditate magis, quam ex charitate.

Fac me diligere te et proximum, prout jubes! Non amplius inquiram, quid facere debeam, sed quid possim. Nam dilectionis est proprietas semper illa appetere, quæ tibi magis placere credit. Omnes Scripturæ tuæ, Deus, charitatem docent hominem, et hi postremi versus [24. 25] eam exercere instruunt respectu hominis, qui vineam aut agrum proximi ingreditur. Permittitur illi seu sitim seu famem alleviare ex fructibus unius et alterius, non autem falce metere. Jubetur possessori necessitati proximi deservientia non denegare, sed nec peregrino permittitur indulgentia dilectionis abuti. Sic omnia bona communia reddit charitas, quæ pro privatis reputat cupiditas. Felix esset hominum status in terris, si meum et tuum ignoraretur, sed peccatum, quod naturam depravavit, hanc bñorum distinctionem per pravam cupiditatem induxit. Unde charitatem lege [74:] præcipere oportuit, quia illam in corde hominis cupiditas extinxit. Tuum itaque donum est charitas, Deus, quæ ex ratione creaturæ tibi, Creatori debetur et a te ad omnes creaturas diffunditur. Amorem creaturarum postposito<sup>a</sup> Creatore induxit cupiditas, quæ in creaturis, heu, quam sæpe nec umquam fixa divagatur.

Noli me, Domine, tradere illecebris ejus ita, ut his plus adhæream, quam tibi! Nimis enim adjacet condicioni meæ hoc malum, quod concupiscentia causat et insitum est mihi, a quo primus homo prætulit sensualitatem legi tuæ. Da<sup>b</sup> igitur charitatem, ut vincat cupiditatem!

#### SUPER CAPUT 24.

Sisto me coram te, o lumen animæ meæ, Deus, in mensura desiderii, quod dedisti mihi petens<sup>c</sup> lumen tuum ad penetranda arcana Scripturarum tuarum. Memini me

<sup>a</sup> Supplevit primam litteram -t-

<sup>b</sup> Da sc. mihi

<sup>c</sup> Recte: petenti

jam rettulisse de divortio, quæ dignatus es dare mihi, sed ecce, (1. 2. 3. 4) versiculi hujus capitinis dant occasionem hanc materiam denuo meditandi. Scimus, Domine, Filio tuo revelante divortium permisisse Moysen propter duritiem cordis populi,<sup>1</sup> ab initio autem non sic fuisse. Sunt interpretes, qui dicunt hoc indulatum ita considerari debere, sicut consilia, quæ Paulus dat nomine suo, non tuo. Sed magna est inter apostoli consilia et inter hanc, de qua agitur, Moysis legem disparitas. Nam consilia, quæ apostolus tradit, in perfectiorem legis observantiam tendunt, quæ Moyses præcipit, contraria sunt illis, quæ ab initio fuerunt. Quis tamen dicet Moysen prophetam tuum quamvis a se præter ordinationem voluntatemque tuam præcepisse?

Magnum igitur hic latet mysterium, quod ad statum Ecclesiæ militantis refertur et illam ligandi et solvendi potestatem,<sup>2</sup> quam Filius tuus Ecclesiæ dedit, respicit. Verba illa: Quidquid solveritis..., quidquid ligaveritis... etc. non ad peccata solummodo restringuntur, sed ad omne illud, quidquid ab initio fuit usu, non lege tua, Deus, institutum, extenduntur. Non fuit ergo hæc institutio Moysis consilium, non fuit lex legi tuæ contraria, sed indulgentia et dispensatio usus, qui antea differens fuisset secundum ordinem creationis, et in hoc respectu hæc indulgentia Moysis figura fuit [75:] indulgentiæ, cuius potestas Ecclesiæ data est.

Hanc autem, ut eo melius pateret ejus excellentia et amplitudo, voluisti, Domine, figurari in negotio matrimonii indulgens Moysi potestatem ipsam unionem relaxandi, quam eductio Evæ ex latere Adam et ex ipsa sententia hujus primi hominis manifestaverat. Nam hoc ipsum Adæ edictum: Erunt duo in carne una<sup>3</sup> (in statu innocentiae suæ prolatum), propheticum fuit et legem a novo Adam condendam ipsiusque cum Ecclesia sua matrimonium prædixit. In se tamen verbum illud Adæ vigorem legis non retinuit post prævaricationem lapsum ejus, sicut jam de his in præcedentibus scripsi referens sanctorum patriarcharum exemplum. Ad illud statum innocentiae est itaque revocandum illud verbum Salvatoris: Sed antea non fuit sic,<sup>4</sup> quia quam primum homines multiplicari cœperunt super terram, ipsa carnalitas hominum, ipsa cordis durities, quæ in ipso electo populo tuo apparuit, usum, qui in statu innocentiae observandus fuisset, solvit, et hunc usum, quem naturæ corruptio induxit, Moyses lege circumscripsit et circumscriptum legem indulsit a novo Adam reformatum, qui duritiem cordis mutaturus naturamque reparaturus erat.

Prout igitur Moyses in figura usum ordini creationis contrarium indulgendi potestatem habuit, ita manifestat hæc figura Ecclesiam habere potestatem indulgendi in illis, quæ secundum exigentiam perfectionis legis Christi homo facere deberet, sed propter corruptionem naturæ suæ infirmitatem debilitatemque ejus perficere nondum potest. Et quæ sunt hæc, o Domine? Illa profecto, quæ in satisfactionem justitiae tuæ debitam pro peccatis nostris prestare deberemus, sed illa pænitentiæ opera, quæ propter condicione nostræ miseriam facere nequimus, Ecclesia relaxando indulget. Quamvis antea (in primitivis nempe fervoris sæculis) non sic fuerit, status mundi a condito homine ad Christi passionem figura fuit status mundi a reparatione

<sup>1</sup> Cf. Matth. 19,8.

<sup>2</sup> Cf. Matth. 18,18 sim.

<sup>3</sup> Cf. Gen. 2,24.

<sup>4</sup> Cf. Matth. 19,8.

naturæ usque ad consummationem sæculorum (quodsi rerum eventus spiritualibus applicentur).

Sed absit a me, Domine, dicere posse hac indulgentia derogari legi tuæ, cui aliiquid contrarium statuere aut posse aut umquam voluisse Ecclesiam profanum et hæreticum esset dicere. Nam quamvis in impositione [76:] pænitentiæ indulserit, peccatorem a satisfactione omnimode immunem non facit, sed hanc satisfactionem ex proprio affectu juxta sinceritatem pænitentiæ suæ præstandam uniuscujusque conscientiæ reliquit. Hinc graviter errant (et vix potest sincera dici pænitentia illorum), qui sola illa et plerumque tam exili pænitentia, quam confessarii imponunt, tuæ, Deus, justitiæ satisfecisse credunt pro pœna peccato debita, quamvis contritione deleta fuerit culpa.

Videntur hæc aliena esse a materia meditationis versuum, qui de divortio tractant, nisi applicetur figura veritati. In quantum enim Moyses divortium<sup>a</sup> indulsit, auctoritas ejus figura fuit potestatis Ecclesiæ datae ad indulgendum, relaxandum aut restrinendum respectu illorum, quæ antea non ita fuerunt. Legi tamen et præceptis Christi contraria non sunt, et si considerem, in quo spiritu Moyses hæc circa divortium<sup>b</sup> et alibi complura jusserit, quæ a te, Domine, in monte mandata fuisse non dicit, clare reperio illum auctoritate illa legislatoris agere, quam auctoritatem Christus Ecclesiæ suæ promisit et ei Spiritus suum dando reliquit. Moyses ergo, qui plenitudinem hujus Spiritus (quem Christus patiendo Ecclesiæ tuæ promerita est), necdum habuit, divortium<sup>c</sup> lege indulsit, quod Christus ad solum casum adulterii restrixit, quia per sacramentum matrimonii (instituens illud), quod Deus secundum ordinem creationis conjunxerat, denuo univit et hominibus inseparabile fore edixit.<sup>1</sup>

Non meum est, Domine, examinare indulgentias, ad quas pravitas et corruptio hominum occasionem dedit in materia divortii<sup>d</sup>, de quibus illi sibi reddent rationem, qui per falsas aut erroneas expositiones impetrant illas. Multa potest in similibus excusare bona fides in indulgentie, quod enim vitium credulitatis et non sufficientis examinis respicit, judicare et illos de his arguere temerarium esset.

(6. 7) Spiritus totius hujus legis respicit illam universalem œconomiam seu ordinem, quem<sup>e</sup> in gubernio populi tui instituere voluisti, Domine. Omnia, quæ de mola referuntur et in sequenti versu sub pena mortis inhibitentur, eo tendebant, ut omnis populus [77:] tamquam una familia regeretur et mutuam adinvicem dilectionem exerceret. Qui usum molarum manualium ignorant, sensum litteralem hujus textus difficilius penetrabunt, sed dum quis considerat publicorum molendinorum usum necdum ubique extensem esse, sed quamlibet familiam propriæ molæ beneficio ali, facile animadvertiset vere animam seu vitam pignoris loco obtulisse illum, qui usu molarum lapidum ex necessitate se privare adactus fuit; et quia hominem ad tantam egestatem reductum hominum durities sollicitare aut cogere potuisset, ut se in servitatem traderet, propterea sequenti versu 7. sub pena mortis inhibetur questus, quem postposita fraterna charitate carnalitas humana exercere prona fuisset.

<sup>a</sup> Correxit divorcium ex divorsum (cf. fr. divorce?)

<sup>b</sup> Correxit divorcium ex divorsum (cf. fr. divorce?)

<sup>c</sup> Correxit divorcium ex divorsum

<sup>d</sup> Correxit divorcium ex divorsum (cf. fr. divorce?)

<sup>e</sup> Correxit quem ex quam (quæ?)

<sup>1</sup> Cf. Matth. 19,6.

O Domine, quodsi circumisionis externum signum populum tuum carnalem tam exactis dilectionis legibus circumscriptis, quanto exactiorem observantiam non requirit spiritualis regeneratio, quæ Christianos vere efficit fratres, quia omnes adaptantur in filios tuos, Deus. Quot tamen et quanta bella exarserunt suscitanturque et sanguis fratrum funditur, ut fratres in servitutem redigantur. Sub specie publici boni stabilitatis exactionibus omnis substantiæ (et quidem tam necessaria, sicut tunc mola fuerat) vel aufertur a fratre vel ad vendendum adigitur, ut principum et potestatem habentium cupiditati satisfiat!

Parce mihi, Domine; obtestor te per misericordiam tuam, si horum et similium me quoque olim bella ducentem et amplas hereditates possidentem principem reum esse vides. Quamvis enim horum voluntarie commissorum conscius non sim, immunem tamen fuisse nequeo asserere in conspectu tuo, quia legein charitatis tuæ et dilectionis fraternaliæ mea me fecit ignorare malitia, quæ me semper accusat coram te, et ecce, si me exclusa misericordia judicaveris, pereo.

Sunt leges complurium regnorum in Christianitate, quæ plebem in servitutem dominorum redegerunt, et quia civiles leges aut usus voce populorum et unanimi regnicolarum consensu conditas in ordine justitiae tuæ fundatas esse crediderim, illas controvertere non præsumo. Spiritus enim legum illarum vere bonus est, sed praxis ab hoc spiritu aliena multos ducit ad interitum, a quibus ut me segregare velis, te humillime exoro.

(8) Memini, Domine, in præcedentibus adhæsisse<sup>a</sup> opinioni scriptorum, qui Hebraice lepræ plagam [78:] tradunt non fuisse naturalem morbum, et versus citatus cum sequenti (9) hanc sententiam confirmare videtur. Unde ausim dicere, quod plaga lepræ fors appropriata poena fuit fuerit criminis contra dilectionem prixi modis in præcedentibus textibus annotatis commissi aut æmulatione invidiaque in fratrem patrati. Siquidem in exemplum propriam sororem Mariam adduxit Moyses, quæ hujus criminis rea plaga lepræ percussa fuerat. Et quid justius, Domine, quam tali poena punire in fratrem peccantes, quæ a consortio illorum separaret reos et in conspectu fratrum redderet abominabiles, qui aut despiciunt paupertatem fratris aut invidient exaltationem ejus?

Denique quidquid residuum est in hoc capite, exercitium fraternaliæ charitatis præscribit et ad misericordiæ opera erga advenas et pupilos extendit. Quæ omnia dilectio proximi comprehendit. Allegat Moyses incitamentum, ut hanc populus præstaret, (19. 22) nec excellentius adducere potuit, cum populi eliberatio figura fuerit eliberationis nostræ a jugo dæmonis et peccati, et quia hæc eliberatio opus fuit gratuitæ misericordiæ et dilectionis tuæ erga nos, oportet, ut sit exemplum et imitatio dilectionis misericordiæ et gratitudinis nostræ erga fratres, quibus omnia bona reddit communia vera dilectio et ipsa natura lex dictat præstare aliis, quod nobis præstitum fuisse respectu gratulamur aut præstari optaremus.

Da<sup>b</sup> igitur, Domine, posse exercere, quæ respectu dilectionis fraternaliæ et proximi dare dignatus es scire, ne sit mihi periculosior scientia, quam corrumpere posset negligentia ipsa ignorantia, quam tanto tempore fomentavit mea malitia!

<sup>a</sup> Recte: *me adhæsisse*

<sup>b</sup> Da sc. mihi

Adoro, Domine, in omni humilitate cordis mei judicia tua de me, qui mihi jam lumen dare dignaris ad meditandas Scripturas tuas, jam me mihi met ipsi traditum in tenebris ignorantiae meae hærente permittis. Agnosco, o Deus, justa esse, quæ de me decernis; hinc me tibi in simplicitate exhibeo. Loquere mihi, et fac, ut audiam te! Permitte, ut interrogem, quid hoc caput, quod meditandum aggredior, mysterii contineat præter præcepta justitiae et dilectionis, quæ littera docet in (1. 2. 3), in quibus justis justitiae palmarum dari præcipis per Moysem, legoslatorem tuum, peccatoribus penas infligi jubes. Sed pro mensura peccati erit et plagarum modus, ita dumtaxat, ut quadragenarium numerum non excedant, [79:] ne fœde laceretur peccans, quia quamvis peccans, tamen frater est.

Tradidisti, Domine, hanc legem populo, quam ipse met exercere dignaris in homine, in hac ipsa mensura justitiae, quam dilectio tua erga me quoque, peccatorem exercet. Dilectio, dico, Domine, quia plus plagarum a justitia tua mereor, quam a dilectione tua misericordi recipio. Hinc qua mensura metiris, et ego illa mensura metiri debeo erga illos, quos subdidisti mihi, et quidem in illos, qui fratres mei sunt. Cum etiam erga animal laborans (4) qua creaturam tuam hanc legem extendi jubes, nec etiam illud frustratur mercede laboris sui?

Sic manifestat se, o Deus, immensa illa providentia tua erga omnia, quæ creasti, homini subdidisti et voluisti, ut imago et similitudo tua præcesset dominareturque illis<sup>1</sup> et per præstitam tam exactam justitiam dilectionisque curam monstret se imaginem et similitudinem tuam esse. Non est tibi procul dubio cura<sup>a</sup> bos qua talis, sed qua creatura tua, et quamvis hoc animal jugale specialiter ad servitium hominis destinaveris, non sine causa expressum est in lege, ut bovi in area laboranti os non ligetur, ne nimirum frustretur specifice laboris sui mercede, prout Apostolus tuus sensum hujus versus abunde declarat et illis applicat, qui in agro Ecclesiæ tuæ laborant, arant et seminant.<sup>2</sup>

(5. 6. 7. 8. 9) Parce, o Domine, ignorantiae meæ, si balbutire præsumo de his, quæ in citatis textibus reperio, quæ non qua nova lege instituere videtur Moyses, sed tamquam antiquo usu recepta renovare, quia Genes. 38. ex historia Juda et Thamar patet jam tunc receptum fuisse in familia Jacob usum resuscitandi semen fratris sine herede mortui. Nec mirum videtur mihi, quod sub lege naturæ respectu propagantis carnalis hic usus introductus fuerit, cum aliquam speciem dilectionis fraternali etiam post mortem subsistentis præ se ferat, et contra hanc peccans Onam, filius Juda punitus fuit, quia semen fratris invidia ductus suscitare noluit. Hinc ex omni parte consummata fuit malitia ejus et respectu actus et ex ratione intentionis.

Renovavit itaque Moyses per legem antiquum (prout dixi) usum inter populum, qui nonnisi unam familiam representavit, ut fraternalm dilectionem eo fortius stabiliret et ut hereditas terræ, quam possessuri erant, maneret in familiis. Ne autem aliquis huic usui contrariaretur, notam quandam infamiae in poenam lege annexit illis, qui uxorem fratris sine semine mortui ducere nollet. Sed haec lex cessavit, a quo Israel carnalis in Israel spiritualem conversus est, quia major est consideratio here-

<sup>a</sup> Supplevit cura supra lineam

<sup>1</sup> Cf. Gen. 1,26.

<sup>2</sup> Cf. 1 Cor. 9,9 sqq.

ditatis æternæ, quam possessionis bonorum temporalium. Hereditas autem filiorum Dei omnibus æquali jure competit, quia omnes ad eandem possessionem hereditatis vocati sunt charitasque Christi diffusa in cordibus filiorum Dei<sup>1</sup> et Spiritus ejus longe excellentius et strictius unit nos, quam dilectio carnalis univerat populum carnalem.

Sub lege igitur tam spirituali, quæ etiam eunuchos propter regnum cælorum factos<sup>2</sup> sanctificat, hæc carnalis copula et carnale desiderium resuscitationis seminis [80:] fratris sui non tantummodo simpliciter cessavit, sed et lege abolita est. Spiritualiter autem quomodo practicetur in Ecclesia, sanctus tuus, Domine, Augustinus præclare explicat,<sup>3</sup> sed et sequentes versiculi (11. 12) demonstrant, quam stricte inhærebat conservationi generationis carnalis lex carnali populo data. Mulier enim defensioni mariti intenta, quia ex fervore ira virum generandi inhabilem reddere potuisset, tactus pudendorum sub pœna truncationis manus vetitus fuit.

(13. 14. 15) Non quærām, Domine, alia mysteria præter ordinem charitatis proximo debitæ in illis, quæ præscribuntur de mensura et pondere. Hanc æqualitatem præcipit nobis justitia tua, ut eadem mensura metiamur, eodem pondere ponderemus. Instruxit nos hanc legem Salvator noster,<sup>4</sup> quæ in sensu spirituali considerata essentiam continet perfectionis Christianæ quoad dilectionem fraternalm. Sed quæ hic refert Scriptura, credo in litterali sensu sumi debere: (16) Abominatur enim Dominus Deus tuus (dicit lex) hunc, qui facit hæc, et aversatur omnem justitiam.

(17. 18. 19) Quomodo possent, Domine, legere in Scripturis mandata, quæ Moses tam sæpe dat populo de excisione gentium exclusa omni miseratione, quin me reflectam, quanta sit generis humani differentia, quam diversus est modus tuus procedendi cum homine, a quo lex gratiæ data, charitas in cordibus diffusa est.<sup>5</sup> Non restringo hanc reflexionem ad solos populos, qui fidem receperunt, sed secundum quid etiam ad illos, qui fidem quoquomodo abnegarunt. Quot enim bella exarserunt a tempore exoperatæ salutis! Quantis abominationibus provocaverunt homines gladium furoris tui! Et tamen numquam nationum et gentium excidium jussisti facere. Sed nec in ulla historia memini me legisse, quod tales cædes aut extirpationes exercuerit umquam victor populus, qualem facere jussisti populo tuo. Unde apparet, quod sicut populus Israel figura fuit populi spiritualis, quem electurus eras tibi, in latiori sensu potest dici, quod hic idem populus figura fuerit generis humani per legem gratiæ ad salutem vocati. Gentes autem, quas extirpavit, figuraverunt genus humanum tamquam objectum justitiae divinæ in statu, in quo fuit ante præstitam satisfactionem justitiae tuæ, Deus, per sacrificium tam immensi pretii.

Vere enim (si bene perpendo) omnes abominationes, ad quas tam respectu idolatriæ, quam respectu aliorum scelerum deviaverat humanæ naturæ pravitas, quodammodo concentrate fuerant in nationibus, quæ habitabant terram, quam promisisti populo tuo. Et in hac consideratione non fuit figura, sed realitas. Verum pœnae temporalis, per quam punire jusseras gentes illas, fuit levis aliqua demonstratio severtatis justitiae tuæ, quam totum genus humanum promeritum fuerat. Specialem

<sup>1</sup> Cf. Rom. 5,5.

<sup>2</sup> Cf. Matth. 19,12.

<sup>3</sup> In margine *August. com. Faust.* 32 c. 10.

<sup>4</sup> Cf. Matth. 7,2.

<sup>5</sup> Cf. Rom. 5,5.

dederas, Domine, auctoritatem populo tuo, ut exerceat rigorem justitiae tuæ, nam quamvis longo post tempore et Nabuchodonosorem et Cyrum et alias reges tamquam virgas assumpseris ad puniendum et [81:] tuum rebellem populum et alias nationes, neminem tamen tam severe agere jussisti aut permisisti, prout populo Israel agendum ordinaveras. Hinc populus iste specialiter electus agebat in populum a patre suo Noe in Cham maledictum et suæ maledictionis pœnam abominabilibus sceleribus cumulantem.

Hæc sunt, o lumen animæ meæ, Deus, quæ mihi consideranda occurrerunt respectu mandati, quod Moyses præcitat versibus renovavit ad populum. Sed a quo Deus homo factus est et in se assumens maledictum auferret illud, severæ illæ temporales punitiones ablatae sunt, et ideo ex vindicta agere Christiano homini vetitum, persecutiones autem et injurias in patientia ferre mandatum est, hoc est, manifestum signum effusæ charitatis in cordibus nostris.<sup>1</sup> Hujus<sup>a</sup> autem incontestabilis probatio est inimicorum dilectio. Da igitur, Domine, ut hujus præcepti exsecutio sit fidei meæ vera demonstratio!

#### SUPER CAPUT 26.

Dic mihi, o dulcedo cordis mei, Deus, num nobis non<sup>b</sup> contingat, quod per prophetas olim populo tuo exprobrare fecisti, qui præsumentes dicebant semper: Tempum Domini, templum Domini!<sup>2</sup> et negligebant illa, quæ mandaveras. Toties enim dicitur, et nos toties repetimus nobis: populus spiritualis sumus, ad hereditatem spiritualem vocamur, quod ex hac ratione nos ab hac lege, quam meditandum assumo, (1. 2. 3. 4) immunes esse fors non sat attente putemus. In primitiva Christianitate enim hanc legem in usu fuisse legimus, sed fors nec concilia<sup>c</sup> contrarium statuisse reperiemus. Ad solvendas tamen primitias decimasque ministris altarium tuorum solos plebeios et agricultorū obligari credimus. Cum tamen vix sit<sup>d</sup> populus in Europa, qui profiteri non deberet patres suos peregrinos fuisse et sane mirabili conductu providentia tuæ pervenisse ad possessionem bonorum suorum.

Claimant ex cathedris ecclesiastici et ad solutionem decimarum hortantur populum, sed loquela illorum non tantum non exauditur, sed avaritiæ temerariæ attribuitur et in præstandis decimis passim defraudantur, illi autem, qui domini vocantur, ex propria agricultura aut vineis tibi, supremo Domino hoc tributum præstare penitus cessarunt.

Ignoravi, Domine, hanc legem tuam, dum amplas possessiones patrum meorum possedissem, hæc tamen ignorantia non excusavit me coram te, et vere propter hanc solam ingratitudinem, ecce, agnosco te digne et juste abstulisse a me possessiones meas. Possessiones, inquam, quas hodie quoque tam gratuitè dignaris dare hominibus, prout olim populo Israel dederas hereditatem suam. Unde et primitiæ et tertii anni decima juste obveniret pauperibus et sacerdotibus tuis aut, potius dixerim, tibi

<sup>a</sup> Correxit *H-* ex *C-*

<sup>b</sup> Nota Hungarismum (*non* Latine spurium)

<sup>c</sup> Correxit *concilia ex consilia*

<sup>d</sup> Correxit *vix sit ex vixit*

<sup>1</sup> Cf. Rom. 5,5.

<sup>2</sup> *Templum....: Ier. 7,4.*

in persona illorum! Scio, Domine, quod omnia, quæ in hoc capite præcipiuntur, possunt etiam spiritualiter explicari, sed et in litterali sensu intellecta docent nos tibi non tantum spiritualiter debere esse gratos pro bonis spiritualibus, sed etiam ex bonis temporalibus debere partem tribuere sacerdotibus tuis, quorum tu es hereditas, viduis, orphanis et pauperibus, quorum tu particulari modo Pater es, quia per providentiam singularem alis illos et ideo bonis temporalibus [82:] privatos commisisti divitibus alendos. Quæ posset esse efficacior oratio ad impetrandum terræ fructus et bona temporalia, quam si illa peteremus, ut secundum ordinationem tuam ex illis tibi gloriam præstaremus et ex illis per abundantiam charitatis nostræ fratres nostros aleremus.

(5) Hinc etiam Christiano competit pro benedictionibus terræ te deprecari, prout etiam Ecclesia pro abundantia frugum orationes instituit. Quamvis enim alia sit terra melle et lacte fluens,<sup>1</sup> quam nobis promisisti, tu tamen es, qui hanc quoque, per cuius fructus vita temporalis sustentatur, dedisti. Hinc jure merito ex spiritualibus spiritualia, ex temporalibus bonis temporalia debentur dona tibi in signum gratitudinis et in agnitionem dominii tui. Quodsi enim homo jure dominii gaudens a subditis suis in signum dominii decimas et alia tributa exigit, quanto dignius est, ut tu, Dominator Dominus, etiam temporaliter jure supremi dominii non frustreris. Ex his igitur tibi partem non dare aut superbiæ aut avaritiæ instinctus est. Nam etiam in hoc particulari modo distinxisti populum tuum Christianum verum Israel spiritualem, quod præ ceteris nationibus et gentibus terræ huic populo in possessionem et hereditatem temporalem volueris esse repartitam terram, quam possidet, cum in aliis nationibus, quæ veram fidem ignorant, soli reges attribuant sibi dominium terræ nec hereditas hujus transeat a patribus ad filios.

(18) Hunc elegisti igitur, ut sit tibi populus particularis, sicut per Filium tuum locutus es ei, et custodiat omnia præcepta illius (19) et faciat illum excelsiorem cunctis gentibus, quas creavit in laudem et nomen et gloriam suam, et sit populus sanctus Domini Dei sui, sicut locutus est.

Hæc sunt, o Deus salutis meæ, quæ me hodie singulariter docere dignatus es, quæ quondam ignorasse sincere doleo. Peccavi, Domine, peccavi multis modis contra hanc legem tuam, sive illam spiritualiter sive litteraliter considerem. Fac igitur, ut utroque modo edoctus sensum illius sequi valeam illam, si quando in possessionem bonorum temporalium vocaveris me, ut tuum super me dominium omni modo agnoscens faciam mandata tua et operibus monstrem fidelitatem et dilectionem fidei meæ!

#### SUPER CAPUT 27.

Lauderis et exalteris, Deus, ab omnibus creaturis tuis et homo meditans opera misericordiæ et bonitatis tuæ incessanter exaltet te! Quidquid enim legit in Scripturis tuis, demonstrat illi immensum amorem tuum erga hanc creaturam tuam et paternam sollicitudinem, cum qua diriges illum, ne occasionem habeat puniendi prævaricationes ejus. Non suffecit bonitati tuæ legem dare populo in Sinai et pactum facere

<sup>1</sup> Cf. Ex. 3,17.

cum illo, renovasti illud<sup>a</sup> per Deuteronomium in campestribus Moab cum populo novo. Quoties fecisti repræsentari ipsi per Moysem mala, quia subsequentur prævaricationem legis tuæ. Ecce, adhuc instituis, ut erigerentur ingentes lapides, ut lex super illos scripta sit in monumentum pacti, quod pepigisti cum illo (1. 2. 3. 4) sintque, ut ita dicam, testes misericordiæ tuæ et [83:] infidelitatis populi. Hæc signa visibilia exponi ordinaveras oculis carnalis populi, quorum cordibus legem tuam non insculperas.

Nihil tamen obest, quin fuerint figuræ populi tui futuri tamquam lapidum vivorum, ex quibus constructurus eras ædificium spirituale Ecclesiæ tuæ<sup>1</sup>. Lapidum, quos divinus Josue, posteaquam populum in hereditatem suam induxisset, levigavit, dealbavit et super illos legem tuam scripsit. Ita quidem, ut non tantum lateret in cordibus, sed etiam externe manifestaretur in operibus. Hæc est albedo exterior, quam designarunt hi lapides.

Altare porro, quod de saxis (6) informibus et impolitis extrui jusseras, revocat mihi in memoriam illa, quæ jam occasione meditationis similis mandati (quod ad radices montis Sinai dederas) rettuli. Nec igitur hic aliud dicam, quam quod altare hoc figuraverit lapides illos et saxa informia, quæ culter circumcisionis non tanget, ex quibus ædificaturus eras altare, in quo offerretur tibi in veritate holocaustum verum (7) et hostiæ pacificæ. Hoc est, inquam, altare, quod ex cordibus gentilium tamquam saxis informibus et non politis constructurus eras. Illi enim, qui in hoc altari tibi hostias offerunt, vere participant ex oblatis et epulantur coram Domino Deo suo.

Omnia igitur, quæ hic præcipiuntur de erectione calce levigatorum lapidum, de constructione altaris de saxis informibus et impolitis, de repartitione populi in duas partes, ad benedicendum et maledicendum (Levitum cum arca in valle constitutis) eandem veritatem repræsentant sub diversis respectibus.

Sed, o Deus infinitæ misericordiæ, non permitte,<sup>b</sup> quæso, me præterire applicationem circumstantiarum, quæ hic præcipiuntur, sed per Josue transgresso Jordane in signum et monumentum acceptæ possessionis terræ peragendæ erant. Videntur enim mihi respicere statum et stabilimentum Ecclesiæ tuæ, sed de his aliquid determinati proferre necdum potest debilitas mea. Quodsi autem per gratiam tuam ad ceteros libros Scripturarum tuarum meditando pervenero, hæc applicandi petam lumen tuum. Interea tamen etiam proferam illa, ad quæ nunc dignaris elevare mentem meam ex combinatione illorum, quæ jam in pluribus locis rettuli meditans super Genesim.

Dicam itaque hac lege (quam Josue executioni mandare debuit, omnino figuratum fuisse rejectionem Synagogæ et stabilimentum Ecclesiæ. Sed ad clariorem dilucidationem hujus mysterii oportet meminisse Liam in generationibus suis figurasse vetus testamentum et electos tuos ex illo, Zelpham et generationes ejus significasse filios circumcisionis non cordis, sed præputii, qui erant vere servi legis in spiritu servitutis. Rettuli Rachel significasse novum testamentum et Balæ (quæ Rachele citius peperit) designasse baptismum pænitentiæ per generationes suas.

<sup>a</sup> Correxit illud ex illum

<sup>b</sup> Recte: ne permittas!

<sup>1</sup> Cf. 1 Petr. 2,5.

His breviter recapitulatis, ecce, reperio omnem populum Israel secundum hanc legem in duas partes repartitum, et filii ex lumbis Lia et Rachel descendentes jubentur [84:] collocari in Montem Garisim ad benedicendum, filii Zelphæ et Balam ancillarum collocantur super Montem Hebal ad maledicendum. In hoc Monte Hebal (qui designavit Synagogam) eriguntur lapides levigati calce, super quos scribenda erat lex altareque ad sacrificandum, et pronuntiantur maledictiones. In Monte Garisim autem, (qui figuravit Ecclesiam ex vero semine Abrahæ seu carnali seu spirituali, veteris nempe et novi testamenti congregandam), nec lex nec altare Judaicum ponи præcipitur, sed tantum benedictiones pronuntiari jubentur.

Possent hæc explicari etiam in illo sensu, quem ad initium hujus capitinis rettuli. Sed hanc posteriorem explicationem circumstantiis et particularitatibus hujus legis magis applicabilem reperio, siquidem tam claram connexionem habent cum illis, quæ supra Genesim de Lia et de Rachele te, Domine, adjuvante rettuli. Sit igitur tibi laus et gloria ab omnibus, quibus hujus figuræ applicationem tam sensibilem et claram reddideris, prout mihi manifestare dignatus es.

Observavi, Domine, in Monte Hebal Synagogam figurante positos fuisse lapides calce levigatos, super quos scribenda erat lex tua, et quid calcis levigatione sensibilius potest exprimere servilem illum timorem et sepulchra illa dealbata, ex quibus Synagoga constabat. Et si altare, quod hac lege in eodem loco exstrui ordinatur, considero quoque saxa deformia, quæ culter non tetigit, incircumcisæ Judæorum corda significasse agnosco, non corda gentilium, prout inconsiderate rettuli. Quamvis enim mandatum tuum de ædificando altari in Exodo cap. 20. v. 24. 25. gentilium vocationem designasse rettuli, et ex hac causa hic quoque altare lapideum eidem veritati applicui, attentius considerans textuum expressiones ex harum differentia agnosco hæc altaria diversas veritates potuisse designare.

Ibi enim textus sic sonat: Altare de terra facietis mihi... Quodsi altare lapideum defeceris mihi, non ædificabis illud de sectis lapidibus. Si enim levaveris cultrum super eo, polluetur. Sed de altari in Monte Hebal exstruendo taliter præcipit Moyses: (5) Et ædificabis ibi altare Domino Deo tuo de lapidibus, quos ferrum non tetigit, (6) et de saxis informibus et impolitis, et offeres super eo holocausta Domino Deo tuo. Poterat ædificium primi altaris construi vel ex terra molli et tractabili vel ex selectis, dummodo non cultro scissis lapidibus, ut figuraret gentilium docilitatem in amplectenda fide seligendosque vivos lapides, ex quibus construenda foret Ecclesia in incircumcisorum carne, sed aedificatione altaris montis Hebal, omni selectione exclusa informia saxa adhiberi præscribitur, ut saxeæ, informia et incircumcisæ corda Judæorum figurarentur.

Non pudet igitur me retractare, quæ mea protulit insipientia, ut adhæream illis, quæ tuam veritatem lucidius manifestant, in quantum clarius applicantur et me magis satiant, quam illa, quæ ex prima consideratione rettuleram. O Domine, in humilitate cordis mei sentio ego, unde venerit hæc mea ignorantiae loqua. Quot sunt enim menses, a quo tam aridum et insipidum appareat mihi verbum tuum, ut ex illo præter lectionem tepidam et superficialem nullum animæ meæ accedat nutrimentum, quia corporis et naturæ debilitas sæpe me somno opprimit in [85:] vigiliis nocturnis, quæ aliunde tam suaves sunt relaxationes animæ ad te vigilantis et dilectum suum quærentis.

Sed quid dico, Domine, dum hæc debilitati corporis attribuo, quæ robori et viribus ejus attribuenda sunt! His opprimit enim spiritum et tam frequenter triumphat de illo, et vere spiritus sub horum pondere gemere debet, donec vivit in terra. Respice me igitur, Domine, adjuvans, ne debilitetur voluntas, cuius langor<sup>a</sup> manifestat, quanta sit mea infirmitas et quantum frigeat cordis charitas, ex cuius defectu procedit mea ariditas. Hæc refero tibi, quia semper magis et magis deficere timeo, me tamen etiam in his voluntati tuæ subinitto, quia de me hoc solum, quod vis, fieri volo!

#### SUPER CAPUT 28.

Dum benedictiones, quas fidelí populo lex promittit, cum beatitudinibus, quas Filius tuus discipulis suis manifestavit,<sup>1</sup> combinantur, quot sunt, o Domine, hodie quoque Christiani terræ et creaturarum amatores, qui benedictiones Judaicas beatitudinibus nobis revelatis et promissis præferrent, quia quidquid Moyses promittit, homo carnalis intelligit et appetit, quidquid Christus exponit, sensus excedit; hinc benedictiones Judaicas naturali instinctu appetit, beatitudines Christianas eodem ductus instinctu contemnit, quia spiritus beatitudines caro non capit, Moysis autem benedictiones appetere tam prona est.

Et vere quis est homo, qui secus facere posset, si in novam creaturam non fieret et spiritum non reciperet, qui illa, quæ Spiritus sunt, desiderare solet. Realis est igitur regeneratio, sine qua Christianus adhuc judaizat. Tam necessaria est suimet ipsius abnegatio, sine qua Moysis, non Christi est homo discipulus. Renascitur homo per harum veritatum intelligentiam, adolescit per earum dilectionem, perficitur per proxim, denique apprehendit perseverando beatitudinem, quam querit diligendo. Nova creatura est itaque homo, dum fide intelligit se creatum esse pro Deo et ideo se indignum esse, quidquid Deus non est, dum considerat se filium Dei esse et per consequens ad hereditatem filiorum vocatum retributionem servorum veteris legis contemnere debere, in hanc tamen excelsam qualitatem Spiritum assumptum esse, carnem autem et corpus adhuc sub sententia mortis remansisse et ideo vitam terrenam appetere ac in illis, quæ sensuum sunt, delectari, quia propter corruptionem suam nullius alterius beatitudinis capax est. Hinc timet [homo]<sup>b</sup> destructionem suam et nimis durum videtur converti in pulverem.

Non dico, o Domine, quod hæc caro sentiat per se, est enim massa hujus intelligentiae incapax. Sed hæc sentit homo animalis, homo vetus, qui ex carne et sanguine nascitur, et quis est ille, nisi qui primi hominis adinstar plus amat se, quam mandatum tuum, Deus? Ille est, qui judaizat [86:] in Christianitate, in quantum Moysis benedictiones præfert beatitudinibus a Christo manifestatis.

Dum hæc taliter considero, Domine, semper sensibilior evadit ratio, cur et quomodo Christianus debeat regenerari ex aqua et Spiritu Sancto,<sup>2</sup> ut fiat in novam creaturam capacem hujus intelligentiae et scientiae vere spiritualis, et in hoc consistit omnis virtus passionis redemptionisque Christi et reparationis nostræ. Hæc est infi-

<sup>a</sup> Sic!

<sup>b</sup> Delevit homo

<sup>1</sup> Cf. Matth. 5,3 sqq.

<sup>2</sup> Cf. Ioan. 3,5.

niti pretii gratia, per quam fit nostra recreatio et regeneratio ex Deo Patre per Christum in fide a Spiritu Sancto data. Hanc infantiam spiritualem sequitur adolescentia, quia quo plus crescit in fide homo, eo plus illuminatur; quo autem plus illuminatur, eo plus noscit veritatem objectorum fidei. Quo autem plus noscit, eo plus diligit, et quo plus diligit, eo magis vellet facere mandata, et in hac dispositione perseverando apprehendit, quod quæsivit diligendo.

Hinc eluescit, o Domine, quod non detur vera apprehensio, nisi per dilectionem. Hanc volens instituere Moyses per promissionem bonorum terrestrium et benedictiones his proportionatas mandavit, ut servarent mandata tua propter promissionem assequendam. Et hic fuit status servilis et mercenariorum. Propterea non ex lege ejus salus et apprehensio, nisi illorum, quæ fuerunt objecta dilectionis filiorum legis. Hæc autem fuerunt bona et benedictiones terrestres primo loco, et propter has assequandas amabaritis, Domine.

Hinc iterum repeto, quod lex terrestria apprehendere potuerit, sed ad te, Deum ducere litteram ejus sequentes non potuit. (12) Promittit Moyses te, Domine, apertum thesaurum tuum optimum cælum, sed non ut sit habitaculum illorum, sed tantum, ut det pluvias in tempore suo<sup>1</sup> terræ illorum. Denique omnes terrenas benedictiones concludit (13) promissione gloriæ pariter terrestris dicens: Constituet te Dominus in caput et non in caudam, et eris semper supra et non subter, si tamen audieris mandata Domini Dei tui, quæ ego præcipio tibi hodie et custodieris et feceris.

Nihil humana sensualitas desiderare potest, quod non continetur in his, quæ Moyses promittit per hæc, quæ in hoc capite recensentur, sed e contra nihil homo imaginari potest, quod sit horribilius, quam quæ in maledictionibus continentur. Quodsi populus audire noluerit legem tuam, Domine, ut appareat æqualitas tuæ justitiae, in contemptoribus tuæ misericordiae, et ut hujus bonitas tantum alliciat, quantum illius severitas terrore replet; et sic hæc et illa contineat mercenarius, donec adaptarentur in filios et per regenerationem purgaretur sensualitas, ut capaces efficerentur te, Deum qua Patrem diligere in spiritu et adorare in veritate.<sup>2</sup> Nemo est, qui agnoscere nequeat adimptionem maledictionum, quæ hic recensentur, in populo prævaricatore legis tuæ, nisi illi soli, qui in statu afflictionis suæ oculos habent et non vident ita, ut cordis illorum cæcitas sit evidentissimum signum reprobationis tuæ in illis. Quidni igitur pro instructione nostra scripta sunt, quæ in Scripturis tuis continentur, ut sint in veram [87:] alimoniam fidei nostræ, ut nimirum ex illis, quæ completa sunt, videamus et quæ futura sunt, credere discamus. Agnoscamus, Domine, justitiam judiciorum tuorum in populo, pro quo tam mirabilia fecisti, quæ illis per hos quinque libros Moysis pariter constare voluisti, et profecto timore ac tremore repleri deberemus considerantes, quantæ rationi reddendæ obnoxii simus, dum fidem nostram per meditationem horum nutrire negligimus.

Auge igitur famem animæ meæ, ut eo plus appetat panem hunc fidei suæ! Satia famem, ne dificiat in via, ut ex fame et satietate diligit misericordias, timeat judicia tua!

<sup>1</sup> Cf. Levit. 26,3.

<sup>2</sup> Cf. Ioan. 4,22.

Magnus es, Domine, et laudabilis nimis ex omnibus operibus misericordiae et justitiæ tuæ. Non sufficit bonitati tuæ fœdus et pactum inire ad radices montis Sinai, sed posteaquam quadraginta annorum peregrinatione punitum populum purgasses, ecce, cum novo populo denuo fœdus inire dignaris, et sic operibus justitiæ iterum succedunt magnalia bonitatis<sup>a</sup> tuæ. In tam longa peregrinatione nonnisi illi mortui fuerant, qui ad arma tractanda apti ad radices montis connumerati sunt. Hinc potuit Moyses dicere: (1. 2) Vos vidistis, quæ fecit Dominus etc., et ex prævaricatione patrum suorum hoc quoque videre poterant, (4) quod non dederit illis Dominus cor intelligens et oculos videntes et aures, quæ possunt audire usque in præsentem diem.

Non audeo, Domine, inquirere scrutarique arcana secretorum tuorum et metiri abyssum magnam nimis consiliorum tuorum. Quis sum ego, ut te interrogem, cur tanta et tam excelsa feceris, et cor ad intelligendum, oculos ad videndum, aures ad audiendum populo tuo ad illum usque diem non dederis? Justus es enim, Domine, et judicia tua æquitas. Dominus es, nihil homini debes. Das enim, cui dare dignaris. Quod Israel carnali promisisti, dedisti. Intelligentiam cordis te lege promisisse non reperio, hinc populum illum semper prævaricatorem, semper fluctuantem conspicio. Hinc omnia, quæ fecisti, pro nobis (quibus intelligentiam cordis dare dignatus es) facta fuisse agnosco, non pro illis, quos tantum umbrarum (veritatum, quas nobis revelasti), feceras participes. Sed nec lex data fuerat, ut populus intelligeret corde, sed ut per fidelitatem observantiæ ejus ad intelligentiam duceretur, quam ille, qui venturus erat, dare potuit, et ut daret, venturus erat.

Hæc declaratio igitur Moysis manifestare debuit servis legis naturæ cæcitatem, quæ illa quoque, quæ homo carnalibus oculis vidit, spiritualibus fidei oculis videre nequivit, nec quæ de operibus tuis, o Deus, aure audivit, auditu cordis audire potuit. Hanc tamen cæcitatem suam agnoscere potuissent, ut illum, qui venturus erat, ardentius desiderassent. Et hoc fuit consilium tuum de populo, hæc fuit illi gratia sufficiens, quam dedit misericordia, quamvis respectu totius populi efficacem gratiam non superaddideris ad ferventer desiderandum, quia non habuerunt cor intelligens, oculos videntes, aures audientes.

Omnia hæc manifestant mihi, Domine, imperfectionem legis, obscuritatem fidei, defectum charitatis populi electi, ut esset peculium præ cunctis [88:] ceteris nationibus, quæ te, Deum non neverunt vocati, non autem electi ad hereditatem filiorum fidei. Obscuritatem præcitatæ verba Moysis clare enuntiant. Quid enim est cor intelligens, nisi cor firmiter credens? Quid oculus videns, nisi fide veritatem discernens? Quid auris audiens, nisi fides docilis? Sed quæ major docilitas, quam charitas! Haec autem, Domine, quæ tunc necdum dederas, non exegisti a populo tuo, juste tamen punivisti, dum nec illa crediderunt, quæ viderunt, portenta oculis carneis sensibilia, humano intellectui subjecta, auditui proportionata.

Hæc sunt, quæ Moyses subnectit (5. 6. 7. 8) adhortans, (9) ut custodiant verba pacti in fidelitate implentes ea, ut intelligent universa, quæ faciunt, et hæc denuo-

<sup>a</sup> Supplevit *bonitatis* supra lineam (subter erasum: *justitie*)

clare explicant finem legis fuisse intelligentiam seu fidem vivam, et per consequens salutem effectum fidei esse, non legis, prout docet Apostolus.<sup>1</sup>

Tam sollemniter publicata lex et inita pacta, prout in sequentibus (10. 11. 12. 13. 14. 15) recensetur, toties repetita beneficiorum tuorum memoria (16) denuo relata tamquam frenum debuissent restringere maxillas populi, ne abominationes, quæ (17. 18. 19) referuntur, incurrat. Quidquid enim Moyses (20. 21) de uno solum homine dicit, de toto populo intelligere videtur ex consideratione versus 25., sed et ipsa terra, cui imminentes plagas (22. 23) prædictit, non litteraliter, sed figuraliter sumenda est pro terra, in qua semen<sup>2</sup> legis tuæ, Domine, fructificare debuisset. Nam plagæ, quas minatur Moyses, non in regione Palæstinæ impleta sunt, sed in terra cordis populi prævaricatoris.

Duæ quippe sunt proprietates, quæ omnibus Judæis (quos hodie dispersos vide-mus) convenient: zelus scilicet litteralis intelligentiae Scripturarum et avaritia. Et profecto ille tamquam sulphur, hæc tamquam sal ardore comburit terram cordis eorum ita, ut ultra non seratur, nec virens quidpiam germinet præ oculis tuis, Domine, in exemplum ita, ut dicant omnes gentes: (24) Quare sic fecit Dominus terræ huic, quæ est hæc ira furoris ejus immensa? Et quis est, qui non respondeat: (25) Quia dereliquerunt pactum Domini.

(26. 27. 28) Hæc fiunt, Domine, quæ prædictit Moyses nos (gentilium posteritates) dicturos. Hæc fuerunt (29) abscondita Domino Deo nostro, id est, pro Domino Deo nostro, Filio tuo, ut reddat manifesta nobis et filiis nostris usque in sempiternum, ut faciamus universa verba legis hujus, quam ille solus implere potuit et ad illam implendam nobis gratiam adeptus est. Non quærarim, Domine, ego alium sensum horum postremi versus verborum. Iste enim, quem te illuminante profero, cum præcedentibus combinatus litteralis est et obvius, sapidus autem et dulcis animæ meæ, cuius fidem hoc ferculo nutrita sentio et profunditatem arcanorum verbi tui adorans diligo!

#### SUPER CAPUT 30.

Loquor tibi, Domine, in effusione cordis mei, quia tu non judicas, sicut homines, et vides in corde meo non esse mihi in animo aliis contrariari vel novitates proferre, sed in simplicitate cordis mei enarrare mirabilia tua. Observaveram in Genesi ternis vicibus apparuisse te Abrahamo, et toties promissiones tuas repetuisse ad illum, diversitatesque apparitionum tuarum dederunt occasionem distinguere mysteria promissionum. Quo igitur plus considero mirabilia tua, quæ fecisti in semine Abrahæ, eo plus confirmor in [89:] veritatibus per Apostolum manifestatis, quod nimirum illud fit oliva, nos, gentiles oleaster, quod amputaveris ramos, ut nos in truncum insereres, quod denique postquam multitudo gentium intraverit in Ecclesiam, Judæi quoque intrabunt illam,<sup>3</sup> et ferme communem credo esse opinionem, quod hi per prædicationem Henoch et Eliæ convertentur.

<sup>1</sup> Cf. Rom. 4,16.

<sup>2</sup> Cf. Matth. 13,3–9.

<sup>3</sup> Cf. Rom. 11,17–24.

In his principiis meditando ergo opera tua in semine Abrahæ video, quo multi textus Scripturarum, qui communiter spiritualiter explicantur, suo tempore litteraliter implebuntur, sed hæc finis sæculorum revelabit. Non est enim nostrum scire tempora.<sup>1</sup> Memini me fecisse reflexiones in præcedentibus, quomodo hodie quoque appareat in ipsa reprobatione et dispersione character populi tui in Judeis. Quæ fecisti cum illis secundum justa judicia tua, serviunt instructioni nostræ, sed etiam illa, quæ nobiscum facis, pro instructione illorum erunt in futuris temporibus. Nam non minor est depravatio, infidelitas et prævaricatio populi Christiani, quam fuit populi Hebræi, quia si veritates nobis revelatas, gratias promeritas et datas considero, juste criminiosior potest esse vita nostra in conspectu tuo, quam fuerit vita illorum, qui non habuerunt cor intelligens, oculos videntes et aures audientes. Quodsi enim ad sculptilium et falsorum deorum cultum adinstar illorum non convertimur, hoc quoque non nostræ fidelitati, sed effectui virtutis victoriae Filii tui de Serpente obtentæ attribuendum est. Nam idolatriæ, amoris proprii ventris et bonorum mundi semper sumus obnoxii et illam sæpissime incurrimus, dum a vero fine nostro deficientes ad nos conversi illis plus, quam tibi adhæremus. Etiam in reprobatione nostra itaque verificabuntur promissiones tuæ respectu infallibilitatis et stabilitatis Ecclesiæ tuæ, quia sicut illa ab origine mundi suam contigitatem retinuit, ita usque ad consummationem sæculi continuabit. Et prout illam a Judeis ad gentiles Christianos factos transtulisti, ita per agnitionem veræ fidei et veritatum ejus (a potiori loquendo) transferre poterit ab his ad illos. Hanc enim justitiam universalis corrumpio et abominationes nostræ vere promerentur.

His taliter consideratis videntur mihi hujus capitinis primi versus (1. 2. 3. 4. 5. 6) concernere conversionem populi tui ad te futuram, postquam in toto mundo fuerit publicatum evangelium et recepta fuerit fides et ex auditu, et tandem prout fidem de gente in gentem in tribus mundi partibus translatam esse vidimus, tandem transfertur ad Judeos, dum circumcisum fuerit cor illorum. Quanvis enim hi textus citati de reductione et congregatione illorum posset intelligi de captivitatibus et reductionibus jam factis, in hoc sensu ad litteram explicari nequeunt. Numquam fuit enim generalis dispersio illorum per totum mundum, sed tantummodo per certas partes Asiæ, sed nec circumcisio cordis fuit perfecta, antequam circumcisio carnis fuisset ablata. Et fors propterea etiam sancti veteris testamenti durante lege et circumcisione legali captivi detinebantur in limbo (cum omnia clausa fuerint sub peccato) usque ad impletionem legis per Christum.

Præcitos versus igitur ad illam universalem reductionem Judæorum refero, per quam auferetur velum a cordibus illorum, et hæc explicatio connexionem habet cum præcedentis capitinis ultimo versu, cuius tam difficultis est intelligentia.

Sed reliquos versus hujus capititis a septimo usque ad finem dicam respicere statum [90:] mutationum, quæ contigerunt usque ad finalem dispersionem gentis et excidium Jerusalem. Nec mirabor, cur novissima prioribus preponantur, quia sic conveniebat fieri, ut præcedentis capititis prædictiones (nimirum quid dicent gentes plagas populi videntes) continuentur in hoc capite et respiciunt tempus, (1) cum venerint super populum omnes sermones isti, quos videlicet jam enarravit Moyses, benedictio et maledictio, quam proposuit et ductus pænitudine cordis in universis

<sup>1</sup> Cf. Act. I,7.

gentibus, in quas dispersit te Dominus Deus tuus (inquit ille) (2) et reversus fueris ad eum et obœdieris ejus imperiis, sicut ego hodie præcipio tibi cum filiis tuis in toto corde tuo et in tota anima.

Non connectit hic propheta imperia tua, Domine, cum judiciis et cæremoniis, prout mox in subsequenti parte prophetiae faciet et hactenus semper fecisse observavi, et hoc quoque manifestat hæc, quæ referuntur, designare tempora, in quibus cæremoniæ et judicia legis Mosaicæ cessabunt, sed obœdientia imperiis tuis, Domine, in toto corde et in tota anima debita non cessabit umquam. Postquam igitur primis sex versibus præcedentis capituli prophetia concluditur, in (7) reassumuntur illa, quæ fœdus (quod in possessionem terræ pactum fuerat), concernunt. (10) Si nimirum audierit populus vocem Domini Dei sui et audierit præcepta ejus et cæremonias, quæ in lege scripta sunt, (11) hoc mandatum, quod ego præcipio tibi hodie (inquit Moyses), non supra te est, (14) sed juxta est sermo valde in ore tuo et in corde tuo, ut facias illum. Præcipit denuo, (16) ut diligat Dominum Deum suum populus et ambulet in viis ejus et custodiat mandata ac cæremonias et judicia.

Sed quis finis horum? Ut vivat et multiplicetur benedicatque ei Deus in terram, in quam ingressurus erat possidendum. Profecto mandatum, quod Moyses præcepit, non erat super ipsum, sed promissio ex lege non nisi ad prædicta bona terrestria ducebatur, et hæc denuo demonstrant legem salvare non potuisse, sed nec ad hoc datam fuisse, ut salvaret, sed (sicut jam sæpe dictum est) ad Salvatorum duceret. Cum igitur et promissiones legis sensuales et opera, quæ lex præscripsit, hujus sortis fuerint, potuit Moyses dicere: Mandatum, quod præcepit populo, non supra se esse, nec procul positum, (12. 13) nec in cælo nec trans mare, quia sicut jam dictum est, et mandata et promissiones captui humano subjecta fuerunt. Sed hoc ipsum, quod causa fidelitatis esse debuisse, occasio fuit prævaricationis, quia sicut humanorum sensuum objectum stabile esse nequit, ita et humana desideria continuae mutationi subjecta sunt. Hinc nec in ipso sensualium bonorum usu fidelis permansit populus, quia sensus novitates desiderantes a mandatis defecerunt, et nec status populi tui, Israel spiritualis absimilis fuisset, si mandata, quæ dedisti, bona, quæ promisisti, Deus, non fuissent supra nos, prout sunt illa, in quorum fidem intellectum incaptivare, sensum coercere debemus, quæ si quidem naturalibus viribus fieri nequeunt, ideo semper tuo auxilio indigemus, ut tibi fideles permaneamus.

Sed hoc quoque clarum est, quod dum supernaturalium objectorum fidem impri- mire dignaris, Domine, nos super nosmet ipsos elevas, et dum sensus per vivam repræsentationem fidei allicere dignaris, ad illorum desiderium, nisi obscuretur fides, non deficit desiderium illorum, ad quæ in hac vita pervenire nequit homo. Hinc sensuum custodia et propterea continua vigilancia tam necessaria est nobis, ne ad illa, quæ prope nos sunt, deficiamus et de cælestibus ad terrena descendamus. Quæ objecta fidei supernaturalis semper obscuriora reddunt et nos in exsequendis mandatis tepidiores [91:] faciunt, fidem populi tui visibilibus miraculis et portentis fulciebas, Domine, sed nec promissiones captum excedebar, nec legis mandata strictam sensuum mortificationem præcipiebar. Hinc non fuerant super illos (seu, ut dixi, super captum illorum) seu in cælo seu trans mare.

Unde quia in his sensus libere divagabantur, facile concipio, quomodo lex per se sancta peccatum multiplicavit, dum sensus per supernaturalia objecta non continuuit. (17) Taliter exposuit igitur Moyses vitam et bonum, e contrario autem mortem et malum, (16) ut te, Deum suum diligat populus et custodiat mandata tua ac cæremo-

nias atque judicia, ut vivat atque multiplicetur benedicasque illi in terra, ad quam ingressurus erat possidendum. (19) Testes invoco (ait Moyses) cælum et terram, quod proposuerim vobis benedictionem et maledictionem. Elige ergo vitam, ut<sup>a</sup> et tu vivas et semen tuum! Populus tuus fuit, Domine, electus et peculium tuum, ad quem loquitur, sed sine maledictione esse non potuit, quæ figura fuit maledictionis, sub qua totum genus humanum gemebat usque ad eliberationem suam a maledicto, quod benedictus portavit et moriens pro salute nostra maledictum legis sustulit, et filiis tuis, Deus, benedictionem gratiæ impetravit.

Hæc sunt, Domine, sacra passionis ejus memoræ dedicata tempora, in quibus adimpletae sunt veritates, quæ in his quinque libris Moysis præfigurantur. Adjuva, o Domine, infirmitatem meam, ut enarrare valeam mirabilia tua! Magnus es enim et mirabilis nimis.

#### SUPER CAPITA 31., 32., 33.. 34.

Deficit, Domine, infirmitas mea, et ecce, desunt verba ab ore meo, nam in his, quæ Moyses ad populum loquitur, omnia litteraliter intelligi debere credo. Sunt enim prædictiones, quarum impletionem his postremis temporibus patefecit nobis justitia tua, quam exercuisti in populum tibi rebellem; et profecto nonnisi misericordiæ tuæ est effectus, quod illa ipsa judicia necdum exerceas in populum, quem elegisti tibi. Sint igitur judiciis tuis relicta, num hæc, quæ Moyses prædictit et adimplenta sunt, non sint etiam figuræ in fine temporum adimplendæ respectu potioritatis Israel tui spiritualis, qui in tantum deficit in carnalitatem.

Quid est iniquitatis, quod populus fecit, quod non facimus? Quodsi enim (repeto) ad cultum deorum alienorum et simulacrorum non deficimus, hanc fidelitatem quoque, quam in confessione veræ fidei quoquomodo observamus, non nobis, sed virtuti effusi sanguinis et destructioni regni Satanæ debemus. Nam etiam in ipsa praxi religionis nostræ sanctæ longe plures sunt, qui sensibilia objecta querunt (quæ quidem non reprobo), quam qui illis secundum spiritum Ecclesiæ tuæ utuntur. Sed tibi, Domine, scrutatori renum et cordium sit de his relictum judicium, quia non aliorum censorem agere volo, sed meum, qui me multis infidelitatibus et tot defectibus plenum reperio.

Prævidisti et, ecce, toties prædicti fecisti populo tuo futuras infidelitates et abominationes ejus, et hæc nobis scripta remanere voluisti, ut in illorum exemplo velut in speculo videamus vultum nativitatis nostræ. Introduxisti nos, Domine, in terram Ecclesiæ tuæ bonam valde, debellasti inimicos visibles, potestates mundi, quæ oppugnabant eam, et hæc omnia perfecit divinus Josue, Spiritus nimirum Filii tui, postequam ipse divinus Moyses ascenderat Montem Habarim, id est, transitum, ut oculis carnalibus populi sui [92:] quodammodo moreretur transiens ad Patrem. Nam in illo sensu, in quo mors transitus dicitur, Christum transeuntem ad Patrem suum corporeis oculis mortuum esse dico, et secundum hanc considerationem agnosco per Josue figuratum fuisse Spiritum suum, qui introduxit, stabilivit et firmavit populum in terra fidei Ecclesiæ suæ lac et mel fluente.<sup>1</sup>

<sup>a</sup> Supplevit ut supra lineam

<sup>1</sup> Cf. Ex. 3,17 etc.

Sed nescio, Domine, quid loquor. Illumina insipientiam meam, ecce enim, balbutio coram te puer tuus. Da verba, ut enarrem, quae adhuc tamquam e longinquo video, sed discernere nequeo. Repelle, o Domine, fumum et vapores mendaciorum vanitatumque exsurgentes in mente mea! Distrahunt enim me et a meditando avocant.

Ex combinatione illorum, quae hactenus te adjuvante super Exodum et reliquos libros Moysis scripsi, hunc prophetam figuram fuisse prophetæ magni Legislatoris nostri divini repperi, et in generalibus figuris repræsentasse illa, quæ Christus, Salvator noster facturus erat in eliberatione generis humani. Agnosco etiam Josue non alium repræsentasse respectu eventuum particularium stabilimenti Ecclesiæ militantis per propagationem religionis. Dum ergo combino hoc capituli 32. versu 44: Venit ergo Moyses, et locutus est omnia verba cantici hujus, (quod prædictiones prævaricationum populi, omnia mala ventura super eum et reprobationem ejus continet) in auribus populi, ipse et Josue, filius Num, (44) complevitque omnes sermones istos loquens ad universum Israel, (25) et dixit ad eos: Ponite corda vestra in omnia verba, quæ ego testificor vobis hodie, ut mandetis ea filiis vestris custodire et facere et implere universa, quæ scripta sunt in volumine legis hujus. Dum, inquam, combino hæc cum illis, quæ Lucas evangelista cap. 24. v. 44. refert de divino Moyse nostro dicente ad apostolos suos: Hæc sunt verba, quæ locutus sum ad vos, cum adhuc essem vobiscum, quoniam necesse est impleri omnia, quæ scripta sunt in lege Moysis et prophetis et psalmis de me, et dum considero sequentes versus iam citati capituli 32. libri hujus et de his denuo transgredior ad illa, quæ supradictus evangelista refert Actuum cap. 1. v. 8: Accipietis virtutem supervenientis Spiritus Sancti in vos, et eritis mihi testes in Jerusalem et in omni Iudea et Samaria et usque ad ultimum terræ, et Josue et prophetas et justos hunc Spiritum figurasse video, qui gubernat et gubernabit Ecclesiam usque ad consummationem sæculi.

Moyses finitis verbis præcati Cantici ascendit in montem et transiit ad patres suos, Christus quoque elevatus est et ascendit ad Patrem suum. Per Moysem publicata lex cessare debuit; homo fuit, deliquit, legem naturæ moriendo implere debuit. Christi lex et verba manent in æternum, qui vivit in æternum. Devicta morte glorificatus ipsammet legem naturæ, mortem nempe per resurrectionem destruxit. Hinc per unum solum hominem non amplius figurari potuit in lege veteri, sed per omnes prophetas et justos, legis Dei zelatores figurabatur Spiritus, zelator voluntatis Patris sui, et prædicebatur, ut qui illum venturum non agnoscerent, in judiciis tuis, Deus, inexcusabiles essent, et in illum venturum creditum spes adventusque ejus desiderium cresceret, et per eventum temporalium per prophetas factas prædictiones veritatis confirmarentur.

Huc spectant igitur etiam et benedictiones et prædictiones Moysis de cunctis tribubus factæ, quas nos quoque respexisse non dubito in sensu illo spirituali, in quo duodecim apostoli Christi per duodecim tribus Israel figurabantur et pro filiis apostolorum reputandæ sunt gentes, quas apostoli per universam terram dispersi per prædictiones suas generunt tibi, Domine. In quantum igitur benedictiones Moysis respectu tribuum impletæ [93:] verbis ejus præbuerunt testimonium, fidem prophetiarum stabiliverunt, erant panis et alimentum illorum, qui sub lege vixerunt et veritatum impletionem exspectarunt. In quantum autem benedictiones et prædictiones Moysis tempora nostra respicere potuerunt, sunt data pro alimonia et excitanda dilectione fortificandaque fide nostra.

Sed, Domine, quis sum ego, ut illarum prophetiarum adimpletionem respectu apostolorum combinem? Relinquo itaque hæc me sapientioribus et in historiis versatioribus habens aliunde tam innumera argumenta diligendi te et adorandi magnalia tua, qui aperuisti os parvuli tui ad eloquenda illa, quæ in his 5 libris Moysis contineri cum magna spirituali consolatione repperi.

Tibi sint, o Deus, attributa omnia, quæ veritati tuæ consona reperiuntur in Scriptis meis! Hæc autem, sicut in principio, ita et in fine doctrinæ sacrosanctæ Ecclesiæ orthodoxæ, apostolicæ, Romanæ subjicio. Parce, o Domine, defectibus, ignorantiae et tepiditatibus meis! Præter hæc enim nihil tibi ex me exhibere valeo. Dignatus fueras vocare me ad meditationem mirabilium tuorum in Scripturis, prout recensui, audivit servus tuus verba tua<sup>1</sup> in dispositione, in qua me vidisti et illam me melius nosti.

Trado igitur denuo me tibi. Fac me audire vocem tuam, dum me vocare dignatus fueris ad continuationem meditationis Scripturarum tuarum! Ne repellas me a facie tua, Domine, et ne tradas me frivilis et vanis temporis dissipationibus in hoc felici otio rerum mundanarum, a quarum tractatione me elongatum tenes, ut comparem alimoniam pro tempore famis spiritualis, quæ mihi ingruere posset, si placitum foret tibi denuo onerare me occupationibus status mei, quas nec peto a te quamquam mihi desiderabilia, sed nec ab illis (quantumcumque onerosis et periculosis) immunis esse volo, si meus labor convenient gloriæ tuæ. Cum enim vocans me<sup>a</sup> secutus fuero te, portabis me et sub umbra alarum tuarum proteges me.<sup>2</sup> Tuus volo esse, non meus, et ideo opus tuum desidero facere in his diebus peregrinationis meæ super terram, donec pervenero ad felicem illam patriam, in qua cupio in æternum diligens laudare te. Amen!

<sup>a</sup> Recte: *te vocantem* vel sim.

<sup>1</sup> Cf. 1 Reg. 3,9.10.

<sup>2</sup> Cf. Ps. 16,8.

# [1<sup>r</sup>:] MEDITATIONES DU PRINCE RAKOCZY<sup>a</sup> ANNI 1723.

## MEDITATIO 1<sup>a</sup>. DE ANNO SPIRITALI

Disposuisti, Domine, in creatione machinæ universi signa et luminaria in firmamento<sup>1</sup> in illis immensis spatiis quoque, quæ cœlos vocamus, ut essent homini in signa et tempora,<sup>2</sup> illorumque circularis revolutio deserviat homini ad partitionem temporis faciendam in administratione œconomiae tuæ sublunaris. Et propterea fors haec fuit prima scientia, circa quam homines se occuparant, ut astrorum motus observarent; et quia sensibilem illam diei ac noctis revolutionem pro tota natura et animalium quoque vita regulanda disposuisti, conveniebat, ut homo haberet magis extensas limitationes temporis, cum illi sint datae tales facultates, per quas præterita, præsentia et futura combinare debet in operibus suis. Sol<is><sup>b</sup> itaque per ortum et occasum suum visibilem dies regulavit, luna hos dies in menses [1<sup>v</sup>:] repartitur per mutationis suæ visibilia signa; hos autem menses, quos lunæ cursus tam sensibiliter designat, alio non minus visibili modo sol repartitur. Quis enim est hominum, qui non advertat solem in differenti loco hemisphærii oriri in æstate et in hieme, et per consequens cursu præter-propter sex variationum lunarium quodammodo progredi oriendo et sex aliis lunationibus reverti?

Hæc sunt enim naturalis astronomiae principia, quæ stationum diversitatem ipsi naturæ indicant, et propterea etiam animalibus ex illius naturæ instinctu sunt nota. Exactiorem mensuram temporis accuratiores observationes motuum, perfectiones instrumentorum, denique cursus temporum patefecerunt, et secundum has observationes accommodata et mutata annorum initia confuderunt chronologicas supputationes. Annualis revolutio itaque per æquinoctia<sup>c</sup> bipartitur, et hujus medietatis pars quælibet per solsticia dividitur, quæ vegetationi finem imponunt, et sic per harum stationum anni revolutionem secundum quid omnia nascuntur, crescunt, maturescunt et moriuntur iterumque vegetantur, et in hoc sensu renascuntur.

Admiranda et adoranda mihi est, Domine, hæc [2<sup>r</sup>:] admirabilis harmonia, quam instituisti inter illas machinas et inter terrestria seu sublunaria corpora, quæ tam admirabili modo concurrunt ad regulanda tempora totius naturæ; et his variationibus corpus hominis quoque subjectum est. Hinc quolibet anno moritur homo secundum quid, et iterum vegetando secundum quid renascitur; sed quamvis annuales revolutiones hunc effectum producant, non est tam sensibilis hic effectus in anima viventi, quæ sensitiva vocatur, sicut est in anima, quæ vegetativa appellatur: plantarum nimirum et arborum, nam omnis mutatio annualis in horum colore, flore, fructu et

<sup>a</sup> du Prince Rakoczy: addit alia manus litteris minoribus inter lineam primam et secundam tituli originalis. Eadem continuat in margine dextro: *Cet Exemplaire vient de la bibliothèque des Camaldules de Grosbois.*

<sup>b</sup> Delevit -is

<sup>c</sup> Correxit ex æquinostia

<sup>1</sup> Cf. Gen. 1,14.

<sup>2</sup> Cf. Gen. 1,14.

marcescentia appetet; sed mutationes considerabiles in animalibus et hominibus quatibus septem anni pro uno computati producunt.

Sed prætero, o vita animæ meæ, Deus, considerare ista, quæ hanc miseram verum escam, hoc corpus semper moriens, semper tamen in me vivens concernunt, in quantum vivendo moritur, sed in quantum animæ meæ lang[u]ores,<sup>a</sup> infirmitates et tædia producit; et quam sæpe produxit hoc præterito anno, jam tibi, Domine, confessus sum, et in hac consideratione annualis revolutionis examen ex vite spiritualis profectu et defectu erui debet. [2<sup>v</sup>:] Sola regeneratio, vegetatio, fructificatio spiritus consideranda sunt homini Christiano, et sola mors hujus metuenda, quia quæ corporis sunt, suo sibi designato a natura volvuntur motu, et mortem corporis evadere velle insani hominis esset. Sed tu, o Deus, vita animæ,<sup>b</sup> ita ordinasti, ut vitæ huius conservatio et a te et ab homine dependeat et ideo utriusque operationem requirat.

O Deus, audeamne dicere, quod tua bonitas quamvis ex gratuita misericordia salvet hominem, ita tamen repartita<sup>c</sup> sit salutis opus inter te et inter hominem, ut nec tu, Domine, invitum hominem et te non diligentem salves, sed nec ille te diligere possit sine te. De dilectione loquor, quia dilectio omnia bona opera comprehendit et sine illa nullum opus salutiferum est, et quia animæ mors et vita dilectione dependet.

Motus ille, quem tu, Domine, seu naturæ impressisti in creatione, seu in illa semper novum motum producis, conservat vegetatque naturam, et hunc ipsum effectum præstat charitas in anima respectu salutis. Ille motus in natura facit, ut nihil pereat nec destruatur respectu naturæ, quia corruptio unius est generatio alterius; et hinc ipsa mors naturalis non est nisi mutatio formæ, et charitas idem efficit respectu (fors improprie, sed expressive loquar) naturæ spiritualis, [3<sup>r</sup>:] quia si quis motu et impulsione charitatis agit omnia, convertuntur in bonum. Motu, dico, et impulsione, sed hæc impulsio non est violentatio, sed suavis nimis, deliciosa ac jucunda operatio; et hoc ipsum exprimit vita mea naturalis. Motus enim aeris elasticus impellit ad attrahendum aerem pulmones, et hi spiritus animales ad agendum, sed hic motus non est cogens et violentus, sed suavis, quia naturæ gratus et intrinsecus, et sic operatur etiam charitas habitualis in anima justi motum illum et impulsionem, quam<sup>d</sup> gratia tua, Deus, habitualis et sanctificans reddit quodammodo naturalem et intimum naturæ spirituali, de qua loquar, aut potius loqui vellem, si exprimere scirem sensus, quos adhuc plus sentire peto a te, quam eloqui posse. Vere, o Domine, charitas, quæ tumet ipse es<t>,<sup>e</sup> est itaque motrix animæ producens motum, vegetationem, crescentiam, maturitatem in natura spirituali hominis, ita ut ariditas quoque ab illius decrescentia proveniat; et hæc sunt tamquam diversæ stationes anni spiritualis, et profecto ex his componuntur anni vitæ meæ, quæ vera vita est, et sine qua vita hominis vitalis mors est. Habent hi anni vitæ spiritualis ver, habent æstatem, autumnum et hiemem duram, aridam algentemque.

[3<sup>v</sup>:] Nimis et sic nec in cursu anni spiritualis homo in eodem statu permanet;<sup>f</sup> sed confundor, Domine, in his, et prætero distinguere motum illum universalem in

<sup>a</sup> Littera u supra lineam suppleta

<sup>b</sup> animæ sc. meæ

<sup>c</sup> Recte repartitum

<sup>d</sup> quam intimum!

<sup>e</sup> Delevit litteram r

<sup>f</sup> Cf. lob. 14,2.

natura, per quem movetur universi machina, a motu solis, qui diversitatem stationum anni efficit. Motus enim ille primus semper æqualis et regularis est in natura corporea, qui et solem movet, sed sol per suam orbitam currens producit diversitatem predictarum stationum. Oblitus sum igitur dicere æterna decreta tua esse solem vitæ spiritualis, quæ varietates stationum producunt in anno vitæ hujus. Prout enim sol respectu sui numquam occidit nec oritur, sed in suo cursu permanet, ita nec tua decreta mutantur, quamvis respectu nostri oriri et occidere videantur, dies noctesque efficiunt, in quibus jam videmus, jam in tenebris ambulamus. Dispositio terræ respectu solis causat hujus apparentem ortum et occasum, qui discernunt diem et noctem, et sic etiam dispositio naturæ humanæ causat, quod eventus præsentes sint dies, quia illos clare videmus, eventus autem futuri sunt noctes, in quibus objecta non discernuntur. Sed nec obscuritatem hujus noctis destituisti lumine, quod est tamquam luna confidentiæ in te, sed est lumen quodammodo variabile, quia crescit et decrescit secundum diversitatem situs solis, [4<sup>r</sup>:] quem tua decreta esse dixi. Crescit, inquam, et decrescit hæc confidentia secundum mensuram gratiarum tuarum, per quas in lumine majori vel minori hujus confidentiæ ambulat homo in nocte futurorum eventuum. Ambulat, dico, in cogitationibus et prævisionibus suis, in quibus fiducia in bonitate tua debet esse luminis loco homini in illis discernendis, ad quæ prudentia humana non sufficit; et hoc lumen lumen suum recipit ab æternis decretis tuis, sicut luna a sole.

Possem, Domine, te adjuvante extendere has reflexiones, et in cursu hujus anni spiritualis solstitia, æquinoctia,<sup>a</sup> menses, denique signa et tempora reperire, sed a[b]revio<sup>b</sup> has applicationes petendo a te ad initium anni hujus naturalis, ut me ducere velis in hoc anno spirituali per differentes stationes hujus secundum beneplacitum tuum, dummodo me exacte observare facias signa et tempora, quæ mihi observanda sunt in cursu vitæ meæ spiritualis. Nihil, inquam, peto, Domine, nisi quod de me decrevisti et quod mihi dare resolvisti in mensura et in tempore, quo placitum est tibi.

#### [4<sup>v</sup>:] MEDITATIO 2<sup>a</sup>.

#### QUOD HOMO AD LABORES SIT CONDEMNATUS IN HAC VITA. DUM QUIETEM QUÆRIT, AB ORDINATIONE CREATORIS RECEDIT

Juste condemnasti, Deus, hominem, ut in sudore vultus sui vescatur pane<sup>1</sup> suo, quia peccavit, et illum excellentem statum, in quo creaveras illum, mutavit in servitutem. Hinc fit, quod tota vita ejus servitus sit; et quis est, qui non servit vel sibi vel tibi, Domine? Ambit homo dignitates, divitias, mundi voluptates, pervenit ad thrones et ad coronas, possidet divitias, fruitur omnibus deliciis. Num ad hæc pervenit, num his utitur absque labore? Non certe, quia et illi, qui reges nascuntur, in regendo laborant, et quia numquam absque desiderio sunt, ut quod desiderant, obtineant, laborem continuant. Quid dicam de aliis, qui alta ambient; et profecto in omni statu vitæ civilis nonnisi labores reperio, et quis est omnium horum laborum fructus? Vere

<sup>a</sup> Correxit ex æquinoxia (?)

<sup>b</sup> Delevit primam litteram *b*, correxi ex *abbrevio*

<sup>1</sup> Cf. Gen. 3,19.

quod seminant et metunt:<sup>1</sup> seminant vanitates, metunt et colligunt illas, et quia se querunt, se reperiunt, et dum vita transit, perit labor filiorum mundi cum ipsis. Omnis igitur [5r:] hominum multitudo sequitur in laborando sententiam tuam, sed plerique aberrant a fine ordinationis suæ, quia non laborant secundum dispositionem tuam, sed laborant, ut quietem, quam sibi in fruitione illorum, quæ desiderant, proponunt, reperiant, et sic de novo deviant a te, quia ubi laborem querere deberent, quietem desiderant, et illa, in quibus plus quietis reperirent, pro majori labore reputantes fugiunt. Hic est ille stupendus corruptionis naturæ humanæ effectus et tam miseranda cæcitas, ita ut oculos habeat<sup>a</sup> homo et non videt,<sup>2</sup> intellectum habet et non intelligit.

O fides, lumen rationis humanæ, quam pretiosum donum Dei es, quia sine te ratio in homine delirium et insania est, in quantum hominem a vero bono ad falsum et a Deo ad se deflectere facit. Quis insanum non diceret hominem, qui pretiosarum gemmarum adinstar colligeret lutum et stercora in thesaurum et arcas condenda, tam respectu laboris, quo illa colligeret, quam ratione æstimationis, in qua illa haberet? Cur igitur pro talibus non reputamus omnes, qui vana, inutilia querunt et sibi æternos thesauros comparare omittunt, nisi quia deficimus in fide, quæ nobis æternitatem repræsentat velut thesaurum querendam, [5v:] et omnia mundi pro stercoribus habere<sup>3</sup> suadet.

O dulcedo animæ meæ, Deus, quanto tempore fui, quo me dono fidei illustratum credidi, haec tamen, quæ dico, non intellexi, et me servire ignorans, dum mihi met ipsi servivi, dominari putavi. Sic excessi ordinationem tuam, qui vis, ut homo tibi serviat, sibi dominetur. Quodsi enim quietis status est in mundo, vere in hoc solo consistit, dum homo tibi servit, sibi imperat. Fides est, quæ homini supra rationem illius elevatas veritates proponit credendas, in quibus nisi intellectum servituti fidei in lumine hujus subjicerit, semper in suis cogitationibus deviabit.

De fide haec profero, et ecce, dum profero, ratio oboedit tibi, sed tu vides, Domine, quod sensus non pareant mihi, quia me somnolentum efficiunt. Et sic quamvis fides mihi dicat me esse in conspectu tuo, quamvis intellectus hanc veritatem agnoscat, ratio dictat, sensualitas, quam cum animalibus communem habeo, superat illam excellentem intelligendi facultatem et ipsummet donum fidei in eo, quod mihi in præsentia tua constituto respectum maiestatis tuæ non imprimit, sed ad indulgendum naturæ compellit.

Et quid <ex><sup>b</sup> hinc video, o Domine, nisi illas miserias condicionis meæ et servitutis, in qua sæpius ago illa, quæ cum brutis communia habeo, quam illa, quæ me ab illis disting[u]unt.<sup>c</sup> Et procul dubio in honore sensu [6r:] dicit Psalmista, quod cum homo in honore esset, non intellexit, et similis factus sit<sup>d</sup> brutis;<sup>4</sup> et quomodo non similis, siquidem non secundum rationem, non secundum fidei lumen, sed secundum dictamen sensuum ago, quia siquidem te sumnum bonum meum non video sensibiliter, sopor menti tenebras, membris langorem<sup>d</sup> inducit? Omnes dies mei et

<sup>a</sup> Sic! *habeat*   *videt*   *habet*

<sup>b</sup> Delevit *ex*

<sup>c</sup> Supplevi litteram *u*

<sup>d</sup> Sic!

<sup>1</sup> Cf. Ps. 125,5.

<sup>2</sup> Cf. Ps. 113b,5.

<sup>3</sup> Cf. Phil. 3,8.

<sup>4</sup> Cf. Ps. 48,13.

actiones meæ similibus delictis, imperfectionibus, fragilitatibus, semper tamen labo-ribus pleni sunt, in quibus quia animalitas superat rationem, manifestatur mihi, quam dura sit captivitas miseræ animæ meæ, quam onerosa sit servitus, ad quam tam juste condemnasti me, Domine. Quæ enim major servitus, quam nolenter agere? Hanc tamen legem præscribit mihi animalitas, dum nolens obdormio, sitio, esurio.

In hac sensualitatis servitum dum quis quietem suam statuit, servitutem non agnoscit, servit tamen sibimet ipsi, sed non est ex numero justorum, qui vivunt ex fide<sup>1</sup> quia hi vitam suam ad dictamen fidei conformare debent crucifigendo carnem suam et omnia opera ejus; et sic transitur ex servitute corporis ad servitutem fidei. Sic homo animalis potest fieri spiritualis et tibi, Deo, Domino dominantium serviendo dominatur sibi. [6<sup>r</sup>:] Adhuc tamen hæc dominatio etiam respectu hominis servitus est, quia nihil potest agere in opere absque corpore et sensibus, quos propterea amare debet et destruere vetitum est.

O insanum, cæcum, o miserum, qui in hoc statu quietem quæreret et se ex fide vivere arbitrabitur! O delirantem, qui ex fide se vivere credens intoleranda servitute hominis super terram in passionibus, crucibus et contradictionibus non querit quietem! Sed qualem, ut in patientia gemat et float de prolongatione incolatus<sup>2</sup> sui, nec tamen ab illo eliberari cupiat, nisi dum placuerit tibi, Domine, cuius voluntatem si suæ non prætulerit, sibi, non tibi serviet. Vivere ex fide est itaque servire tibi, Deus, vivere autem ex carne est vivere sibi; sed hæc<sup>a</sup> servitus est interitus, prima est quietis status. Hæ<c><sup>b</sup> duæ servitutes se mutuo horrent, et ideo nemo utramque præstare potest; sed nec cadunt in sensualitatem illa, quæ fidei sunt, et spiritus omnia contemnit, quæ carnis sunt. Hinc omnes audiunt has veritates, sed non omnes intelligunt, quia non omnes ex fide vivunt.

Sed, o Domine, tu me doces, quod adhuc differat ex fide vivere et quæ fidei et spiritus sunt, sensibus sentire. Non enim omnis gratia, quæ operatur in anima, operatur etiam in sensibus; dum autem illas etiam in his operari facis, [7<sup>r</sup>:] ille est status, quo suavior servitus dari nequit, quia et spiritus et caro ad tibi soli servendum consentit. Quot annis mortuus vixi, dum tibi, Domine, minus quam carni servi vi; sed quid dico: minus, cum tibi servire nequivi, dum sub carnis servitute existens me vivere arbitrabar, sed mortuus fui. Dicit me in serviendo tibi ratio fidei subjecta, duxit me in altera servitute sibimet ipsi relicta et vere miserande<sup>c</sup> libera, in statu enim hujus servitutis tam deplorabilis est sors rationis, quam liberæ voluntatis, quia vere cæcus cæcum dicit et uterque in foveam cadit.<sup>3</sup> Nec proinde in hoc statu reperitur vera rationis et voluntatis libertas, sed in illo, dum fides rationem illuminat, ratio voluntatem trahit, quia tunc homo malum facere protest, sed non facit.

Fac me, Domine, semper recordari, quia servus tuus sum ego, et fac me laborare, donec vixero, cum nullam quietem desiderem, nisi illam, quæ est in te et durat in æternum.

<sup>a</sup> Correxit ex *hic*

<sup>b</sup> Delevit litteram *c*

<sup>c</sup> Correxit fortasse ex *miserande*

<sup>1</sup> Cf. Rom. 1,17.

<sup>2</sup> Cf. Ps. 119,5.

<sup>3</sup> Cf. Luc. 6,39.

MEDITATIO 3<sup>ta</sup>.  
QUOD HOMINI NULLA UTILIOR SIT MEDITATIO. QUAM PROPRIÆ  
CONSCIENTIÆ DISCUSSIO

Quam saepe fit, o Domine, in hac misera et tam tenebrosa vita, quod homo alta inquirat, cælum investiget, [7<sup>v</sup>:] et in terra ambulans offendit in lapidem, cespitat et cadit. Miraremur hominem, qui continue remotissima respiciens tam erecto vultu incederet, ut obvia non videns jam in lutum calcaret, jam in scrobem, jam in lapidem impingeret. Cur igitur non oportet nosmet ipsos mirari, dum scientiarum cognitio-nes, altarum rerum contemplationes ambimus et proprias nostras actiones et conscientias non discutimus, et ideo heu, quam saepe delinquimus, cespitamus et impin-gimus. Sentio, Domine, et ecce, quam saepe reperio, quod obvia et plerumque sem-per sibi similia loca lutosa occurunt mihi, in quæ pedem impono et me maculo; sed quis modus, o Domine, in hoc mundo ambulanti aliter facere, cum totus mundus cæno <et fango><sup>a</sup> repletus est? Utinam placeret tibi, Domine, me ducere in solitudinem, ut ab hominum consortio remotus essem! Sæpe enim larva charitatis repræ-sentatur, propter cuius aspectum homo agit in favorem proximi, sed dum bene ex-a-minat actiones suas, vel alio fine et incitamento factas fuisse reperiit, vel dubius manebit, num non ex imperfectione processerint et ex majori quam debita compla-centia.

Quot sunt, Domine, in quotidianis actionibus meis, in quibus vel mortalis vitae necessitates [8<sup>r</sup>:] vel proximo debita officia, num a te non revocent, nescio, quia de puritate intentionis meæ securus esse nequeo, quia sum homo. Non loquor, Domine, de peccaminosis, de quibus arguere solet conscientia,<sup>b</sup> sed de illis, de quibus non accusat remorsus, sed tantummodo quæsita reperiuntur. Quæsita dico: non per scrupulosas perquisiciones et <anxie><sup>c</sup> anxia[ntia]<sup>d</sup> pusillanimitatis examina, sed per te diligentis cordis affectum. Prima conturbant, quia vel ex ignorantia vel ex meticulo-sitate vel ex amore proprio proveniunt; sed quæ ex affectu procedunt, tranquillita-tem conservant et castos columbae gemitus producunt. Unde fit, quod et vivere sit amarum, in quantum homo purus et a suis fragilitatibus immunis esse nequit, et vivere sit dulce, quia pati et gloriari in suis infirmitatibus<sup>1</sup> placet.

Sed quis hos contrarios effectus capiet, cui sentire non dedisti? Ipsæ expressiones enim sunt contrariæ argutis sciolitatis documentis et scientiæ humanæ argutiis. Sed tua bonitas, o Deus, hæc in sc[h]ola<sup>e</sup> cordis docet, unde patet, quod illam saepe ingredi sit proficuum et salutare. Quanta sunt, Domine, et quam multa, quæ [8<sup>v</sup>:] in me esse nolle, et adjuvante te sine illis esse possem, sunt tamen in me, quia segnis et tepidis sum, quia caro sum; sed talem esse et se talem agnoscerre prodest homini, ut se humiliet coram te et sine te nihil boni posse agere sciatur. O homo, sibimet ipsi abyssus, quam metiri nequit, metiri tamen semper debet; nisi enim metiatur, abyssum non noscet, et nisi se abyssum esse noverit, non metietur, quia de se præsumet. Abyssus est, cuius fundus non est reperibilis, sed querere, quod reperibile non est,

<sup>a</sup> Delevit et fango Cf. fr.: fango!

<sup>b</sup> conscientia sc. mea

<sup>c</sup> Delevit anxie

<sup>d</sup> Correxit ex anxia suffigendo n. litteras tia supra lineam supplendo

<sup>e</sup> Supplevit litteram h supra lineam

<sup>1</sup> Cf. 2 Cor. 12,5,9.

nonne insanum est? Sed et non quærere insipientiae esset, quia nonnisi quærendo fundum possumus scire, quod abyssus sit, dum fundum quærentes non reperimus.

Tu solus es itaque, Domine, qui me nosti, et quamvis me noscere vellem, me tamen ignoro, et quo me minus nosco, eo me plus nosco. Et hoc ipsum, quod proferre vellem, tu melius nosti, quam ego eloqui valeo. Plasmasti me, Deus, ad imaginem et similitudinem tuam,<sup>1</sup> et in his quoque, quae dico, hanc imaginem agnosco, quamvis fœdatam et conspurcatam, in eo tamen tibi similem, quia nonnisi a te noscibilem, cui soli omnia noscere competit. Nihil igitur me melius [9r:] ad te ducere potest, quam meimet ipsius consideratio, quia imago ad originalis sui, cui similis est, dicit ideam, et sic te in me reperio.

Sis igitur benedictus et laudabilis etiam ex eo, quod ego mihi met ipsi sum tam incomprehensibilis! Sis mihi et ideo super omnia amabilis, quia ego sum tibi similis!

#### MEDITATIO 4<sup>th</sup>.

#### QUAM STRICTA SIT ANIMÆ CUM CORPORE UNIO. ET QUAM SIT MISERA EJUS IN HOC ERGASTULO COARTATIO

Laudet te, Deus anima mea, cujus tu es vita! Hæc tamen tam excellens creatura est vasi fictili<sup>2</sup> inclusa, et in tam stricto ergastulo undique coartata. Scio, Domine, horum causam, sed quomodo possem capere, cur hæc anima spiritualis non tantum vinculo unionis sit alligata corpori, sed et vinculo adhæsionis et dilectionis. Vinculo, dico, unionis, et his verbis significare volo illud reale vinculum, quo anima alligatur corpori. Vinculum enim adhæsionis et dilectionis est aliud, quia hoc solvi potest te adjuvante adhuc in vita, sed præcedens nequit relaxari nisi morte [9v:] interveniente. Dum te, Deus, vivificante vivit anima, in Spiritu tuo cognoscit excellentiam tuam, sentit suam captivitatem, vehet dissolvi et esse tecum, cognoscit abominationem operum carnis et horret illa, hac tamen cognitione non obstante sequitur legem carnis in eo, quod sæpius faciat illa, quæ caro sugerit, quam quæ tua dilectio præcipit; et hoc est, quod me non posse capere dixi.

Sunt enim occasiones plurimæ, in quibus anima penitus exuit dilectionem corporis sui. Quot sunt enim, qui ex vanâ gloria mortem querunt et constanter suscipiunt? Quot sunt, qui per hoc incitamentum vanitatis se tormentis exponunt<sup>a</sup> et illa immoto vultu sustinent?<sup>b</sup> Et in illis occurrentiis non possum dicere, quod anima amaverit corpus suum, prout amat, quando hæc et similia patitur pro te, quia per fidem convincitur, quod hæc proderunt ipsi ad salutem. Sed ille philosophus et h[er]nicus,<sup>c</sup> paganus heros et mundi mancipium, qui supradicta tormenta ex vanitate sustinet, vere odio habet corpus suum et contemnit illud dicens: Hoc indumentum mortale, sacrum putredinis dabo pro nomine, pro fama et pro gloria immortali. Fortiora sunt argumenta, quæ mihi repræsentat tua gratia. [10r:] quæ me fecit videre fumum illum

<sup>a</sup> Correxit ex *exposuerunt*

<sup>b</sup> Correxit ex *sustinuerunt*

<sup>c</sup> Supplevit litteram *h* supra lineam

<sup>1</sup> Cf. Gen. 1,26.

<sup>2</sup> Cf. 2 Cor. 4,7.

et vaporem, quem insipientes æterne duraturum esse credunt. Scio enim, quod non sint condignæ passiones, quas patimur, gloria, quæ revelabitur in nobis,<sup>1</sup> et ex hac ipsa consideratione adhuc minus capio meam insipientiam, cur me tam sœpe continat sequi illa, quæ lex carnis dictat.

Convertor inquirere, num hæc ex amore aut studio complacentiæ carnis fiant, et hic me reperio manifeste, quia anima mea, quæ vult, pro se vult, sensibus corporis utitur pro se tamquam organis, et propterea sunt dicenda opera carnis, quia sunt opera per sensus corporis producta. Dum ergo illa ago, o Deus, quæ nondum placita tibi, ideo ago, quod placita sunt mihi, id est facultati, cui adjacet placere, et hæc facultas est voluntas ex prævia cognitione intellectus et repræsentatione memoriarum impulsæ et agens. Jam autem quia hæc repræsentationes potiori parte vel per sensus actu fiunt, vel earum impressiones in memoria per sensus factæ fuerunt, ideo propter unionem animæ et corporis in omnibus, quæ non ago per gratiam, præfero illa, quæ sensualia sunt, illis, quæ sunt abstracta a sensibus.

Justus es, o Domine, et misericors; hinc non [10<sup>v</sup>:] omnia te offendunt, quæ taliter fiunt, sed tibi placere nequeunt, quia te non respiciunt. His itaque taliter consideratis, ecce, reperio animam in tam misero ergastulo habitantem aut potius incarceralam et incatenatam per sensus, et hic carcer, hæc vincula dulcia sunt homini, dum vivit vita pure naturali et pro se; sed se coartatum, ligatum et captivum reperit, dum anima hominis vivit per te, Deus, vita gratiæ et pro te, et dum dicere potest cum Apostolo: Vivo ego jam non ego, vivit autem in me Christus.<sup>2</sup> Ampla apparet animæ habitatio corporis, dum facultates suæ tantum circa illa divagantur, quæ sensus repræsentant et nullum frenum fidei imponitur intellectui. Tunc enim voluntas ruit in illa, quæ per sensus stimulatus intellectus avide haurit, memoria jucunde repræsentat. Dum denique sensus divagantur libere, et hi sunt, qui rident in mundo. Sed dum anima ex fide vivens sensus tamquam laqueos respicit, tunc primum miserias suas cognoscit, luget et gemit, ut liberata ex carcere rideat.

Te, o Domine, amare super omnia est status justi, sed in mundo nihil amare præter te est status intimæ unionis tecum, quia tunc intellectus plus delectatur de te cogitare, quam illis se [11<sup>r</sup>:] impendere, quæ sensus repræsentant. Tunc memoria de te meditata suavius revocat, quam illa, quæ sensus impresserant, et per has duas potentias in tali dispositione gratiæ tuæ existentes jucunde trahitur voluntas. Sed quia usus sensuum non cessat in vita hac mortali, per illos agit in potentias animæ cupiditas, et quo plus tuus esse vult homo, eo vivacius agnoscit suæ condicionis miserias et ergastuli sui angustias, quas sentire est donum gratiæ, per quod homo gloriatur in infirmitatibus suis<sup>3</sup> et fortis efficitur in debilitate.

Difficile est hæc eloqui secundum scientiam, sed nimis suave sentire secundum spiritum. Dum enim quis dicit se nihil esse nec aliquid posse sine te, alter impingit et imputat sensui verborum, ac si vellet dicere, quod tu agas per hominem tamquam per instrumentum inanimatum, et dum alter se statuit aliquid esse aut facere posse quodammodo præter te, imputatur ipsi, ac si vellet dicere, quod possit se salvare sine te. Nec unus tamen nec alter orthodoxus esset, si has propositiones tam nude intelligi-

<sup>1</sup> Cf. Rom. 8,18.

<sup>2</sup> Cf. Gal. 2,20.

<sup>3</sup> Cf. 2 Cor. 12,5,9.

geret. Hinc ego dicam cum Apostolo me omnia posse in eo, qui confortat me,<sup>1</sup> sed non nisi vana, sensualia possum sine [11<sup>v</sup>:] tua gratia, sine qua sum pure animal rationale, carnale, sed cum tua gratia ero animal rationale, spirituale, quia tu agis per hoc animal rationale, quæ Spiritus sunt, dum illud agit per organa sensuum, quæ tu agenda jubes, inspiras et ad quæ agenda voluntatem alliciendo trahis et motam impellis.

Glorietur igitur in te anima mea, nec habitationis suæ nauseet angustias; dilatetur in te, qui immensus es, et benedicat tibi, qui me solus salvare potes.

#### MEDITATIO 5<sup>o</sup>.

#### QUOD VERA SOLITUDO SIT VITÆ MORTALIS BEATITUDO

Qui habet aures audiendi, audiet,<sup>2</sup> Domine, quæ dico, sed qui neandum habet intellectum ad intelligendum, non intelliget loquaciam meam: non antra, non cavernas, non deserta loca facere solitarium, sed recessum a se et ab omnibus, quod<sup>a</sup> tu non es, Domine. Sed etiam in hanc solitudinem dum quis te adjuvante pervenit et affectum ab omnibus creaturis retrahit, quam saepe intellectus objectis sensualibus carens tepescit, et memoria, seu forsitan convenientius dicerem: phantasia frivola repræsentat, [12<sup>r</sup>:] vel si haec agere cessat, animales spiritus ad quietem componuntur et somnus invadit hominem, in quo iterum est plus secum quam tecum, quia ex sensualitate sua agit, non autem ex tua dilectione. Ideo tamen, quod homo semper beatus non est, non sequitur, quod haec solitudo non sit mortalitatis vitæ beatitudo. Neandum me visitasti, Domine, illo sensibili amore, qui omnes humanitatis nubes consumit, et quo suavior est, eo melius replet hominem, quo autem plus replet, cetera, quæ non sunt amoris, expellit. Sum itaque vacuus, Domine, et hoc meum vacuum sentio repleti illis, quæ non delectant, non important, nec prosunt, nec obsunt, et his tædiosis miscetur somnolentia in lectionibus et meditationibus, quia affectus non movet spiritus animales, qui se facile ad quietem componunt.

Tam saepe me probasti, Domine, et cognovisti<sup>3</sup> infirmitatem meam, tu cognovisti sessionem meam et resurrectionem meam.<sup>4</sup> Te enim adjuvante dum haec tibi tamquam gemitus causas repræsento, resurgere me credo, quia si non esset tua voluntas, ut his subesssem, his carere vellem. Sic sunt, Domine, semper mecum, dum haec, quæ sunt mortalitatis meæ, sentio, et quia mecum, neandum solus [12<sup>v</sup>:] tecum, sed tecum in carne. Unde manifestatur solitudinis meæ imperfectio, et hinc cognosco beatitudinis humanæ defectuositatem. Respice me, Domine, haec tibi proferentem; tu scis enim solus, quid desit mihi, ut sim totus tuus. Evacuasti illa, quæ mundi sunt et aliena, in quantum sunt externa objecta sensuum, et vere in quiete<sup>b</sup> animæ in cessatione omnis de<di>siderii<sup>c</sup> proprii facis me sentire dulcedinem quietis, in qua velo-

<sup>a</sup> ab omnibus, quod... (sic!)

<sup>b</sup> Correxit ex inquieta (?)

<sup>c</sup> Correxi ex dedisiderii

<sup>1</sup> Cf. Phil. 4,13.

<sup>2</sup> Cf. Matth. 11,15.

<sup>3</sup> Cf. Ps. 138,1.

<sup>4</sup> tu cognovisti....: Ps. 138,2.

citer currunt anni mei. Sed neandum sum in solitudine, quia sum tecum, prout rettuli tibi; unde tepiditas et segnities mea, per quam in orationibus distrahor, in meditacionibus langueo.

Monstro itaque me, et trado me tibi, sed non ideo me monstro, quasi me non videres, Domine, sed me respiciens me monstror [mihi].<sup>a</sup> Quodsi enim me non respicerem, non me tibi monstrarem, et sic tu videres et judicares me, ego autem non viderem me. Sed ecce, respicio et judico me accusans coram te, sed quid contra me possum sine te? Sentio, o Domine, et vere sentio, quantum mihi deest ad veram solitudinem, in qua homo veram tecum reperit unionem; sed quae esset mea praesumptio, si plus peterem, quam dare decrevisti, cum nec hoc mereor, quod misericors dedisti. Non desiderarem hanc, de qua loquor, [13r:] solitudinis beatitudinem qua beatitudinem, hoc enim accessorum est, sed qua unionem tecum et exclusiō nem omnium, quidquid tu non es.

Potens es, o Domine, haec in me perficere, ad quae mea fragilitas nequit pervenire. Hinc ut in me beneplacitum tuum fiat, ecce, me tibi trado.

#### MEDITATIO 6<sup>a</sup>.

#### QUOD TRISTITIA ET DOLOR SINT EFFECTUS AMORIS. QUIBUS HOMO NUMQUAM CARET

Annualis vitae meae circulus reducit diem, quae mihi tristitiam et dolorem causaverat, sed tunc, quando dimidium mei ex hac mortali vita evocasti, Domine, ego ignoravi, nec nisi quarto postmodum mense, quod factum fuit, rescivi. Ita est homo constitutus, quod sine desiderio nequeat esse, vel illorum, quae te, Deus, animamque respiciunt, vel illorum, quae corpus seu vitam temporalem concernunt. Primum desiderium producit tua gratia, secundum generat corrupta natura, sed nemo desiderat, quod non amat, et vel desiderat, quod neendum habet, ut habeat, vel si illud, quod desideravit, acquisivit, retinere desiderat. Unde facile intelligo, quod desiderare sit amoris proprietas; hinc quo quis plus amat, eo ferventius desiderat, et desiderans vel de eo tristis est, quod neendum habeat, quod desiderat, vel de eo [13v:] dolet, quod illud, quod desiderat desiderio possidendi, adeptum possidere nequeat.

Et haec considerationes demonstrant mihi tristitiam et dolorem desiderii vel sperantis vel frustrati esse effectus; desiderium autem amoris esse proprietatem jam dixi. Hoc est, o Deus, animae meae desiderium, verum speculum, quod dum inspicio, clare video vultum nativitatis meae, et quam sit misera vita hominis, qui aliquid praeter te desiderat, quoniam omne mortale desiderium oportet, ut sequatur vel obtentionis incertitudo vel possessionis amissio; nihil autem certius, quam quod utrumque sequatur tristitia et dolor. Quo enim quis plus desiderat et amat, eo plus tristatur et dolet vel de eo, quod neendum possidet, vel de eo, quod amisit, et haec est continua occupatio hominis super terram. Non sunt differentes amoris et desiderii tui proprietates, Domine, respectu effectuum, sed sunt infinite disparates ex eo, quod te desiderando sperans numquam spe frustretur, et dum ad te possidendum pervenerit, numquam te amplius amittet. Sed quia in hac vita non datur tui plena possessio, hinc quod a te (gratias nempe tuas) habemus, heu,

<sup>a</sup> Supplevit mihi supra lineam

quam sæpe amittimus, et quas neclum habemus, desideramus; amissas autem dolemus, et propterea seu sperando seu amittendo tristamur [14<sup>r</sup>:] et dolemus, si te vere amando desideramus. Ex his itaque reperio hanc vitam quocumquemodo consideratam labore esse et dolorem, sed hoc quoque me agnoscere dat tua bonitas, quod vitæ mundanæ et temporalis dolor et labor in eo sit acerbior, quod possessionis amissio sit tam sæpe irreparabilis, prout mihi contigit. Unde si hanc amissionem adhuc carnaliter respicerem, adhuc dolorem, quia me in hac vita, quod amisi, numquam rehabiturum certe scirem.

Sed quid retribuam tibi, Domine, pro eo, quod me longe aliter facias haec respicere per lumen fidei, quod erigit spem meam et consolatur dolentem, quia quod amavi, te amando me repertum et in æternum possessurum confido. Hinc ex amore tuo procedit certitudo possessionis, ex amore autem carnali sequitur certitudo amissionis et dolor irreparabilis. Ex amore <tuo<sup>a</sup>> et desiderio tui, inquam, procedit tristitia, quod homo vivit, ex amore mundi seu vitæ temporalis generatur dolor et tristitia, quod se mori debere sciatur. Te desiderando te neclum possidere tristamur et dolemus, temporalia desiderando et quæ habemus, et quæ speramus, nos amissuros dolemus. Non sit ergo hæc dies pro me dies tristitiae et doloris [14<sup>v</sup>:] ex eo, quod amisi, sed sit dies tristitiae et doloris ideo, quod partem mei, quam amisi temporaliter, neclum tecum et in te plene possideo; quod enim mihi per sacramentum uniendo dederas, te amando et propter te diligendo non amisi, quia in te adhuc diligo et in te repertum credo et spero. Ex hac fide, spe et dilectione<sup>1</sup> abunda est mea consolatio, quamvis non ccesset tristitia et dolor de dilectione possessionis, quam quia non desidero nisi in mensura tuæ voluntatis, hujus tuæ voluntatis dilectio est iterum mea consolatio, ex qua procedit, quod tristitia non affligit,<sup>b</sup> sed gemitum producit. Gemitum dico, sed dum hunc meum gemitum respicio, hunc tam frigidum et tepidum reperio, quod ex eo facile cognoscam, quantum te neclum desiderem, neclum diligam ferventer.

O vita desiderii et doloris circulus, qui te amat, non te noscit, sed et ille, qui te fastidit, tuum pretium ignorat, quia per temporalem dolorem et tristitiam acquiritur verum gaudium et per vitæ inordinatum amorem amittitur æternum bonum! Da igitur, Domine, ne vitam amem, sed nec vivere tædeat,<sup>c</sup> ne dolendo pati pæniteat.

#### [15<sup>r</sup>:] MEDITATIO 7<sup>a</sup>

#### QUOD SQUIDEM OMNIA DÉO ORDINANTE FIUNT, OMNIA PATIENTER FERENDA SUNT

Plus amas, o Deus, creature, quas fecisti, quam te amant illæ, quas ex gratuita bonitate ex nihilo eduxisti; et quia hæc ita se habent, ideo homo dubitat, angitur, sollicitatur in hac misera vita, quia hanc veritatem ignorat vel non firmiter credit et te non diligit. Sed tu, Domine, Deus es, et omnia, quæ creasti, bona esse agnovisti,<sup>2</sup> ideo amasti, sed homo non noscit te illa cognitione intrinseca, qua tu

<sup>a</sup> Delevit tuo

<sup>b</sup> affligit sc. me; producit sc. in me

<sup>c</sup> tædeat, pæniteat sc. me

<sup>1</sup> Cf. I Cor. 13,13.

<sup>2</sup> Cf. Gen. 1,31.

nosti illa, quæ creasti, et ideo amor ejus deviat a te, quem sensibus suis noscere non potest, ad illa, quæ illis subjacent, et sic fit, quod tam frigide confidit in te, quia (iterum dico) tam parum diligit te, quia tam obscure cognoscit te. Loquor, o animæ meæ bonum, Deus, prout hæc in me taliter acta fuisse tristi nimis experientia edoctus sum; quo enim minus te amabam, eo minus confidebam in te, et ideo eventuum mundanorum causam et ordinationem humanæ prudentiæ attribuens in me confidebam, quia me amabam. Tua tamen bonitas nunquam me in tantum tradidit mihi met ipsi, [15<sup>v</sup>:] ut de tua providentia dubitassem, sed limitabam illam ad magnos et primarios eventus, qui tamquam majores rotæ horologii circumagunt minores, quos prudentiam humanam regere aut hoc vel illuc defletere posse insane credidi.

Hinc fit, o Domine, quod homo tam sæpe impatienser ferat tuæ ordinationis dispositionem, quia illam hominibus attribuit. Quodsi enim te nosceret tua opera meditando, tu illum doceres ex illis et redderes sensibilem illam veritatem, quod nec capillus capitinis nostri decidat nisi te volente.<sup>1</sup> Sed hoc dictum quoque Salvatoris nostri scandalum est illis, qui prædestinationem tuam cum ordinatione seu dispositione rerum confundunt.

Alia sunt enim, Domine, quæ prædestinasti, alia, quæ prævidisti et prævisa ordinsti seu disposuisti, ut concurrent ad illa, quæ prædestinasti, et sint utilia illis, quos elegisti ad gloriam; sed quotnam scanda non reperit humanus spiritus in his tenebris absque lucerna verbi tui et absque dilectionis tuæ cognitione ambulans, sine qua jam te causam peccati et damnationis creaturæ tuæ statuens impie blasphemat et te hominem violenter impellere ad actiones suas sat indigeste, ne dicam, insipienter opinatur, unde alii penitus desperant, alii nimium [16<sup>r</sup>:] præsumunt, sed nec hi nec illi in amabili lumine charitatis tuæ ambulant, quo illustratus homo te se diligenter diligit et te summum bonum esse agnoscens omnia in bonum suum ordinari credit, quia nonnisi bonum animæ suæ respicit, et si eventus mundanos taliter considerat, te adjuvante agnoscit, quod occasiones patientiæ sint effectus tuæ ordinationis et ordinationes tuæ bonitatis.

Non noscit homo in hac vita (suas impuritates ignorans), in quem finem visites illum, et a quibus sordibus velis mundare illum, propterea impatienser fert, quæ immittis super illum et se injuste affligi conqueritur homo et te impie culpat, quia se reum non agnoscit coram te. Sic est, o Domine, mortalis enim infirmitatis est proprietas nec te Deum noscere, prout es summum puritas, nec se considerare, sicut est respectu puritatis tuæ ineffabilis impuritas; et quia se non cognoscit, ideo vult impunere limites tuæ misericordi purificationi et quod ipsi imponis, propterea fert gravior, quia vel illa a te venire non credit, vel visitationes tuas se promeritum esse non est convictus.

Sed, heu Domine, quam miser est, dum in te non confidit! Quam pauper et inops, dum te non diligit, quia donec te non diligit, supremum bonum te esse non agnoscit, et si te talem esse ignorat, [16<sup>v</sup>:] quam tepide sperat in te, Deus te noscentibus summe amabilis. Ille, qui te diligens noscit, videt, quantam tibi impingat injuriam homo in adversitatibus et in afflictionibus suis in te non confidens. Videt, inquam, quam sint contraria inter se confidere et impatientem esse.

<sup>1</sup> Cf. Matth. 10,30.

Sed hæc, quæ profero quoque, quam diverse et sensui meo contrario modo interpretaretur homo mundanus, qui diceret me suadere ignavam illam et crassam confidentiam, quæ in re ipsa præsumptio est, dum aliquis nihil vellet agere, sed torpens et segnis, quæ sua sunt, non faceret dicens: Hujus rei eventus prædestinatus est, inutile est, ut ego agam, aliunde fiet, quod fieri debet. Habet absurdas consequentias hæc locutio et illam tamquam captiositatem profert humanus intellectus et propterea se confundit in illa non considerans, quod pro facilitiori intelligentia in nostro conceptu sit distinguenda prædestinatio et ordinatio. Illa enim respicit finem, hæc est modus, per quem pervenitur ad finem. Sic enim facile videt homo, quod illa, quæ eventura prædestinasti, ut homo ageret, ordinasti seu disposuisti, et sic fit negotiator talentorum suorum, quæ ei dedisti, ut negotiaretur cum eis.

Fac igitur, Domine, ut te diligam et hoc opus exercendæ œconomiæ tuæ et meæ vere intelligam, dum illud exercebo in patientia, in qua debo possidere animam meam. Da igitur, ut quæ [17<sup>r</sup>:] de me prædestinasti, ego exsequar modo, quo ordinasti, ut sit tibi gloria ex me, in quam me creasti.

#### MEDITATIO 8<sup>a</sup>.

#### QUOD HOMO NESCIENS DECRETA ET ORDINATIONES DEI DE SE SEMPER IGNORET, QUID SIT ILLI PETENDUM RESPECTU VITÆ TEMPORALIS

O Deus, verum lumen animæ meæ, duc me in cæcitate condicionis meæ et in tenebris, in quibus vis, ut ambulem in hac mortali vita! Non fecisti, Domine, hominem, ut esset consiliarius tuus, sed ut esset executor mandatorum tuorum. Dedisti illi dominium super creaturas, sed ille vellet esse director consiliorum tuorum et propriæ sortis suæ, propterea ab hoc spiritu ducitur per avia et devia cogitationum suarum et propriæ voluntatis suæ. Sic se manifestat posteritas ingratæ creaturæ, quam vix creasti, recessit ab ordinatione tua et ad propriam suam voluntatem descivit.

Quam bona et misericors fuit ordinatio tua de homine, cui tam amplam dominationem dederas, ut omnibus creaturis libere uteretur et ab esu fructus unius solius arboris vetuisti illum,<sup>1</sup> ut per observantiam mandati tui supremum dominium tuum semper agnosceret et in hac [17<sup>v</sup>:] agnitione operaretur opus vocacionis suæ, sed mulier hunc statum suum excedere volens bonum et malum noscere appetiit, et posteaquam peccasset, etiam virum suum seduxit<sup>2</sup> posteritatemque suam in tam miseram condicionem reduxit, ut tota vita hominis non nisi labore et dolore repleatur. Quod potest esse evidentius exemplum insipientiæ humanæ, quam casus iste primi hominis in eo, quod voluntatem suam secutus voluit, quod tu, Deus, plasmator eius noluisti? Et tamen, heu, quam pauci sunt, qui aliter agunt respectu voluntatis tuæ. Quotiescumque enim aliquis huic contrariatur, primi hominis inobœdientiam sequitur et quotiescumque aliquid præter voluntatem tuam petit, se in tuum consiliarium erigit, et de sorte sua ipsem vellet statuere, impie credens melius scire disponere de se, quam tu, Deus, cuius infinita est bonitas, incomprehensibilis sapientia.

<sup>1</sup> Cf. Gen. 2,17.

<sup>2</sup> Cf. Gen. 3,1 sqq.

Demonstrasti, Domine, hanc insipientiam filiorum Adæ in compluribus exemplis vitæ meæ. Quodsi enim mihi dedisses, quæ a te petii, sæpe majora incurrissem mala, quam illa fuerunt, quæ ex ordinatione decretorum tuorum immisisti. Qui in hac mortali miseria sapientum mundi et amicorum suorum non sequitur consilia, insipientis dicitur, sed qui tuis [18<sup>r</sup>:] dispositionibus non contentus humanæ prudentiæ suæ lumen illis præferre vult, sæpe laudatur in operibus suis ab insipientia humana, et hinc procedunt mundanæ politicæ<sup>a</sup> inquietæ et turbulentæ machinationes, quæ hominem in tam periculosa ducunt præcipitia.

Omni die potest videre homo, quomodo decipiatur in futurorum prævisionibus, secundum quas nihilominus mavult suam vitam dirigere, quam æternæ sapientiæ tuæ conductui tranquillus relinquere. Mavult, inquam, secundum dictamen suæ rationis aliquid a te petere, quam vias, per quas ducis, in patientia sequi; et unde, o Domine, tanta hominum insipientia, nisi quia diligunt vanitatem et querunt mendacium? Hæc objecta enim cadunt in sensualitatem illorum, et propriæ imaginationes, quæ falsum repræsentant, præferuntur decretis immutabilibus, quæ de nobis statuisti. Hæc secundum captum et beneplacitum nostrum accommodare volumus, dum a te aliquid præter salutem nostram petimus. O deploranda filiorum hominum dementia, quæ confidentiam, quam in te, Deus, habere debemus, labefactat et tam sæpe proprii amoris suggestiones tuis consiliis præferre conatur!

Quoties se homo decipit in illis, quæ a te petita obtinet in pœnam, non tamen resipiscit, quia se incongrue et stulte petiisse non agnoscit. Blasphemat, o Domine, [18<sup>v</sup>:] qui te diligere dicit<sup>b</sup> et voluntatem tuam non diligit, sed sæpe sic loquitur ex eo, quia rerum eventus casui, non tuæ providentiæ attribuit et hinc quam frequenter dicit: Si scirem hoc et hoc esse voluntatis Dei, tolerarem in patientia, sed hæc et hæc producit hominum malitiam, non ordinavit Dei providentia. Credit talis homo omnia a te venire, quæ sibi placent, non credit te disponente sibi fieri ab hominibus, quæ displicant, quia se afflictionibus dignum non agnoscit, et verum bonum a malo imaginario non discernit. Non novit passiones, quibus agitatur, adhæsiones, <in><sup>c</sup> quibus delectatur et ideo per afflictiones et cruces temporales ab his purificari non delectatur. Non reputat multum se debere justitiæ tuæ, ideo non de satisfactione tibi debita cogitet, sed de frustrata sui satisfactione multum dolet.

O Deus infinitæ misericordiæ, respice hanc a tua voluntate deviare tam proclivem condicionis meæ miseriam, et nond<sup>d</sup> permitte me aliquid petere a te præter te, sed hoc non fiet, dum non delectabor nisi in te, dum nimirum ex totis viribus et tota mente et ex toto corde dilexero<sup>1</sup> te. Diligam autem ferventer te, dum in fide viva ambulavero semper coram te.

<sup>a</sup> -æ corrigendo

<sup>b</sup> dicit sc. se

<sup>c</sup> Delevit in

<sup>d</sup> Sic!

<sup>1</sup> Cf. Luc. 10,27.

Libera voluntas est vere illa excellens dignitas, quam tua, o Deus, omnem captum excedens bonitas dedit creaturæ ad similitudinem tuam creatæ, et nisi illa etiam post lapsum remansisset in homine, quos semel a peccato originali purgasti, nec præmia-re potuisses nec juste punire, quia et bonum et malum coacte fecissent et tu fuisses causa damnationis eorum. Sed hæc libera voluntas contraxit morbum, dum primus homo peccasset, et hic morbus communicatur posteritati ejus. Antequam te ad cre-andum determinasses in tempore, Domine, sola fuit voluntas tua increata æterna et libera. Dum porro creando similitudinem tuam produxisti in homine, facta est creata voluntas ad similitudinem voluntatis tuæ liberæ tuæ voluntati similis, quia innocens; innocens autem, quia [tibi]<sup>a</sup> similis malum ignorans, quia malum nullum fuit reale, sed nec occasio mali, antequam fructus esum inhibuisses. Noveras, Domine, auctor naturæ per omniscientiam tuam, quod nullum majus malum possit induci in mun-dum, quam si dominus creaturarum liberaque [19<sup>v</sup>:] illa, sed creata voluntas ejus se increatæ voluntati tuæ opponeret. Hoc malum fuerat introductum in cælum per præ-varicatorem angelum, sed quia non cælum fuerat propter angelum, sed angelus fue-rat creatus pro cælo, soli prævaricatores angeli pœnam peccati tulerunt, et statim separatio mali a bono facta est per præcipitationem rebellis voluntatis in damnatio-nem æternam. Sed hoc malum, quod in cælo factum fuit, fors homo in terra igno-ravit, et posset dici, quod et hodie ignorat, quia de creatione angelorum, de occasio-ne peccati primi angeli et de lapsu illus veritates, quas revelasti, Domine, tam obscu-ræ sunt, ut de his pauca sint, quæ sub auctoritate fidei credenda proponantur ab Ecclesia.

Dum igitur primo homini præceptum dare decreveras, ex quo ille occasionem mali sumpsit, procul dubio illa fuit tua benigna intentio, ut homini, quid sit malum, notum redderes per conceptum, ut vitando illud volenter fidelis permaneret, non solummodo ex ignorantia mali non peccaret. Prædixisti itaque ei, Domine, malum, quod erat prævaricationem ejus subsecuturum, et futuræ sententiæ suæ omnem energiam edixisti inquiens: Morte morieris,<sup>1</sup> quia in creatura spirituali et corporea ut quælibet proprietas puniretur, justum fuit, et hinc in cujuslibet proprietatis pœnam mors propria inflictæ<sup>b</sup> est. Quid sit autem mori, per sententiam latam pronuntiasti post lapsum [20<sup>r</sup>:] dicens: Pulvis es et in pulverem converteris.<sup>2</sup> Unde agnoscimus mortem esse resolutionem substantialem materiæ et formæ, et per consequens mortem illud malum esse, quod per peccatum inductum est. Dixeras, o Domine, ad Adam: In quacumque hora comederis, morte morieris,<sup>3</sup> et vere ita factum est, quia voluntas increata erat forma voluntatis creatæ, quæ se per modum materiæ habere debuisset in imagine et similitudine non picta aut sculpta, sed animata.

Quamprimum igitur voluntas creata se a voluntate increata separavit per prævari-cationem præcepti, resolutio substantialis materiæ et formæ facta est, et mors volun-tatis creatæ illico subsecuta, ita quidem, ut nullo modo reuniri potuerit amplius ex

<sup>a</sup> Supplevit *tibi* supra lineam

<sup>b</sup> Correxit ex *inflixa*

<sup>1</sup> Gen. 2,17.

<sup>2</sup> Cf. Gen. 3,19.

<sup>3</sup> Cf. Gen. 2,17.

natura sua voluntati æternæ, nisi accessisset misericors illa sententia de destruenda morte et de reparanda natura hominis per novam creationem gratiæ, ut fieret in novam creaturam. Separatio itaque voluntatis creatæ a voluntate increata facta in primo homine causavit mortem voluntatis humanæ, in quantum per se Deo amplius uniri non potest, nisi adjuta, allecta, tracta et sæpe compulsa per gratiam. Sed si creata voluntas ab increata voluntate velut forma sua separata nulla alia forma informata fuisset, voluntas in creatura cessasset, quia forma voluntatis, cum sit actus voluntatis, [20<sup>v</sup>:] si omnem actum voluntatis exercere desiisset, voluntas annihilata fuisset. Hinc mortua voluntas creata per separationem a voluntate increata formam cadavericam acquisivit illo ipso momento, quo Adam prævaricatus est præceptum, et hæc forma cadaverica est propria voluntas, quæ vult et agit omnia pro se, refert omnia ad se, et generat opera mortis in mortem æternam.

Inhæsit homini hæc forma cadaverica per impotentiam aliquid vel minimum agendi pro salute sua viribus pure naturalibus, et dum justi voluntas vivificatur quoque per gratiam propria voluntas, forma informans naturalem voluntatem hominis per modum morbi se manifestat, et hinc principale opus requisitum ad salutem est abnegatio sui ipsius, in qua consistit vera sanitas humanæ voluntatis. Voluntas proinde vivificata per gratiam non agit pure passive, sed libere, lætanter et volenter, sicut ageret corpus resuscitatum et de novo miraculose informatum per animam, quia conformitas voluntatis hominis cum voluntate Dei est vera vita voluntatis creatæ, et hæc vita est proprie novæ creaturæ. Non tamen ita propria, quin non sit ammissibilis, dum recedit a voluntate increata ad voluntatem suam naturalem. Tunc enim vel se opponendo voluntati creatæ ab illa separatur et moritur, vel defectuose agit et peccaminose secundum statum [21<sup>r</sup>:] et symptomata morbi sue voluntatis.

Hæc sunt, o Deus infinite misericors et vita animæ meæ, tam admiranda opera tua in homine, quæ ducunt me in agnitionem nihili naturæ meæ et formæ meæ cadavericæ; statusque morbi humani, quem in hac misera vita mortali circumporto in carne mea etiam vivens per gratiam tuam. Non glorior igitur de libertate voluntatis meæ, quæ tibi semper resistere potest; talis enim gloria esset a memet ipso et nulla esset. Sed fac, ut glorier in te, principio omnis boni, quod in me est, quia hæc gloria est a te, et vera gloria hominis est.

Impleatur, quæso, in me voluntas tua, quæ est vita mea, et dum fuerit in me charitas, tunc erit vere vivens et libera in me voluntas, quia tuam voluntatem sequarem, ferventer, alacriter, liberatus a captivitate et morbo voluntatis meæ propriæ, quæ me reddit languidum, infirmum et debilem. Consolantur me hæc veritates, quas facis sentire. Da, ut me illis valeam conformare, ut vivam in te et per te, mortuus mihi et in me.

#### MEDITATIO X<sup>a</sup>

#### QUOD CONFORMITAS VOLUNTATIS CUM VOLUNTATE DEI SIT VERUS CHARACTER FILIORUM DEI

Adhuc gloriatur homo se habere libertatem voluntatis suæ, [21<sup>v</sup>:] et sæpe jactanter recognoscit, quod quotiescumque vult, te offendere potest, et ex eo quoque, quod voluit, quod sibi bonum et utile esse te, Deus, illuminante credit, sibi meritum prætendit. Dicis, Salvator meus, posteaquam omnia feceritis, adhuc dicatis: servi inuti-

les sumus;<sup>1</sup> et tamen quot sunt, qui dicunt: potui hoc vel illud mandatum non facere et tamen feci, mereor ergo ex opere, quod feci. Sed nec audeo, Domine, omnia dicere de hac re; etsi hominum judicia timerem, penitus silerem, tam pronus est homo contrarios sensus imputare aliorum verbis et scriptis et capax esse dicere me velle omnia bona opera et meritoria inania reddere, allegaret tot textus scripturarum in assertionem hujus veritatis, et ipsammet doctrinam Ecclesiæ, cui absit a me contrariari velle, sed dignius credo Christiano gloriari in charactere filii Dei, quam in libertate voluntatis suæ voluntati Dei per depravationem naturæ suæ oppositæ.

Considero enim aliquem morigerum et patrem diligentem filium, et vix reperiam ita jactare libertatem voluntatis suæ in facienda voluntate patris, ut exinde sibi meritum attribueret, quamvis certum sit, quod bonus pater obœdientiam illius in meritum reputabit, et quo docilior fuerit, eo plus sibi in illo complacerebit. Insanum ergo esset dicere non dari bona et meritoria [22<sup>r</sup>:] opera in conspectu tuo, Deus, sed hoc quoque insipiens esset credere, quod illa, quæ meritoria dicimus, sint talia ex natura sua, et non pure ex misericordi imputatione tua, qui Pater noster es, quia nihil habemus, quod non recepimus,<sup>2a</sup> nihil tibi reddimus, quod a te datum non est, nihil facimus, quod facere non tenemur, dum consideramus, quid tibi debeamus. Sed sicuti dum patris voluntatem filius non facit, indisciplinatus et dyscolus dicitur, ita numquam filii characterem melius opere comprobat, quam dum se filium esse per docilitatem demonstrat, sed nec docilior est, quam dum patris, non suam sequitur voluntatem, nec se ex eo reputat aliquid habere filii charactere dignum, quod malus esse potest, sed quod non sit.

Pater noster es, Deus, et te sic appellari præcipis!<sup>3</sup> Non est voluntas filii qua filii, quæ voluntati Patris contrariatur, sed nec ego filius sum ex natura, sed per gratiam; hinc naturalis voluntas mea semper contrariatur tibi, sed nec respectu illius sum filius tuus, sed servus peccati et filius veteris Adam. In quantum autem filius sum per gratiam, characteri filii renuntio, dum me voluntati tuæ oppono et numquam liberiorem agnosco esse meam voluntatem, quam dum voluntati tuæ, Patris nostri conformis est, quia voluntas, quæ huic contraria est, sub peccati servitute [22<sup>v</sup>:] gemit nec libertate filiorum tuorum gaudet.

Vere, o Domine, longævitatis, <vitæ><sup>b</sup> quam lege promiseras filiis parentes honrantibus,<sup>4</sup> figura fuit æternitatis, quam largiris filiis tuis voluntatem tuam facientibus. Velle, quod vis, est vera voluntatis libertas in nova creatura et regenerato filio, in quo oportet, ut destruatur voluntatis proprietas. Christus abnegationem præcipit,<sup>5</sup> quomodo homo de libertate voluntatis suæ gemere non deberet, in quantum huic præcepto in tantum refragatur, ut nisi succurrat gratia, semper ad sui amorem revertitur natura? Hinc infelix libertas, quæ sibi relicta malum sequitur, bonum ignorat.

Fac igitur, Domine, ut amoris tuæ voluntatis vinculo catenata voluntatis meæ libertas tibi adhærendo se sentiat liberam, ut docilis filii charactere vere gaudem.

<sup>a</sup> Correxit ex *recepit* (?)

<sup>b</sup> Delevit *vitæ*

<sup>1</sup> Cf. Luc. 17,10.

<sup>2</sup> Cf. I Cor. 4,7.

<sup>3</sup> Cf. Matth. 6,9.

<sup>4</sup> Cf. Ex. 20,12.

<sup>5</sup> Cf. Matth. 16,24.

## MEDITATIO XI<sup>a</sup>.

### QUOD VOLUNTATEM DEI VELLE SUPER OMNIA SIT STATUS FILII JUSTI, SED QUOD NIHIL VELLE PRÆTER VOLUNTATEM DEI SIT STATUS FILII PERFECTI

Audacter loquor tibi, Domine, quia tu nosti me et scrutaris renes meos.<sup>1</sup> Tu vides, quod non velim contrariari me sapientioribus, qui Christianam perfectionem in sequendis [23<sup>r</sup>:] evangelicis consiliis statuunt, nec de<sup>a</sup> eo loqui, quis sit status perfectus. Scio enim de his doctrinam Ecclesiæ, dicam tamen in simplicitate cordis mei, quod si hominum pravitas occasionem non dedisset, præter qualitatem filiorum Dei excellentiorem statum nemo quæsivisset. Ad hunc statum autem quilibet Christianus vocatus est, sed inter filios et filios datur disparitas, et inter hos alius nomen, alius characterem, alius perfectionem habere potest per gratiam tuam. Ad hunc statum enim multi vocantur per characterem, pauci eliguntur<sup>2</sup> ad salutem et adhuc pauciores, qui ad statum perfecti filii pervenient in hac vita. Hi sunt enim, qui intime uniuntur tecum, et nulla in altera vita purgatione indigent, sed beatitudo illorum in hac mortali vita incipiens per mortem perficitur, quia in te, Deus, obdormiunt, ut in te perfectius vivant et tibi strictius uniantur. Habent, inquam, filiorum tuorum characterem omnes, qui adoptantur in baptismate, sed respectu veri characteris filiorum, qui in eo consistit, ut filius voluntatem Patris plus amet, quam suam, heu, quam multi sunt, qui nomen tantum filiorum habent, quia de charactere filiorum mundi plus participant!

Nulla est major impuritas in homine, quam propria voluntas, quia per hanc opponitur creatura Creatori, filius Patri. Unde sequitur, quod hujus [23<sup>v</sup>:] impuritatis evacuatio sit characteris filii perfectio. Hinc, qui plus amat tuam voluntatem, quam suam, verus filius est et justus, sed qui omni propria voluntate exclusa nonnisi in tua voluntate vivit, perfectus filius est, quia totus Patris est et in sinu Patris quiescit. Potest homo tua gratia adjutus, Domine, plus amare tuam voluntatem, quam suam, adhuc tamen amare et suam et hujus amoris defectus causant peccata venialia, delicta, imperfectiones et fragilitates, quas seu in hac seu in altera vita purgat tua justitia, sed in quo cessat omnis voluntatis proprietas, in illo perficitur tua charitas, non tamen per hoc tollitur animæ libera facultas, quæ vocatur voluntas, sed ita identificatur cum voluntate tua, ut in illa absorbeatur et duæ voluntates perfecte uniantur.

Da, Domine, verbum, ut me reddam intelligibilem; nollem enim dicere, quod homo nullam voluntatem retineat aut quasi inanimatum ens agatur, potius quam agat vel impeccabilis fiat. Hæc enim non admittit humana condicio, et propterea in hac vita nec datur sibi adæquata perfectio, datur tamen talis unio, quæ voluntatem hominis facit esse plus tuam, quam suam, et hæc est unio filiorum justorum. Sed et talis datur unio, quæ nihil vult, qua suum, sed qua tuum, et hæc est unio filiorum perfectorum. Tunc enim non cessat voluntas, [24<sup>r</sup>:] sed voluntatis proprietas. Fragilitates enim et imperfectiones, quæ sunt irreflexæ voluntatis actus, sunt humanæ conditionis proprietates, quæ voluntatem hominis a tua voluntate non separant, quamvis impuram efficiant.

<sup>a</sup> -e corrigendo (?)

<sup>1</sup> Cf. Ps. 7,10.

<sup>2</sup> Cf. Matth. 20,16.

O quam suavis es, Domine, diligentibus te, qui semper vis bonum creature tuæ, qui temet ipsum amas in illa, et quo major est illius tecum conformitas, eo plus fertur in illum tua charitas. Quæ<sup>a</sup> autem potest esse major conformitas, quam voluntatis unitas, quam sequitur in exsequendis mandatis tuis fidelitas, quia hæc est tua de illa voluntas, et hoc ideo ab illa exigit tua bonitas, ut pro præmio subsequatur æterna felicitas.

O homo, cujus lapsus causavit propria voluntas, quid justius, quam ut corrigatur in te hæc vitiosa facultas, ut uniari cum voluntate suprema, per cuius separationem causata fuit omnis tua infelicitas?

O Pater, quam benigna est tua de filiis tuis ordinatio, dum hoc solum exigis pro salute illorum, ut velint, quod vis, et quo plus hoc agendo volunt, eo sunt feliores, quia hereditate filiorum eo fiunt digniores. Filius tuus ex natura genitus docuit filios tuos adoptivos orare, ut fiat voluntas tua, sicut in cælo, ita et in terra.<sup>1</sup> Quæ autem alia voluntas in cælo præter tuam? Nulla profecto. Et propterea orandum et agendum in terris, ut hoc fiat nobiscum, quod fit in cælis. [24v:] Ubi quidem quodammodo annullata est omnis propria voluntas, hic porro in terris oportet, ut cesset illius proprietas. Confundit sæpe humanus intellectus facultatem, quam voluntatem dicimus, cum effectibus voluntatis et actibus ejus, et propterea difficillime capit in spiritualibus, quod tamen obvium est in temporalibus, dicitque speculationes esse, quæ spirituales viri dicunt in hanc rem volentes explicare, quomodo possit propria voluntas cessare in homine et tamen manere in homine. Quodsi voluntatis actus consideremus proinde, fors omnes referuntur ad potentiam concupiscibilem et ad irascibilem, per primam adhæremus, per secundam separamur ab objectis, nec igitur hæ duæ potentiae debent annihilari in nobis, sed perfici, quia quo plus perficiuntur, eo plus unitur voluntas Deo.

Quodsi potentia concupiscibilis cessaret, quomodo te, Domine, homo desideraret; si potentia irascibilis agere desineret, quomodo peccatum odio haberet? Quomodo pænitere posset? Non oportet ergo cessare actus voluntatis qua voluntatis, sed qua voluntatis pro se, homine, non pro te, Deo agentis. Vult Deus, ut voluntas ejus fiat, sicut in cælis, ita et in terra;<sup>2</sup> in cælo autem omnia fiunt præcise et unice pro sua gloria. Vult itaque, ut in terra pariter fiant, et per consequens, ut et potentia concupiscibilis et irascibilis voluntatis nostræ omnia pro Dei gloria agat. Prima (potentia nempe concupiscibilis) nos ferre [25r:] debet ad omnia creata, in quantum a Deo sunt et sunt bona, sed singulariter ad hominem, quia est imago et similitudo Dei,<sup>3</sup> os de osse, caro ex carne<sup>4</sup> nostra, et hinc dilectio proximi. Sed hic actus potentiae concupiscibilis tam generalis et tam extensus debet referri ad desiderium particulaire, ut omnis creatura laudet Creatorem et perveniat in finem, in quem creata est, ad gloriam nempe Creatoris sui.

Pro hoc fine igitur appetere omnia, agere omnia est unire potentiam concupiscibilem voluntatis suæ voluntati Dei. Jam autem potentia irascibilis actus se extendere debent ad omnia, quidquid voluntati Dei contrarium est et gloriæ ejus adversatur. Sed nihil magis adversatur, quam Deo opposita voluntas, quod est peccatum poten-

<sup>a</sup> Correxit ex quo (?)

<sup>1</sup> Cf. Matth. 6,10.

<sup>2</sup> Cf. Matth. 6,10.

<sup>3</sup> Cf. Gen. 1,26.

<sup>4</sup> Cf. Gen. 2,23.

tiæ seu concupiscibilis seu irascibilis. Hinc nihil magis odio habendus, quam actus harum potentiarum voluntati Dei oppositus. Est autem oppositio duplex, oppositio nempe voluntati generali Dei, ut omnia fiant in gloriam suam secundum ordinem, quem instituit, oppositio secunda voluntati particulari Dei, quam nobis lege notam fecit. Omnis oppositio hujus posterioris speciei procedens a voluntate reflexa legem<sup>a</sup> Dei noscente aut volenter ignorante separat nos a Deo propter prædictam oppositionem voluntatis, et hi sunt actus propriæ voluntatis Deo rebellis et suam voluntatem in finem [25v:] actionum suarum statuentis.

Oppositio primæ speciei, quæ fit contra voluntatem Dei generalem, ut omnia fiant pro gloria sua, est nobis adhærens et propria condicioni hominis, ita ut ab omnibus defectibus, imperfectionibus ac ignorantibus hujus speciei immunes esse non possimus in hac vita, sed dum potentia irascibilis voluntatis nostræ secundum voluntatem Dei regulata est, omnibus his actibus irascitur, et sensus suos, qui hanc oppositionem in se nutrunt, omnibus viis corrigere, coercere et purificare intendit, et propterea carnem suam cum omnibus operibus suis crucifigit homo. Hinc opera, ut vocantur satisfactoria et expiatoria, in pænitentia requisita sunt, ut puniantur sensus nostri voluntati Dei oppositi. Ex eo enim, quod justitia Dei etiam sensus pœnam damnatis inflixerit, facile cognoscimus, quod eandem exigat a nobis, donec vivimus.

Hinc vita hominis Christiani, filii Dei, est continua pænitentia, quia potentia irascibilis voluntatis suæ regitur per potentiam concupiscibilem voluntati Dei tam generali (de qua supra diximus), quam particulari, quæ mandata ejus sunt satisfacere volentem, et quo ferventior est hæc concupiscibilis potentia in desiderando, ut voluntas Dei fiat, et <ma><sup>b</sup> quo magis ardens est irascibilis potentia in dolendo, quod hæc non fiat, eo major est hominis charitas, et eo magis intima voluntatis hominis cum Deo [26r:] unio, quia eo ardenter desiderat, ut sanctificetur nomen Dei et ut voluntas ejus sicut in cælo, ita et in terra fiat.<sup>1</sup>

Extensæ sunt hæc<sup>c</sup> expressiones, Domine, et homo sine tua gratia non intelligit illas, propterea nec concipit in his verbis, quæ nos Filius tuus docuit, fundari communionem sanctorum cælestis et terrestris Ecclesiæ unionemque spiritus et voluntatis hujus et illius. Hinc, qui dicunt nescire sanctos, qui in cælis sunt, illa, quæ secundum voluntatem seu Spiritum Christi fiunt in terris, supponunt duas voluntates in Christo et in sanctis, et demum alium Spiritum in sanctis cælestis seu triumphantis et in sanctis militantis Ecclesiæ. Voluntas autem<sup>d</sup> Dei fieri nequit sine Spiritu Christi, quia ipse Spiritus Christi, quem dedit Ecclesiæ, est, quem habuit et habet in æternum facere voluntatem Patris et sanctificare nomen suum.<sup>2</sup> Hæc autem docuit ita facere in terris, sicut fit in cælo, et ad hoc reliquit Spiritum suum in Ecclesia, ut nos doceat omnia,<sup>3</sup> usque ad consummationem sæculi mansurum cum illa,<sup>4</sup> ne portæ inferi prævaleant contra illam.<sup>5</sup>

<sup>a</sup> ante legem duæ (?) litteræ deletæ

<sup>b</sup> Delevit ma

<sup>c</sup> Post hæc litteræ deletæ

<sup>d</sup> autem (?) corrigendo

<sup>1</sup> Cf. Matth. 6,9–10.

<sup>2</sup> Cf. Matth. 6,9–10.

<sup>3</sup> Cf. Ioan. 16,13.

<sup>4</sup> Cf. Ioan. 14,17.

<sup>5</sup> Cf. Matth. 16,18.

Quid dulcior, o Deus, quam contemplari hanc admirandam unionem voluntatis Patris cum filiis et filiorum cum Patre cælesti! Quid mirabilius, quam videre, quod vere fiat in terris, quod fit in cælis, dum te, Pater cælestis, filii tui cum Christo, in Christo et per Christum laudant in terris! Mirabilia [26<sup>v</sup>:] sunt opera tua,<sup>1</sup> Deus, laudet et exalte illa anima mea in unione omnium sanctorum triumphantis et militantis Ecclesiæ per caput ejus, Christum, qui nobis ad faciendam voluntatem tuam, o Pater cælestis, gratiam promeritus est.

Da itaque, o Jesu, Salvator meus, ne quid aliud diligam præter illam, ut moriatur in me, quod meum est, vivat, quod tuum est in te et per te.

MEDITATIO 12<sup>a</sup>  
DE NOVA CREATURA

Adest, o Domine, beatorum memoria temporum, in quibus Filius tuus passus pro peccatis resurrexit in justificationem nostram.<sup>2</sup> Sæpe revocatur mihi in mentem in meditationibus meis, quod veritatem æternam oportuerit in veritate descendere et se naturæ humanæ vere et realiter unire, ut natura humana pro te, Deo creata redderetur denuo capax unionis tecum. Est enim mihi suave hanc veritatem contemplari, et profecto hæc elocutio multum illustrat mysteria, quorum recolo memoriam. Gratia enim tua succurrente agnosco, quomodo æterna veritas veræ humanæ animæ vero corpori unita taliter quodammodo identificari debuerit (ex consequenti decreti tui) huic naturæ, ut numquam amplius separaretur ab ipsa, ut in virtute hujus unionis homo in novam creaturam factus, etiamsi a veritate deviaret, ad veritatem redire posset. [27<sup>r</sup>:] Ex consequenti hujus operis video itaque, quod hæc unio cum vero corpore omni fragilitati et infirmitati subjecto fieri debuerit, ut per veram passionem omnium sensuum expiarentur peccata, quibus homo per lapsum subjectus est, et per mortem naturalem destrueretur mors in virtute resurrectionis corporis humani, cui unita fuerat divinitas.

His taliter consideratis non mirabor, Salvator mi, quod in passione tua tam immaterialibus tormentis te tradere volueris. Inchoasti passionem tuam, o æterna, increata, creatæ veritati (naturæ nempe humanæ) unita Veritas, per agoniam, in qua tua divinitas sibimet tradens per lapsum infirmitatibus subjectam naturam demonstravit, quam fuerit illi durum et repugnans calicem bibere,<sup>3</sup> quem illi propinavit divina justitia. Et ne opus resignationis voluntatis nostræ, unde suum exordium sumpsit peccati expiatio, naturale esse crederemus, ab angelo confortari voluisti, quamvis ipse te confortare potueris, ut dices: Verumtamen non mea, sed tua voluntas fiat.<sup>4</sup> Et sic reformata, ut ita dicam, fuit ante passionem sensuum naturalis animæ tuae voluntas, quæ quamvis divinæ voluntati sibi juncta numquam contraria fuit, se tamen ab illa in veritate seu in realitate distinctam fuisse hoc actu demonstravit.

Confortata igitur ab angelo voluntate humana calicem suscepisti, et in virtute hujus acceptationis voluntatis Patris [27<sup>v</sup>:] cælestis, ecce, omnes acutissimos dolo-

<sup>1</sup> Cf. Ps. 138,14.

<sup>2</sup> Cf. Rom. 4,25.

<sup>3</sup> Cf. Luc. 22,42–43.

<sup>4</sup> Cf. Luc. 22,42–43.

res sensuum quasi agnus ad tondendum et ad occisionem ductus<sup>1</sup> sustinuisti. Potuisse, Domine, post agoniam absque sputis, alapis et opprobris, absque flagellatione et spinea corona statim ad supplicium crucis duci, sed insipientis esset credere haec omnia, quae passus es, antequam crucifigereris, superflua nec per ordinationem Patris facta fuisse, sed a saevitia tortorum processisse. Nihil enim tecum frustra factum est, nec humana malitia in te egit nisi secundum potestatem, quae data fuit illi, ut in te ageret. Cæcus<sup>a</sup> essem igitur, Domine, si non agnoscerem dolores sensuum tuorum te pro expiatione peccatorum, sensuum, non tuorum, sed hominis passum fuisse, ut demonstrares,<sup>b</sup> quid oportuerit fieri, ut humana natura fieret et, ut ita dicam, recreatur in novam creaturam.

In virtute hujus passionis tua regeneratur itaque homo, dum per gratiam tuam applicatur illi virtus passionis et mortis tuae, lavaturque in sanguine tuo in fonte baptismatis, unitur veritati, quia unitur tibi, unitur autem per fidem et desiderium hujus lotionis, id est, per actum voluntatis, et sic tuae passionis efficacia est ipsi per gratiam tuam data justitia. Hæc est prima creatio, in cuius virtute datur regeneration. Sed quia homo, quandiu vivit, impeccabilis non est, dum a voluntate tua ad suam reversus a veritate separatur, hanc justitiam, quae ipsi [28r:] innocentiam restituerat, amittit, sed non illam justitiam, per quam ad hereditatem filiorum Dei vocatus est, et in quantum hæc characterem filii Dei dedit in baptismate.

Hinc Christianus etiam fide negata non amplius rebaptisatur, quia character, quem recepit, indelebilis est ex virtute unionis hypostaticæ et numquam separabilis aeternæ veritatis cum natura humana. Unde nascimur ex Deo, dum regeneramur in spiritu per Spiritum veritatis; dum denique veritas per fidem infunditur animæ, et sic Christum induimus<sup>2</sup> vere, quia in veritatem intramus, et in hoc sensu, donec homo fidem non negat, semper manet in Christo seu in veritate; sed si peccatum per propriam voluntatem regnat in illo, veritas non est in illo, sed habet se per modum vestimenti extrinseci. Sic neobaptisatus induit Christum et vivit in Christo seu induit veritatem per characterem et vivit in veritate, donec facit voluntatem veritatis, sed dum ab hac recedit ad voluntatem propriam, veritas non est amplius in eo intrinsece, sed ille est in veritate extrinsece, sicut est homo in veste, quam induit.

Hinc sequitur duplex unio inter illos, qui nascuntur ex Deo: unio fidei in Christum, quia eandem cognitionem veritatis recipientes induimus (sicut dixi) veritatem, sed dum veritatem seu Christum in eodem spiritu intelligimus, fit unio intrinseca, [28v:] quia per intelligentiam uniformem veritatis fit nobis veritas magis intrinseca, quam fuit per simplicem cognitionem. In hac unione consistit corpus Christi, cuius membra sumus,<sup>3</sup> quia hæc uniformis intelligentia veritatis est Spiritus veritatis seu Spiritus Christi. Membra autem sumus hujus corporis, donec hanc confessionem facimus ore per professionem fidei ad salutem, sed sumus membra putrida, paralytica, si hanc confessionem non facimus corde ad justitiam, quia confessio cordis est confessio voluntatis. Ex his confidentibus ore et corde appareat disparitas inter corpus Christi visible et corpus Christi invisible, nec tamen duo corpora sunt, quia uniuntur per eandem professionem fidei et intelligentiam veritatis, et sic vivunt in eodem

<sup>a</sup> *cæ-* corrigendo

<sup>b</sup> *de-* corrigendo

<sup>1</sup> Cf. Is. 53,7.

<sup>2</sup> Cf. Gal. 3,27.

<sup>3</sup> Cf. Eph. 5,30.

Spiritu veritatis, quod sufficit ad unionem corporis visibilis, quamvis non uniuntur per voluntatem particularem cum veritate, quam profitentur. Hæc enim unio vitam internam et æternam respicit.

Ex his das me intelligere, Domine, quod hoc corpus tuum visibile per spiritum veritatis seu per uniformem intelligentiam veritatis animatum habeat suum nutrimentum, sed quia veritas est summa simplicitas, nutrimentum veritatis nequit esse nisi verbum veritatis, quia sicut cibus nutrit corpus, ita verbum tuum nutrit intelligentiam veritatis. Hinc verbum internum et externum [29<sup>r</sup>:] veritatis: internum nutritiens veritatem ad salutem in illis, qui corde profitentur ad justitiam, verbum veritatis externum est pro illis, qui veritatem ore profitentur ad salutem in unione intelligentiae seu communionis. Qui taliter uniti in spiritu veritatem in corde animæ habent diligentes veritatem, in veritate audiunt, legunt et intelligunt, quia veritas est in illis, sed qui veritate tamquam vestimento induiti extrinsecus portant illam per confessionem solummodo oris, docentur per veritatis spiritum, seu sicut dictum, per uniformem doctrinam illorum, qui in eadem intelligentia veritatis uniuntur.

Hinc quisquis se doctrinæ semper uniformi opponit, se veritati opponit et a communione veritatis se separat. Veritas, Domine, quam nobis communicas per verbum tuum, vetustissima est et nova, quia a condito orbe videmus, quod omnia, quæ de veritate revelasti, successive revelaveris, et ipsa Veritas æterna ideo misit Spiritum veritatis, ut revelaret apostolis et fidelibus omnia, quæ fuerunt antiqua, sed respectu revelationis in tempore fuerunt nova, et sic, quia hic Spiritus veritatis manet<sup>1</sup> usque ad consummationem sæculi in corpore Christi seu veritatis, ideo docet nos veritates<sup>2</sup> antiquas in novis temporibus, in quibus contra veritatis spiritum exsurgit spiritus mendacii. [29<sup>v</sup>:]

Prior autem nos docet per os totius corporis, quia est spiritus totius corporis de omnibus, quæ necessaria sunt ad intelligentiam illarum veritatum, quæ in se semper fuerunt, sed explicatae non exstiterunt. Huic autem spiritui se non conformare est recedere a spiritu unionis, prout dictum est. In hoc corpore diversitatem membrorum et functionum Apostolus enumerat,<sup>3</sup> dispensatores gratiarum manifestat; hæ autem gratiæ, quarum sunt dispensatores, sacramenta sunt.

Ubi ergo de sacramentis et illorum usu ac dispensandi modalitate uniformis est doctrina, et omnes diversi status appropriata habent sacramenta, ibi fit vere dispensatio gratiarum. Spiritus veritatis seu Christi semper et ubique idem est in cælo et in terra. Qui in illo vivunt, in æternum vivunt, et in quibus est, non moriuntur. Hinc unum est corpus ejus in cælo et in terra, sed hujus pars jam hereditate fructifera, pars hereditatem quærerit, pars, inquam, Christum possidet seu veritatem in veritate videt, pars militat pro veritate in mundo. Hi tamen et illi ex uno corpore exercitus sunt, partim triumphantis, partim militantis.

Mirabilis et adorandus est modus, quem tu, o veritas æterna, in conservatione directioneque corporis hujus observas. Permittis enim scandala, permittis falsos prophetas, permittis [30<sup>r</sup>:] hypocritas, sub pelle ovium lupos rapaces,<sup>4</sup> denique permittis inimicum hominem in agrum, in quo triticum purum seminasti, superseminare

<sup>1</sup> Cf. Joan. 14,17.

<sup>2</sup> Cf. Joan. 16,13.

<sup>3</sup> Cf. Rom. 12,4 sqq.

<sup>4</sup> Cf. Matth. 7,15.

zizania<r><sup>a</sup> et tu sinis crescere illa, ne ante tempus evelledo evelleretur et triticum,<sup>1</sup> et hoc fit etiam respectu multarum praxium et rituum, quos sano consilio induxit quondam Spiritus veritatis, sed simplicitatem usus corruptit spiritus hominis. Sinis enim crescere hæc zizania, ne evelledo evelleretur et triticum sanctæ et simplicis fidei illorum, quibus tantum hoc unum talentum<sup>2</sup> dedisti. Exsurgit scientia humana et replet cathedras, clamant, disputant, se calumiantur, proscindunt, proscribunt, excommunicant scioli, scandalisantur debiles, et quandoque commoventur etiam fortes, irrident extranei, et interrogant, quæ est veritas inter sententias sibi apparenter oppositas? Sed tandem consultur Spiritus veritatis, doctrinæ nempe continuata uniformitas, et conservatur hujus fili contiguitas. Novitatibus opponitur vetustas et luce meridiana clarius appetit novitas, que vel condemnatur et tacet, vel resecatur, si tacere non vult, nec utri veteri novum vinum infunditur.<sup>3</sup>

Hæc autem omnia disponis, Domine, ut suo et a te ordinato tempore fiant, ut probetur fidelium docilitas et subsequatur beatitudo illorum, qui non scandalisantur [30<sup>v</sup>:] in te, o divina veritas. Multi cadunt, multi deviant, multi seducuntur, ut apparat profunditas judiciorum tuorum et æternum veritatis oraculum, quod multitudinem vocatorum, paucitatem electorum<sup>4</sup> futuram enuntiavit. Sed hæc meditam,<sup>b</sup> numquid non recessi a meditationis meæ proposito de nova creatura? Non, Domine, quia resurgendo tumet ipse in novam creaturam factus es et corpus tuum in vetustissima veritate renovasti, et hæc est nova creatura, quæ in vetustate veritatis renovatur, <dum><sup>c</sup> vetustas temporalis peccati exiit, vestis renovata veteris innocentiae induitur, in qua creatus fuit primus homo. Indueras vestem veterem peccati in incarnatione, et hanc renovasti in vetustate novitatis in resurrectione.

Sic renovasti, Domine, etiam corpus tuum mysticum, corpus veritatis renovando legem vetustatis per Spiritum veritatis, qui verum sensum [vetus]<sup>d</sup> veterum scripturarum docet et veterem veritatem manifestat, seu scripta sit illa, seu non sit. Quin enim tantum illis adhærent, quæ scripta sunt, rejectis illis, quæ scripta non sunt, litteræ adhærent, non veritatis Spiritui fidem habent ex littera, non ex auditu, quam apostoli omnes per prædicationem propagarunt, pauci scripserunt, sed nec tu, o veritas æterna, jussisti scribere verba tua discipulis tuis, sed annuntiare omni creaturæ<sup>5</sup> et docere, quia legem [31<sup>r</sup>:] tuam in cordibus fidelium voluisti scriptam esse,<sup>6</sup> et hinc fuit factum, quod de illis quoque, quæ de historia vitae Christi et de apostolorum doctrina scripta remanserunt, Spiritus veritatis cum fidelibus existens per unanimem acceptationem et sic factam veritatis agnitionem præbuerit testimonium, Scripturas enim, quas Novum Testamentum appellamus, non dicimus Deum aut Christum digito suo (sicut legem veterem) in tabulis scripsisse<sup>7</sup> et in visibili maje-

<sup>a</sup> Correxit ex *zizaniar*

<sup>b</sup> Sic!

<sup>c</sup> Delevit *dum* [litteram *m* corrigendo in *Ei?*]

<sup>d</sup> Delevit *vetus*

<sup>1</sup> Cf. Matth. 13,24 sqq.

<sup>2</sup> Cf. Matth. 25,15 sqq.

<sup>3</sup> Cf. Luc 5,37.

<sup>4</sup> Cf. Matth. 20,16.

<sup>5</sup> Cf. Marc. 16,15.

<sup>6</sup> Cf. Hebr. 10,16.

<sup>7</sup> Cf. Deut. 9,10.

state sua publicasse, aut angelum de cælo tulisse, sed alii (velut Matthæus et Ioannes), quæ viderunt, alii (velut Marcus et Lucas), quæ audierunt, scripserunt tamquam historias, et has ab ipsis scriptas fuisse, et quæ Petrus, Paulus, Jacobus, Judas, Joannes in Epistolis et in Apocalypsi scripserunt, a Spiritu veritatis dictata fuisse.

Spiritus veritatis in corde fidelium infusus agnovit et horum fidem conservat et conservabit usque ad consummationem sæculi. Ille fuit, qui veritatem inter tot apocrypha evangelia sub nomine apostolorum scripta discernere scivit, et hinc merito dicit Augustinus,<sup>1</sup> quod nec evangelio credidisset, si illi credere Ecclesia non præcepisset, quia in unanimitate acceptationis latuit<sup>2</sup> Spiritus veritatis, ita ut acceptans Spiritus veritatis acceptatae veritati præbuerit testimonium in cordibus fidelium. [31<sup>v</sup>:] Et quam in corde sensit veritatem in scriptis agnoscens, ore quoque professus fuerit fidelium cœtus, et sic acceptans et acceptatum unum idemque fuit.

Non potest dici igitur, quod acceptatio fecerit esse vera, quæ vera fuerunt per se, sed ideo fuerunt acceptata, quia vera fuerunt. Nisi enim vera fuissent, Spiritus veritatis illis testimonium non præbuisset, sed si testimonium non præbuisset, veritatem ignorassemus et veritatis Spiritus in nobis non fuisset, quia veritatem rejecissemus. Sed quia Spiritus, qui Scripturas dictavit, et qui illas acceptavit, unus idemque Spiritus fuit, se in unanimitate acceptationis manifestavit, et sic se manifestat in illis quoque, quæ scripta non sunt, semper tamen vera fuisse per unanimem consensum et doctrinam patrum agnoscantur. Nec frustra dicit Joannes evangelium suum his verbis concludens: Sunt autem et alia multa, quæ fecit Jesus, quæ si scribantur per singula, nec ipsum arbitror mundum posse capere eos, qui scribendi sunt, libros.<sup>2</sup>

Dicemusne hanc locutionem esse metaphoricam exaggerationem? Dicemusne illa, quæ Veritas æterna, Jesus fecit, esse indifferentia et ideo non fuisse scripta? Dicemusne denique Joannem, qui plenitudinem Spiritus Sancti recepit, illorum oblitum fuisse, nec plus, quam breve, quod scripsit, evangelium scribere scivisse? Absit, o Domine, hæc locutio ab ore meo! Quæ Joannes scripsit, veritas dictavit, et Spiritus veritatis vera esse agnovit, et ille est, qui in corde et in ore meo agnoscit æternæ veritatis facta [32<sup>r</sup>:] omnia in libris scribi non potuisse, sed in corda infundi oportuisse per Spiritum, qui replevit orbem terrarum<sup>3</sup> et immensus est, et ideo oportuit mittere hunc Spiritum, qui doceret omnia, non tantum super apostolos, sed super omnes, qui baptisantur et credunt, ita ut maneat cum illis usque ad consommationem<sup>4</sup> sæculi, qui uniti sunt in hoc spiritu per uniformitatem doctrinæ et intelligentiæ veritatis. Dixit autem Christus: Ero vobiscum usque ad consommationem<sup>b</sup> sæculi.<sup>4</sup> An cum solis apostolis? Non profecto, quia illi mortui sunt, sed cum omnibus, qui Spiritum veritatis recipiunt; sed nec dicit se futurum in illis omnibus, sed cum ipsis.

Sufficit enim in eadem fidei professione et intelligentia esse, ut veritas sit cum ipsis, et hæc est Ecclesia visibilis; sed oportet in veritate agere voluntatem seu mandata veritatis facere, (quod est diligere), ut veritas sit cum illis et in illis, et hæc est Ecclesia invisibilis; una tamen, quia Spiritus veritatis est cum his et illis per confes-

<sup>a</sup> Correxit ex placuit

<sup>b</sup> Sic!

<sup>1</sup> Cf. ubi?

<sup>2</sup> Sunt autem...: Ioan. 21.25.

<sup>3</sup> Cf. Sap. 1.7.

<sup>4</sup> Cf. Matth. 28.20.

sionem oris, et hæc est nova creatura corporis mystici resurgens cum Christo, glorificata in resurrectione, sanctificata autem per descensum Spiritus Sancti et effusione Spiritus, ita ut sit una, sancta, apostolica et universalis,<sup>1</sup> quia Spiritus veritatis est cum illa. Quia autem Christus resurgens non moritur,<sup>2</sup> ita nec hæc creatura nova morietur umquam.

Sed ex membris illius moriuntur multi, quia natura humana in concreto ut natura resurrexit, glorificata et reparata est in [32<sup>v</sup>:] veritate, Christo, ita, ut gloriae ejus capax redditus sit omnis homo, cui sanctificationis seu passionis, redemptionis et glorificationis virtus applicatur in individuo. Et hinc sit, quod multi hos per virtutem baptismatis applicatos effectus seu restitutam innocentiam amittunt et amittere possunt et sic denuo mori peccato, sed capacitatem resurrectionis a virtute resurgentis numquam morituri Christi procedentem non amittunt. Moritur fides non operans in dilectione, non tamen moritur, donec homo fidei renuntiet. Quamdiu enim fidem profitetur, sicut dixi, veritas est cum ipso, sed quia veritatem non diligit, quia non facit, veritas non est in ipso, et quia non est in ipso, corde non credit ad justitiam, et quia non credit corde, non vivit in fide, quia autem non vivit in fide, fides mortua dicitur, sed donec ore confitetur fidem, resurrectionis capax est, et quia fidei renuntiavit, fides est cum ipso ad capacitatem resurrectionis et per hanc obtainendæ salutis; et sic valet secundum sensum Apostoli<sup>3</sup> confessio oris ad salutem, sed ipsa fides non est in ipso, quia non credit ad justitiam.

Qui igitur in nova creatura corporis Christi mystici manent, et cum quibus Spiritus veritatis est, per confessionem oris ejusdem fidei, per unionem hanc capaces sunt resurrectionis per novam resurrectionem seu applicationem secundi baptismatis in virtute primæ lotionis operantem, et hoc est pænitentiæ sacramentum. Sacramentum dico, quia hic secundus baptismus novam [33<sup>r</sup>:] applicationem et distinctam gratiam a prima vocatione ad baptismum requirit, quamvis ex fonte omnis gratiæ meritorum Christi emanet, et ideo, quia distincta gratia est, distinctum canalem [habere]<sup>a</sup> et quia distinctum canalem, distinctum a baptimate sacramentum esse debet.

Etiamsi igitur littera Scripturæ (quamvis et illa doceat) pænitentiæ sacramentum non doceret, hæc, quæ refero, veritatem doctrinæ, quæ pænitentiam sacramentum esse semper docuit, Spiritus veritatis, qui per gratiam tuam mecum est ex horum, quæ illo adjuvante profero, consideratione agnosceret.

Profiteor igitur et adoro mirabilia tua, o veritas æterna, quæ mihi resurrectionis tuæ et novæ creaturæ mysteria manifestant. Memoro in amaritudine et dolore cordis mei, quam sæpe mortuus fuerim, consolor tamen in eo, quod veritas semper fuerit mecum, quia fidem non negavi ore et per consequens a corpore novæ craturæ tuæ (in qua datur resurrectio) avulsus non fuerim, quia in hac gratia me conservavit tua misericordia etiam tunc, dum fidem et te, veritatem in corde meo occidit mea malitia per peccaminosa et dilectioni tuæ, quia mandatis tuis, contraria opera.

Resurrexi, Domine, per gratiam tuam, qui fidem, quam ore profiteor, corde sentio, præserva me, ne denuo moriar! Salutem enim omnibus te diligentibus seu in te in fide viva credentibus promisisti, et hæc est corona justitiæ, quam debes illis, quia

<sup>a</sup> Supplevit *habere* supra lineam

<sup>1</sup> Cf. Symbolum Nicæno-Constatinopolitanum (Credo).

<sup>2</sup> Cf. Rom. 6,9.

<sup>3</sup> Cf. Rom. 10,10.

promisisti, et fidelis es in sermone tuo, sed perseverantia in hac dilectione usque in finem (cujus præmium est salus) [33<sup>v</sup>:] nemini promisisti, quia hoc est donum pure gratuitæ misericordiæ tuæ et effectus prædestinationis, per quam vasa misericordiæ a vasis iræ<sup>1</sup> separasti, ut in his justitia, in illis tua manifestaretur misericordia.

Quis est, o Domine, qui inspexit librum illum septem sigillis clausum<sup>2</sup> et dicere potest: Nomen meum in libro vitæ scriptum est?<sup>3</sup> Non essent in Ecclesia tua paleæ, zizania et pisces, qui in hac sagena<sup>4</sup> misericorditer capiuntur, non essent repartiendi in bonos et malos, si omnes, qui vocantur ad fidem, electi essent ad salutem. Manifestasti hoc mysterium statim in primo angelo et in primo homine, unum in cælo,<sup>a</sup> alterum in paradiſo voluptatis collocaveras, uterque illorum innocens fuit, numquid dicere potuſſet: Deus me huc elegit; si fidelis permanero, hic manebo. Sed quis illorum potuit dicere: fidelis permaneo; et si dixiſſet, ex factis illorum vidissemuſ, quod loquela illorum insipiens fuuiſſet. Quis fuit fidelior servus in domo tua, Domine, Moyse,<sup>5</sup> cui hoc testimonium ex ore tuo præbuuiſti, et numquid non et illi eandem promiſſionem feceras, quam cetero ſemini Abraham? Quis est tamen, qui te interrogare præſumnet, cur illi non dederis gratiam perseverandi in fidelitate, ut ad promiſſionem pervenire et terram ingredi potuſſet? Quoties petuit hanc gratiam, et quam ferventer petiit, et tamen non obtinuit. Omni populo Israel promisisti hanc terram et tamen nonniſi duo intrarunt in illam.<sup>6</sup>

Esſet itaque loquela Petri, si tibi dicerem: Etiam si oportuerit me mori tecum, non te negabo,<sup>7</sup> dicerem [34<sup>r</sup>:] quidem, quod me nunc ſentire dediſti, quod et ille hæc dicens ſenſerat, ſed si me ſemper in hac diſpoſitione permansurum crederem, non noſcerem fragilitatem meam, hanc tamen gratiam in firma ſpe ſperare poſſum et debo dicere cum Paulo: Omnia poſſum in eo, qui conforſtat me;<sup>8</sup> ſed mihi hanc gratiam perseverantiae tamquam certam poimittere eſſet de tua bonitate preſumere. Si ergo nec collocatio angeli in cælo nec hominis in paradiſo nec ad populum nec ad Moyſem facta promiſſio nec Petri et Iudæ in apostolatum vocatio potuit illos certos reddere de beatitudine, ſola vocatio ad fidem, quem asſecurabit, cum donum perseverantiae nemini promiſiſti, ſed das, cui dare decreviſti, et ex hiſ ſpectu vocatorum pauci ſunt, quos elegiſti.<sup>9</sup> Petrus te negavit, pejeravit et te non noſcere<sup>10</sup> dixit, et tamen respexiſti illum, ideo flevit et pænituit. Judas dicens: Peccavi tradens ſanguinem iuſtum,<sup>11</sup> confuſus eſt peccatum, et tamen non respexiſti illum et ſe ſuſpendit.

Non investigo, Domine, judicia tua, ſed refero, ut in timore et tremore operer ſalutem meam,<sup>12</sup> et per opera te misericorditer adjuvante facta certam faciam voca-

<sup>a</sup> Correxit ex *cælum*

<sup>1</sup> Cf. Rom. 9,22–23.

<sup>2</sup> Cf. Apoc. 5,1.

<sup>3</sup> Cf. Apoc. 20,15.

<sup>4</sup> Cf. Matth. 13,47 ſqq.

<sup>5</sup> Cf. Num. 12,7

<sup>6</sup> Cf. Deut. 1,35–36.

<sup>7</sup> *ſi oportuerit....* Matth. 26,35.

<sup>8</sup> *Omnia poſſum....* Phil. 4,13.

<sup>9</sup> Cf. Matth. 20,16.

<sup>10</sup> Cf. Matth. 26,72.

<sup>11</sup> *Peccavi....* Matth. 27,4.

<sup>12</sup> Cf. Phil. 2,12.

tionem meam, dicens cum apostolo: O altitudo divitiarum, scientiæ<sup>1</sup> etc., ut sic me projiciam in abyssum judiciorum tuorum de me, Pater enim meus es et infinite bonus et misericors es. Volo itaque, quod de me vis et decrevisti in tempore et in æternitate. Non noscerem meum nihilum, et peccatum meum non esset contra me [34v:] semper,<sup>2</sup> si ita sperarem in misericordia tua, ut non timerem tuam justitiam, sed te, Deum non noscerem, si ita timerem justitiam tuam, quin sperarem et confidrem in tua misericordia.

Fac igitur per immensum pretium sanguinis Filii tui effusi pro me, ut timens et sperans diligam te omni momento, sed præcipue ultimo vitæ meæ, ut perveniam ad te.

MEDITATIO<sup>a</sup> 13..  
DE EADEM MATERIA SECUNDA

Mysterium est, Domine, magnum nova creatura, et hujus meditatio est diligentibus suavis delectatio, quia patefacit, quanta fuerit tua, o Pater cœlestis, erga mundum dilectio, quanta Filii tibi coœqualis humiliatio et glorificatio, et quam efficax Spiritus, quem misit, effusio, sanctificatio et operatio. Audeamne dicere, Domine, Salvator mi, quod natura humana felicior facta sit per tuæ resurrectionis glorificationem, quam fuerat per primam creationem; possem<sup>b</sup> exclamans dicere: O felix culpa, quæ tantum ac tales meruit habere Redemptorem!<sup>3</sup> Tu enim, Domine, dignaris elevare oculos meos intellectuales ad videnda magna mirabilia tua, quæ effari vix audeo, quia litteræ, quam scribo, spiritum dare nequeo, ut legentis intelligat spiritus, quæ mihi dictaret Spiritus. In prima creatione, posteaquam dixisses, Deus: Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram,<sup>4</sup> assumpsisti limum [35v:] terræ et inspirasti<sup>5</sup> in faciem eius spiraculum vitæ, et factus est homo in animam viventem.<sup>6</sup> Possem, Domine, per gratiam tuam ex his deducere, quod homo creatus in prima creatione fuerit imago tua et homo de novo creatus seu natura hominis nova creatura in Christo facta fuerit similitudo tua; et fortassis hæc consideratio produxit opinionem illam, quod etiamsi Adam non peccasset, Filius tuus venisset in mundum. Sed præscindo, Domine, inquirere, quid factum fuisset, utilius est enim mihi et longe certius illa contemplari, quæ fecisti, quam illa, quæ facere potuisses et potes. Tuæ enim potentia immensitas est mihi adoranda obscuritas.

In præcedenti meditatione itaque te adjuvante et, vere possem dicere, ducente scripsi de illis, quæ pertinent ad novam creaturam corporis tui mystici. Ecce, dignaris me vocare ad meditanda illa singulariter, quæ spectant ad novam creaturam in individuo cuiusvis hominis, qui resurgit tecum. Sed adhuc dignaris in mentem revo-

<sup>a</sup> Correxit i ex o

<sup>b</sup> Post possem duæ litteræ erasit (-ne?)

<sup>1</sup> O altitudo...: Rom. 11,33.

<sup>2</sup> Cf. Ps. 50,5.

<sup>3</sup> O felix...: Exsultet (Laus cerei)

<sup>4</sup> Faciamus...: Gen. 1,26.

<sup>5</sup> Cf. Gen. 2,7.

<sup>6</sup> In faciem...: Gen. 2,7.

care quædam, quæ ad<sup>a</sup> totius naturæ novam creationem spectant et respiciunt, beneficia, quæ tuæ resurrectionis virtus naturæ humanæ communicavit. Quidquid enim corpus resurgentis Salvatoris acquisivit, fratribus suis commune fecit, et quæ sint hæ corporis gloriæ proprietates, in suis apparitionibus post resurrectionem manifestavit. Sed ut has omnibus demeritas esse clarius pateat, resurgentे illo multa corpora sanctorum resurrexerunt et [35v:] apparuerunt in Jerusalem.<sup>1</sup> Multi sunt, qui legunt illa, quæ post resurrectionem contigerunt, sed non omnes legentes considerant, quod illis, quæ Salvator noster post resurrectionem suam fecit, non solummodo fidem resurrectionis suæ stabilire voluit, sed etiam aliorum mysteriorum, ad quorum considerationem dignaris me revocare, Domine.

Dixi in præcedenti meditatione mea æternam Veritatem verbum veritatis reliquise pro nutrimento fidei corpori suo mystico, novæ illi creaturæ, et hoc nutrimentum commune est omnibus, cum quibus est Spiritus veritatis, sed præter hoc nutrimentum aliud quoque panem et vinum dedit, quo nutrimentum illi, in quibus est, quem si manducant et bibunt illi, in quibus non est, judicium manducant et bibunt.<sup>2</sup> Panis ergo verbi est communis omnibus, cum quibus est per fidem et uniformem intelligentiam veritatis, et in quibus est per dilectionem et opera veritatis. Sed panis vivus, quem nobis dedit, quamvis ab omnibus sumatur æqualiter, illos solummodo nutrit, cum quibus et in quibus est veritas. Est enim non tantum verbum, sed verum et reale corpus veritatis. Mirabile et admirandum est hoc fidei mysterium, et qualemnam fidei perfectionem requirat, et quomodo hoc, quod creditur, omnipotentia Dei facere valeat, in apparitionibus suis post resurrectionem Veritas æterna demonstravit, dum clausis foribus invisibilis et tamen palpabilis, [36r:] palpabilis et tamen incorruptibilis, corporalis et tamen spiritualis, spiritualis et tamen ossa et carnem habens in medio discipulorum apparuit.<sup>3</sup>

Dicant philosophi, quantum volunt, quod accidentia sine substantia subsistere nequeant; ego te, Domine, omnia posse credo, et doctrinæ illorum ex hac apparitione contrarium agnosco, quia visibilitas, palpabilitas sunt accidentia substantiæ corporeæ corruptibilis, quæ tamen sine corruptibili substantia subsistere potuerunt, nec tamen imaginaria fuerunt accidentia visibilia, quæ apostoli viderunt, sed in substantia (omnem philosophiæ captum transcendentem) corpore<o><sup>b</sup> spirituali [apparū]</o><sup>c</sup> apparuerunt, huic tamen substantiæ illa visibilitas et palpabilitas pure corporalis, quam apostoli viderunt et palparunt, propria non fuit, quia si propria fuisset, apostoli semper et vidissent et palpare potuisserent; sed alia visibilitas et palpabilitas fuit huic corpori glorificato propria, quam visus et tactus pure carnalis et mortalibus videre non potuisse, si visibilitas et palpabilitas, quam apostoli viderunt et palparunt, accidentia sine propria substantia non fuissent; sine propria, dico, substantia, absit enim dicere sine omni substantia fuisse. Sed quia substantia, quæ sub illis accidentibus fuit, non fuit accidentium visibilitatis et palpabilitatis pure mortalibus propria substantia, sine substantia fuisse dici potest. Autumo enim, sed certe asserere non præsumo, quod visibilitas et palpabilitas, quæ fuit propria corpori Christi [36v:] glorificato,

<sup>a</sup> Correxit litteram *a*

<sup>b</sup> Correxi

<sup>c</sup> Delevit ms.

<sup>1</sup> Cf. Matth. 27,52–53.

<sup>2</sup> Cf. 1 Cor. 11,29.

<sup>3</sup> Cf. Luc. 24,36 sqq.

nonnisi a corporibus pariter glorificatis videri et palpari potuisset, et a mortalibus sensibus apostolorum videri et palpari non potuisset.

Hæc dant mihi, o Domine, ideam illius mysterii, quod in sacramento Eucharistiae credendum positiva verba veritatis incarnatae jubent. Nullus textus clarior in tota Scriptura, et in versione horum verborum, hoc est corpus meum,<sup>1</sup> nulla reperitur discrepantia; pro sacramento habetur communio eucharistica ab omnibus Christianis, sed, o Domine, dum de intelligentia hujus veritatis res est, omnem Christianitatem seu regnum tuum, Jesu mi, in tres partes divisum reperio. Sunt adhuc, qui te interrogant: Quomodo potest hic nobis dare carnem suam ad manducandum?<sup>2</sup> Et scandalisantur<sup>3</sup> in verbis tuis, recedunt a sensu obvio verborum et loco corporis signum substituunt in sacramentum. Alii, Domine, plus credunt verbis Veritatis æternæ, corpus enim dari corpus manducare credunt, intellectum in obsequium fidei incaptivant, sed sensus fidei subjicere nequeunt et a simplici intelligentia verborum ad explicationes recedentes et corpus et panem profitentur et sumunt. Sed qui verba tua spiritum esse<sup>4</sup> et te verba vitae habere<sup>5</sup> in pura et simplici fide credunt, nonnisi corpus sub<sup>a</sup> speciebus accidentium panis et sanguinem sub speciebus vini velatum adesse credunt, et omnes sensus suos in hoc mysterio falli profiteri malunt, quam vel in minimo recedere ab intelligentia verborum Veritatis æternæ. Dicunt Christum Dominum nostrum panem [37r:] sumpsisse, panem fregisse, panem benedixisse, sed apostolis non amplius panem, sed corpus suum dedisse ad manducandum, quia dixit: Hoc est corpus meum, accipite et manducate.<sup>6</sup>

Clarum est, o Domine, non corpus et sanguinem dare hanc fidem puram et simpli-  
cem, quæ omnium sensuum suggestionem transcendit et ideo nulli errori subjecta  
est, quia siquidem nonnisi nostra carnalitas causat, quod fides nostra sit obscura et  
quodammodo credimus sub ænigmate,<sup>7</sup> ex consequenti clarum est, quod quo plus  
recedit homo a carnalitate, eo purior efficitur fides, sed numquam a carnalitate plus  
recedit, quam dum propriis sensibus non credit, sed illos ita incaptivat, sicut intellectum  
in obsequium mysterii, credens, quem non videt, Christum adesse,<sup>b</sup> et non  
credens, quem videt, gustat et palpat panem cum Christo sumere. Omnis homo  
deberet profiteri talem fidem esse supernaturem et miraculosam, sed quibus illam  
dare non dignaris, irrident, impugnant et humanarum inventionum arguunt illos, qui  
hanc veritatem corde et ore profitentur.

Magnum et vere magnum doloris est argumentum diligentibus veritatem tuam  
divisos esse illos, qui in sacro baptismatis fonte idem sacramentum, eandem fidem  
recipiunt, in intelligentia autem veritatum tam separati sunt. Scio, Domine, te reve-  
lante hæc oportuisse taliter fieri et venire scandala, vœ autem illi, per quem intra-  
runt,<sup>8</sup> sed nec minus vœ illis, qui cadunt et a corpore tuo avulsi sunt. [37v:] Frustra

<sup>a</sup> Superscriptum

<sup>b</sup> Delevit litteram inter *d* et *s*, post superscripsit litteram *e*

<sup>1</sup> *Hoc est...* Matth. 26,26 etc.

<sup>2</sup> *Quomodo...*: Ioan. 6,53.

<sup>3</sup> Cf. Ioan. 6,62.

<sup>4</sup> Cf. Ioan. 6,64.

<sup>5</sup> Cf. Ioan. 6,69.

<sup>6</sup> Cf. 1 Cor. 11,24.

<sup>7</sup> Cf. 1 Cor. 13,12.

<sup>8</sup> Cf. Matth. 18,7.

dicunt se fidem habere, ex fide vivere, qui veritatem in veritate non profitentur, quia si veritatis differens professio esset possibilis, veritas esset divisibilis. Jam autem quoquomodo quis credit dogma in unitate, si differt in dogmatis intelligentia, recepit a veritate, sicut in supra dictis de Eucharistiæ sacramento clare patet; omnis enim Christianitas in illo Christum adesse credit, sed præsentiam ejus supra fatis modis explicat, et ex tribus differentibus dogmatis hujus [differentiis]<sup>a</sup> intelligentis nonnisi una potest esse veritati conformis.

Vere, Domine, novæ creaturæ est proprietas vera illa Christiana humilitas, quam manifestat docilitas, per quam conservatur spiritus unitas, qui consistit in uniformitate sensus. Clamat æterna Veritas: Nisi quis abnegaverit semetipsum et<sup>b</sup> tollens crucem suam secutus fuerit<sup>d</sup> me, non potest esse meus discipulus.<sup>1</sup> Qui hæc verba intelligunt, essentiam abnegationis in abnegatione proprii sensus statuunt.<sup>c</sup> Unde numquam recedunt a doctrina patrum, nec dicent umquam errasse novam illam creaturam corporis Christi, cuius membra sumus.<sup>2</sup> Agnoscent cathedram veritatis visibilem et in illa quærunt centrum unitatis. Quomodo posset enim esse fides ex auditu,<sup>3</sup> si non prædicaretur, quomodo prædicaretur autem, si hæc cathedra invisibilis esset? Ad quid essent doctores et Scripturarum interpres, quos Apostolus in Ecclesia esse manifestat,<sup>4</sup> nisi ad docendam visibiliter veritatem? Jam autem horum doctorum in docenda veritate uniformitas est centrum unitatis, secundum [38r:] quam examinandi et conformandi sunt membrorum spiritus, et ut conservetur unitas, requiritur docilitas.

Dicit Apostolus: quodsi angelus de cælo descendenter, aliam non recipiamus doctrinam, quam suam;<sup>5</sup> et quomodo suam agnoscemus, nisi ex conservatione ejusdem doctrinæ? Hanc autem conservationem unde discernemus, nisi ex contiguitate, et ipsam contiguitatem ubi evidentius reperiemus, quam in conciliis generalibus, qui fuerunt conventus omnium pastorum, doctorum et interpretum, qui ad regendam Christi Ecclesiam constituti fuerant? Qui horum doctrinam rejiciunt, visibilem cathedram veritatis non habent, qui autem hanc non agnoscent, fidem ex auditu<sup>6</sup> esse negant, sine qua non datur communio sanctorum in Ecclesia, quia nisi quis ore profiteatur, quid credit, ignoratur.<sup>f</sup> Quodsi autem quod credit, ignoratur, quomodo communio, quæ est communis unio, conservabitur?

Hinc speculativa est fides et hac communione sanctorum caret, quæ credit Ecclesiam, et non credit in Ecclesiam. Ad quid oporteret ore credere ad salutem, si sola cordis confessio sufficeret, nisi ut per oris professionem fiat fides (ut ita dicam)

<sup>a</sup> Delevit *differentiis*

<sup>b</sup> Supplevit in margine &

<sup>c</sup> Correxit ex *tollit*

<sup>d</sup> Correxit ex *sequatur*

<sup>e</sup> Correxit *sensus statuunt ex status sentiunt*

<sup>f</sup> -ur supra lineam

<sup>1</sup> Cf. Matth. 16,24.

<sup>2</sup> Cf. Eph. 5,30.

<sup>3</sup> *Fides...:* Rom. 10,17.

<sup>4</sup> Cf. 1 Cor. 12,28–29.

<sup>5</sup> Cf. Gal. 1,8.

<sup>6</sup> Cf. Rom. 10,17.

audibilis, ut propagetur<sup>a</sup> veritas, et in communione seu communicatione ejusdem fidei conservetur unitas. Quid prodest credere, quod sit Ecclesia, si quis ignorat, quæ sit Ecclesia; et quomodo potest quis dicere se esse in communione Ecclesie, si illam ignorat et doctrinam ejus non audit? Si autem illam audit, jam in illa credere debet, quia si non credit, se ab illa separat et a [38v:] communione recedens ad proprium spiritum reddit. Dividit, Domine, Ecclesiam a Christo, qui non credit idem esse in Christum et in Ecclesiam credere, et donec se super se non elevat, carnales habet ideas de visibili Ecclesia et doctrinam illius pro humana doctrina reputat. Legit talis homo in evangelio promissionem Christi dicentis: Quodsi duo vel tres in nomine meo congregati fuerint, in medio illorum ero,<sup>1</sup> et credit. Legit pastores, doctores Ecclesiarum vel omnium vel quasi omnium in unum convenisse, ut inter differentes sensus dogmatum, quos illis humanus spiritus attribuit, verum sensum et intelligentiam determinent. Legit invocasse Christum, pro cuius doctrina ab erroribus separanda in nomine illius convenerunt, omnium particularium Ecclesiarum antecedentem doctrinam examinasse, Scripturas scrutatos fuisse, patrum scripta, consiliorum<sup>b</sup> acta revolvisse et quæ fuerit successiva doctrina in Ecclesia, in materia agitata distincte eruisse taliterque in intelligentia decisionis omnes convenisse; sed quamvis Spiritus veritatis per similem unionem spirituum se manifestet, sunt tamen homines, qui dicent Christum in medio trium (qui secundum sensum illorum loquuntur) fuisse, non fuisse autem inter mille aut centenos, qui in nomine Christi invocato ejus auxilio legitimi pastores et doctores ex vocatione Christi congregati contra sensum illorum deciderunt in unitate spiritus.

Dicis, Domine, in Scripturis in ore duorum aut trium testium esse veritatem.<sup>2</sup> et homines illam ab ore trecentorum et millenorum, [39r:] qui illi testimonium præbent, non recipiunt, sed proprio lumini plus credunt. Discernit tales pervicaciam<sup>c</sup> et obstinationem spiritus humanus in actionibus moralibus, et tales obstinationes puniuntur, dum quis legibus regnorum vel municipalibus resistit. Sed sine lumine tuo non discernit in spiritualibus cæcitatem suam, quam tu solus potes tollere, et hinc oportet, ut charitas compatiatur illis et misericordiam tuam obtestetur imploretque pro illis. Quam primum nova creatura per Spiritum veritatis regenerata recedit ad spiritum suum, redit ad vetustatem, et quia spiritum suum sequitur, nequit se non abnegans Christum sequi, et frustra dicit se esse discipulum ejus, qui avulsus est a corpore ejus, sicut enim palmes a vite abscissa caret succo nutritio veritatis. Multum tibi debo, Domine, quod has veritates me docueris, sed longe plus tibi debo, quod illas mihi sensibiles reddideris. Sit ergo, quæso, omnis mea retributio harum veritatum fervens dilectio, sit tua erga me miseratio, hujus<sup>d</sup> dilectionis largitio, quia in charitate veritatis consistit regenerationis et novitatis conservatio.

<sup>a</sup> -tur corrigendo

<sup>b</sup> Sic (pro conciliorum)

<sup>c</sup> Correxit -c- ex -t-

<sup>d</sup> Correxit ex cuius?

<sup>1</sup> Cf. Matth. 18,20.

<sup>2</sup> Cf. Matth. 18,16.

MEDITATIO 14<sup>a</sup>.  
DE EADEM MATERIA 3<sup>a</sup>

Mirabilis fuit, o Domine, veteris Adam creatio, in qua limum terræ fecisti in animam viventem,<sup>1</sup> sed longe mirabilior veteris Adam recreatio, in quod opus Deus homo triginta trium [39<sup>v</sup>:] annorum spatium impendit. Noscimus, o Deus, ex operibus tuis omnipotentiam tuam, et illam fide credentes,<sup>a</sup> ex ejus consideratione mirabile appetet, quod machinam universi creare statuens in hac creatione sex diebus laborasti. Quidni mirabilius, quod illud Verbum tuum, per quod fecisti omnia,<sup>2</sup> in recreatione hominis triginta tribus annis operatum est, et horum cursu triginta annis mansit in obscuritate præparans quodammodo corpus suum ad sacrificium, tribus autem annis annuntians regnum Dei præparavit homines ad regenerationem.

Humilio me, Domine, in consideratione hujus mysterii, est enim profundum nimis, nec investigo consilia tua, cur hæc taliter fieri oportuerit, cur denique Filius tuus in nativitate pastoribus et magis tam admirando modo manifestatus potiori vitæ suæ mortalis cursu in tantis tenebris private vitæ latuerit; sed, o Domine, si hæc in tanta, ut ita dicam, simplicitate naturalis cursus acta non fuissent, quomodo agnovissemus Filium tuum eandem naturam et corpus humanum induisse, quod omnibus hominibus commune fuit? Verum nativitatem ejus et admirandam doctoribusque stupendam sapientiam in ætate puerili<sup>3</sup> patere oportuit, ut in illo a nativitate divinitatem<sup>b</sup> habittasse, non autem adulto tantum per singulares gratias virtutem solummodo Deitatis communicatam fuisse pariter non ignoraremus. A momento igitur nativitatis suæ gloriose manifestatus per exempla sua in omni statu ætatis veritatem nos docuit æterna hæc et incarnata Veritas, et ut sacrificium suum in ætate corporis humani perfecta offerret, [40<sup>r</sup>:] conveniens fuisse appetet.

Tria sunt singularia, quæ requisivit hoc sacrificium: primo acceptationem voluntariam calicis passionis, a qua incepit, secundo: pœnas sensuum respectu corporis, tertio: separationem animæ a corpore. Prima duo homo agit, hoc tertium tamquam munus sacerdotii divinitas perfecit ante effusum e latere sanguinem vinculum solvens, quo anima et corpus junguntur, ut hominem constituant. Hæc sunt itaque, quæ homo facere debet, qui in novam creaturam transformatur. Hinc seu renovationem per baptismum seu per sacramentum pœnitentiæ respiciant, primo voluntatem tibi, Deus, resignare debet homo se tibi<sup>c</sup> offerens ad omnia, et se subjiciens in omnibus carnem et sensus affligere debet in operibus carnis, sed separationem animæ a corpore tua decreta consumant realiter, gratia tua efficit spiritualiter, dum homo vivens moritur sibi nihil amplius faciens pro se, sed omnia agens pro te; et hæc est omnis perfectio novæ creaturæ. Vita enim, qua vivit, nova vita est, quia occiso amore proprio novo spiritu charitatis animatur homo, et hæc est resurrectio in Christo, cum Christo et per Christum. Nova est hæc vita et vere nova requirit omnia, quia omnia vetera in nova mutantur. Aliæ

<sup>a</sup> Sic! Gallicismus vel Hungarismus [pro *credentibus* vel sim.]

<sup>b</sup> Correxit ex *nativitate*, superscripsit *Divinitatem*

<sup>c</sup> Correxit ex *sed ibi?*

<sup>1</sup> Cf. Gen. 2,7.

<sup>2</sup> Cf. Ioan. 1,3.

<sup>3</sup> Cf. Luc. 2,46-47.

cogitationes, alia desideria sunt creaturæ novæ, quia non amplius se, sed te Deum habet pro objecto, et quia te diligit, ad te pervenire cupit. Hinc odium peccati et omnium operum carnis, quæ tam voluptuosa sunt, dum se homo amat, et abominabilia fiunt, dum se odio habet. Tunc videt homo enormitatem peccati, [40<sup>v</sup>:] et salutaris hujus odii instinctu ductus de sensibus, per quos peccavit, vindictam sumens imitatur Christum sensuum ejus acerbos dolores sibi applicans, et taliter ex virtute passionis Christi afflictiones, quas sentit, sanctificat.

Qui se necdum odio habet, has veritates non intelligit, et crucifixionem carnis suæ multis modis explicat, ut quod sibi displicet, evitet. Sed qui per gratiam tuam, Deus, in novam creaturam mutatur, non confundit infiniti pretii satisfactionem cum operibus, quæ satisfactoria vocantur, nec his, sed illi omnem virtutem attribuens passionem per passionem, dolores per dolores spiritualiter et realiter applicat sibi, ut dolorum et passionis particeps fiat, et sic calicem, quem Christus bibit, quamvis sensibus suis amarum gratia tua, Deus, adjutus suscipit et bibit, quia in Christo, cum Christo et per Christum vivit. Hæc sunt veritates, quas revelasti parvulis, qui illas in simplicitate parvolorum considerant, abscondisti autem ab illis,<sup>1</sup> qui se necdum abnegaverunt et in vetustate vitæ ambulant, et hi sunt, qui opera satisfactoria in pœnitentia reprobantes superbiæ humanæ attribuunt, ut se ab illis eximant, ac si caro et sanguis, non autem Spiritus Christi suggestere posset illa, quæ carni et sanguini contraria sunt. [41<sup>r</sup>:]

#### MEDITATIO 15.

#### QUOD MORS SIT DESIDERABILIS PRO NOVA CREATURA

Mors omnium horribilissima in pœnam peccati inficta<sup>a</sup> fuit veteri homini, in præmium et retributionem conversa est novæ creaturæ. Animam hominis pro corpore, corpus pro anima creatum fuisse nemo ignorat; nisi enim hæc duo uniantur, nec hoc nec illa homo dicitur, sed unius et alterius conjunctio facit creaturam, quæ homo appellatur. Nulla igitur major pœna potuit infligi huic creaturæ, quam separatio animæ a corpore, per quam sequitur hominis destructio. Anima per inspirationem a Deo creata<sup>2</sup> ex ordine creationis non amplius potuit annihilari, sed respectu finis sui, in quem creata fuerat, ut nimirum corpori in æternum inita<sup>b</sup> homo viveret, semper mortua permansisset, nisi Christus per resurrectionem corpus glorificasset et per virtutem suæ resurrectionis reddidisset hanc [un]<sup>c</sup> reunionem corporis et animæ iterum possibilem.

Unde evidenter apparet, quod hæc naturæ humanæ reparatio fit nova creatio. Animæ humanæ gloria est corpus, corporis gloria est anima; quapropter imperfecta est animæ beatitudo, donec non<sup>d</sup> subsequatur temporalem separationem æterna cum corpore unio in beatitudine. In hac vita mortali sentit in nova creatura anima corporis sui miseras, et ipsa corporis infirmitas est sensibilis, etiam in quantum est visibili-

<sup>a</sup> Correxit ex *inflixa* (?)

<sup>b</sup> nota constructionem

<sup>c</sup> *in* delevit ms.

<sup>d</sup> *donec non* ut Hungarismus pro *quoad*

<sup>1</sup> Cf. Matth. 11.25.

<sup>2</sup> Cf. Gen. 2,7.

lis. Non vivit igitur in novitate vitæ anima, quæ corpori suo sanitatem et gloriam non desiderat, et quæ se et corpus tantis malis [41<sup>v</sup>:] et infirmitatibus subjici non gemit. Unde sequeretur, quod si voluntas creaturæ voluntati Dei conformari non deberet, homo regeneratus merito vitam mortalem pro malorum omnium maximo reputaret. Pœna est, quod quis invitus tolerare debet, et heu, in hoc sensu quot pœnæ et quam continuæ sunt, quibus homo in vita sua carere non potest!

Pœna esset igitur etiam vita, si hæc pœna non esset utilis et necessaria ad salutem. Anima unitur corpori, et hæc unio ad constituendum hominem tam necessaria vita dicitur, in qua homo ad labores et ad ærumnas condemnatus numquam in eodem statu permanet nec respectu sui nec respectu Dei. Peregrinatus per vallem lacrimarum<sup>1</sup> et terram misericordie, ignorans vias suas et nesciens finem laborum suorum si manet in mundo tamquam in patria, non gemit, sed delectatur et sibi complacet in terrestribus, recipit mercedem suam, et separatio animæ a corpore fit ipsis in pœnam amarissimam, quia mercedem temporalem, quam possidet, amittere dolet, non enim majorem sperat. Hic est status infelix veteris hominis animalis, in quo separatio animæ a corpore tamquam pœna peccato primi hominis debita permansit. Sed, o Deus, o Salvator, o Reparator, Regenerator, Recreator hominis, numquid te oportuit mortem pati, ut intrares in gloriam? Mors bona igitur præmium est vitæ bonæ, mortis autem præmium est gloria, sed qualis gloria? Talis profecto, quam promeritus es per resurrectionem corporis, id est, unionem<sup>a</sup> animæ tuæ humanæ cum corpore suo,<sup>b</sup> modo inseparabili et unione æterna. Hæc est, o Domine, glorificatio novæ creaturæ, quam quia præcedere debet separatio, per [42<sup>r</sup>:] quam acquiritur futuræ glorificationis certitudo, mors pro nova creatura desiderabilis est, non pœnæ loco habenda, quia a pœna liberat, beatitudinem dat et de futuræ resurrectionis gloria reddit securum.

Nullum evidentius signum novæ regenerationis, quam desiderium mortis. Qui enim de peccatis non formidat, pulsanti Judicii lumbus portam aperit; qui in mundo nihil diligit, mundum lætanter-deserit, ut te, Deus, objectum dilectionis suæ apprehendat, et se per mortem hoc facere posse gaudet. Da mihi illam, Domine, beatam, dum placuerit tibi, non enim vitæ me tædet propter afflictiones, quas immisisti, sed propter continuas offensestiones tui,<sup>c</sup> sine quibus vivere posse non dedisti.

#### MEDITATIO 16. DE ASCENSIONE NOVÆ CREATORÆ

Mysterium magnum est, quod revelatur per ascensionem tuam, o Salvator meus! Quadraginta fuerant dies, a quo resurrexeras a mortuis. Antequam morereris autem, in cena valedictoria dixeras discipulis tuis, quod vadás ad Patrem.<sup>2</sup> In cruce promiseras latroni, quod erit tecum in paradyso,<sup>3</sup> te autem descendisse ad inferos Symbo-

<sup>a</sup> Correxit ex *unionis* (?)

<sup>b</sup> Sic?

<sup>c</sup> Supplevit *tui* supra lineam

<sup>1</sup> Cf. antiphona *Salve Regina*

<sup>2</sup> Cf. Ioan. 14,12.

<sup>3</sup> Cf. Luc. 23,43.

Ium Apostolorum docet,<sup>1</sup> et detentis in carcere prædicasse Petrus in epistola sua scribit.<sup>2</sup> Postquam resurrexisse autem, eadem die dixisti tamen ad Magdalenam: Noli me tangere, quia necdum ascendi ad Patrem;<sup>3</sup> paulo post vero te tangi permisisti a mulieribus,<sup>4</sup> [42v:] palpari a Thoma,<sup>5</sup> et demum videntibus omnibus discipulis elevatus es in cælum.<sup>6</sup>

Mirabilia fuere hæc, Domine, et quis est, qui sine speciali lumine tuo de his meditari poterit? Soluta fuit per mortem anima tua a vinculo corporis, et antequam per gloriosam resurrectionem corpori tuo denuo unita fuisset, cum divinitate et in divinitate tua existens, hanc videns vidit Patrem, et fuit in Patre et cum Patre. Quod proinde Magdalæ dixisti, procul dubio de corporali ascensione intellexisti; verum in numero quadraginta dierum quoque, per quos cum discipulis tuis post resurrectionem quandoque conversatus es, est mysterium, quod sentio, sed enarrare nequit mea infirmitas.

Communis et quodammodo obvia est opinio, quod per hos dies veritatem resurrectionis comprobare et apostolos tuos instruere volueris, et quis vellet contradicere huic veritati? Sed etiam quis illi ita adhærebit, ut in hoc mysterio complures veritates latere negaverit? Sæpe apparuisti, Domine, discipulis tuis, nec tamen crediderunt; instruxisti, sed adhuc magistro, quem missurus eras, opus fuerat, ut quæ dixisti, intelligerent. Sed nec apparitiones tuæ respectu temporis quadraginta dierum fuerunt tam frequentes nec instructiones verbales toties reiteratae, ut fidem resurrectionis et intelligentiam sermonis dare suffecissent, prout nec dederunt, quia dare non debuerunt, ut virtus supervenientis Spiritus appareret. Hinc mittis illos dicens: [43r:] Ite in universam terram;<sup>7</sup> sed retines jubens, ut exspectarent in Jerusalem promissionem Patris.<sup>8</sup> Non ergo sola manifestationis et instructionis ratio retinuit te quadraginta diebus in terris, o Salvator meus, sed major est hæc profunditas, quam intuitus<sup>a</sup> primi repræsentat simplicitas silebitque mea ignorantia, nisi a te data fuerit intelligentia. Fecisti me cognoscere, cur oportuerit te ascendere, sed nescio, cur necesse fuerit quadraginta diebus commorari in terris, nam solæ duæ apparitiones in medio discipulorum tuorum suffecissent ad comprobandum veritatem et resurrectionis et corporis tui, in quo resurrexeras, ut Joannes et ceteri testimonium perhibere potuissent de verbo vitæ, quod audiverunt, quod viderunt oculis suis, quod perspexerunt et manus eorum contrectaverunt.

Sed, o Deus, illucescis mihi, et ecce video oportuisse impleri figuræ. Dies pentecostes fuerat destinatus ad descensum Spiritus Sancti, ut die, in qua data Legis memoriam Synagoga celebratura erat, Lex inscriberetur in cordibus fidelium. Quadraginta diebus Moyses fuit in monte,<sup>9</sup> et forsitan [hor]<sup>b</sup> quadraginta dies figurave-

<sup>a</sup> Ante intuitus tres (?) litteræ delectæ

<sup>b</sup> Delevit hor (?)

<sup>1</sup> Cf. Symbolum Apostolorum.

<sup>2</sup> Cf. I Petr. 3,19.

<sup>3</sup> Noli me....: Ioan. 20,17.

<sup>4</sup> Cf. Matth. 28,9.

<sup>5</sup> Cf. Ioan. 20,27.

<sup>6</sup> Cf. Act. 1,9.

<sup>7</sup> Cf. Marc. 16,15.

<sup>8</sup> Cf. Act. 1,4.

<sup>9</sup> Cf. Exod. 24,18.

runt illi, in quibus post resurrectionem in mundo commoratus est Christus,<sup>a</sup> et fors hi ipsi quadraginta dies designant aliud mysteriosum tempus, quod revelandum est in fine temporum;<sup>1</sup> de quo loqui ignoro, balbutire periculosum foret, non enim nostrum est scire tempora<sup>2</sup> [43v:] Hinc multi errarunt, qui de his ex interpretatione Apocalypsis loqui voluerunt plus, quam revelatum est.

Adorabo igitur in silentio mysterium, quod necdum completum esse autumo, et convertor ad ascensionem spiritualem novae creaturæ, quæ manifestatur in illis, qui tecum resurgunt et in novam creaturam fiunt. Elevatio mentis ad Deum est ascensio novi hominis, et dum ab amore terrenorum ad charitatem transit, ad te reddit, Domine, a quo missus est in mundum. Vere via es, Christe, Salvator meus et magister omnis viæ et vitæ spiritualis, quam in tres terminos qua viam et in tres status qua vitam repartitam esse tumet ipse demonstrasti.

Primus igitur terminus viæ et status vitæ spiritualis, ad quem homo tendere debet, est resurrectio seu regeneratio in novam creaturam. Secundus est illuminatio, quæ est vita novi hominis, et hanc docuisti exemplo tuo 40 diebus, in quibus fueras in mundo, quasi non esses, in quantum invisibilis fuisti, nec apparuisti nisi pro bono et utilitate discipulorum tuorum, ut illuminares illos, et propterea nec in alio statu representat illos Scriptura, nisi vel in oratione congregatos vel functionem status sui in pascatione exercentes; et profecto nonnisi ad hæc duo (orationem scilicet et opera vocationis) tamquam essentialia restringuntur omnia, quæ novus homo illuminatus (vivens in mundo quasi non viveret, in quantum mundum non amat) exercere debet, [44r:] donec ad te, Deus, seu moriens realiter ascendat seu tibi adhuc in hac vita uniatur per exercitium vitæ contemplativæ, quam status apostolorum ab ascensione Christi usque ad descensum Spiritus Sancti exhibit. Hi enim postquam magistrum suum ascendere vidissent, non amplius tristes, sed cum gaudio magno reversi sunt in Jerusalem, et vel illos semper in templo fuisse adorantes, laudantes et benedicentes Deum,<sup>3</sup> vel perseverantes unanimiter in oratione cum mulieribus et Maria, matre Jesu et fratribus ejus<sup>4</sup> repræsentat sacra historia. Hi sunt effectus unionis intimæ cum Deo, ad quam dicit vita contemplativa. Hinc nec te, Salvatorem meum aliter repræsentat Scriptura post ascensionem tuam, quam sedentem ad dextram Patris et intercedentem pro nobis.

Percorro hæc in compendio puncta et materiam meditationis super vitam illuminativam et contemplativam exhibens, ut transeam ad illud mysterium, ex cuius consideratione nutriri et confirmari sentio fidem meam. Agnovi, Domine, in humilitate tenebras meas, quibus offuscatus intellectus meus penetrare non potuit, cur tu, Christe, Salvator meus, quadraginta diebus commoratus fueris in terris, et hinc confiteor ignorantiæ meam, sed doctrinæ Ecclesiæ, corporis tui mystici conformiter loquar dicens te, Domine, tota vita tua mortali demonstrare voluisse, quid homo justitiae divinæ debuerit, cui ut satisfaceres, [44v:] innocens et nullius peccati reus corpus peccati induisti, ut per crudelem passionem et mortem cruentam peccatum expieres. Non dicam, Domine, defuisse aliquid satisfactioni tue, poste aquam sacrificium ob-

<sup>a</sup> Supplevit *Christus* supra lineam

<sup>1</sup> Cf. Apoc. ?

<sup>2</sup> Cf. Act. 1,7.

<sup>3</sup> Cf. Luc. 24,52–53.

<sup>4</sup> Cf. Act. 1,14.

tulisti respectu tui; resurrexisti impassibilis, immortalis et gloriosus, sed tu, divine Magister noster, voluisti exemplo tuo docere nos esse statum tertium post mortem inter completam gloriam et damnationem.

De loco, quem purgatorium appellamus, loqui volo, Domine. Non tamen dicam te in purgatorio fuisse, sed in exemplo tuo statum supradictum mysteriose demonstrare voluisse. Docuisti nos (prout jam rettuli) fuisse animas detentas in carcere,<sup>1</sup> quibus ut prædictares, descenderat anima tua humana ad inferos, sed si resurgens statim ascendisses, hunc statum tertium subsistere exemplis tuis non agnovissemus. Voluit itaque illum exprimere bonitas tua etiam post statum glorificationis tuæ modo glorificationi tuæ convenienti. Manifestum est enim humanitatem tuam non habuisse tam completam gloriam illis quadraginta diebus ante ascensionem, quam adepta est in<sup>a</sup> et post ascensionem sedens ad dextram Patris,<sup>2</sup> et per consequens fuit status ille tuus necdum status completæ gloriæ secundum quid, status tamen passionis respectu tui nullo modo fuit, quia anima tua humana corpori suo glorioso unita, cum divinitate et in<sup>b</sup> divinitate [45<sup>r</sup>:] exsistens omnem gloriam, omnem satisfactionem et per consequens nullam passionem habuit, secundum conceptum tamen nostrum id defuit humanitati tuæ, quod necdum fuerit in termino gloriæ suæ, antequam ascendisses, necdum intravit in sanctuarium, necdum sedit ad dextram Patris; et hoc sufficit nobis ad concipiendam ideam status illius, quem dixi, tertii, qui respectu animarum pure humanarum semper afflictivus et patiens est et purgativus dicitur, quia ad illum statum destinatæ animæ per desiderium salutis purgantur, dum per hoc desiderium charitas illarum purificatur.

Hinc Ecclesia Spiritu tuo, Salvator mihi, edocta nihil de loco determinato, in quo detinentur animæ, sed nec de pœnis specifice decidit, sed statum hunc tertium inter perfectam et completam salutem et pœnas æternas justitiae tuæ dari et subsistere docet et credit, et in hujus veritatis fide confirmor ego, Domine, per hæc, quæ te adjuvante protuli, et tibi, Domine, pro dato lumine humiles gratias reffero.

#### MEDITATIO 17.<sup>c</sup> DE SPIRITU NOVÆ CREATURÆ

Hominem resurgere posse absque spiritu implicat, et dum regeneratur ac renovatur, spiritualiter fit in illud, quod non fuit, et in novo spiritu vivit. Hinc Christus resurgens [45<sup>v</sup>:] statim in prima apparitione inter discipulos suos dedit illis Spiritum Sanctum,<sup>3</sup> nihilominus nonnisi post ascensionem suam descendit Spiritus Sanctus visibiliter super illos, et repleti sunt Spiritu Sancto.<sup>4</sup> Unde clare possumus cognoscere in nova creatura secundum operationem seu effectum alium esse Spiritum vivificantem, alium Spiritum illuminantem, non quod Spiritus, qui vivificat, non etiam

<sup>a</sup> In ascensione!

<sup>b</sup> Supplevit supra lineam in

<sup>c</sup> In margine interiore: B

<sup>1</sup> Cf. 1 Petr. 3,19.

<sup>2</sup> Cf. Symbolum Nicæno-Constantinopolitanum (Credo).

<sup>3</sup> Cf. Ioan 20,22.

<sup>4</sup> Cf. Act. 2,4.

illuminet secundum quid, est tamen distincta operatio haec ab illa, et effectus sunt differentes. Vivificatur homo, dum credit et credens illuminatur, sed non praeceps de hac illuminatione agitur in nova creatura. Haec illuminatio enim a vivificatione spirituali per fidem distincta non est, ubi enim fides, ubi lumen, sed est lumen cordis,<sup>1</sup> quod distinctum est a lumine intellectus seu fidei, et hoc est lumen, quod receperunt a Spiritu Sancto apostoli in descensu ejus visibili. Alterum est lumen ad noscendam veritatem, hoc est lumen ad diligendam veritatem.

Hæc veritas patet ex tota historia Christi post resurrectionem et ex historia desensus Spiritus Sancti, cuius fructus enarrat Apostolus,<sup>2</sup> et horum proprietates bene examinando in exemplis apostolorum elucescit, cur oportuerit et oporteat super novam creaturam descendere Spiritum a Patre et Filio procedentem,<sup>3</sup> ab illis tamen realiter distinctum. Prout enim hic Spiritus est unio inter Patrem et Filium, ita est unio inter novam [46r:] creaturam et Christum, et efficit, ut ista sit ita unum cum Christo in voluntate, sicut Christus est cum Patre, hic orat<sup>4</sup> gemitis inenarrabilibus<sup>4</sup> in nova creatura, et semper exauditur, et est proprie flamma vitalis illuminando voluntatem, dans novam vitam creaturæ regeneratæ. Per hunc Spiritum fit consummatio omnis sanctitatis, quæ in præmemorata unione consistit, et sine hujus lumine nihil est in homine, nihil est innoxium.<sup>5</sup> Hunc Spiritum, quamvis non visibiliter, cum iisdem tamen effectibus invisibilibus recipit omnis Christianus, quem apostoli et discipuli receperunt in die Pentecostes. Sed vadit, dum contristatur, venit dum vult, et mansionem facit per gratiam sanctificantem seu charitatem habitualem.

Hæc sunt opera tua, o Deus Spiritus, Deus, charitas, Deus, lumen cordis et flamma vitalis! Quid sibi voluit, quod in baptismate Christi hic Spiritus super ipsum in forma columbae apparuit,<sup>6</sup> nisi ut designaretur etiam ipsam Christi humanam natum per virtutem hujus Spiritus conceptam in ejusdem Spiritus virtute fuisse factam in novam creaturam? Sed ut in ipsum tunc visibiliter descenderet, non oportuit, quia semper in ipso fuit. Hinc Christus in novitate vitae ambulavit, quamvis corpus peccati usque ad mortem gesserit, sed in novam creaturam post resurrectionem [46v:] factus est, quia glorificatus immortalitatem induit. O Deus, quam mirabilia sunt opera tua in homine, ad quem creandum te hic Spiritus provocavit, et quia gloriam suam amavit, bonitatem tuam manifestare voluit. Nisi autem creaturam talem, qualis est homo, creasses, cui et quomodo bonitatem tuam demonstrasset? Bonitas enim tua semper fuit et fuisset, sed quis illam præter te cognovisset? Homo igitur singulariter ad hoc creatus fuit, ut in operibus, quæ fecisti in homine, manifestaretur tua bonitas, tu gloriareris in illo tamquam in opere manuum tuarum,<sup>7</sup> et ille gloriaretur in te. Spiritus Sanctus est terminus in Trinitate tua, et secundum expressionem communem sterilis est in divinitate. Ut ergo fecundaretur extra divinitatem, hic Spiritus, cuius proprietas est charitas et bonitas, te, Pater, ad creandum determinavit.

<sup>3</sup> Ante orat littera n deleta

<sup>4</sup> Cf. sequentia *Veni Sancte Spiritus*.

<sup>5</sup> Cf. Gal. 5,22.

<sup>6</sup> Cf. Symbolum Nicaeno-Constantinopolitanum (Credo).

<sup>7</sup> Cf. Rom. 8,26.

<sup>8</sup> Cf. sequentia *Veni Sancte Spiritus*.

<sup>9</sup> Cf. Matth. 3,16.

<sup>10</sup> Cf. Ps 137,8.

Per Verbum omnia creasti,<sup>1</sup> sed Spiritus Sanctus novum hominem in utero Virginis formavit, et ipsum Verbum Creatorem cum creatura univit, ut in nova creatura Deus Spiritus in divinitate sterilis fieret fecundus tibi, Deus, generando filios per hominem, quem formavit per tuum Filium, quem huic homini univit, et sic Deus Filius humanæ naturæ tam intime unitus adoptaret filios regenerandos per Spiritum. Quæ ut clarius paterent, dixit Filius se missurum Spiritum,<sup>2</sup> et nisi quis regeneratus fuerit in illo, non intraturum in regnum cœlorum.<sup>3</sup>

Tanta sunt [47<sup>r</sup>:] mysteria, quæ visibiliter operata est bonitas tua, o Deus, et hinc visibilis Deus Homo, visibilis Veritas visibilem bonitatem, Spiritum Sanctum promisit et misit, ut visibiliter descendens visibilia dona bonitatis manifestaret in discipulis, quibus Veritas omnem veritatem prædicavit. Sed hos<sup>a</sup> ipsos discipulos Spiritus, bonitas nempe Dei omnem veritatem docere debuit, ut regenerationis per Spiritum appareret effectus in illis, qui per vocationem et prædicationem veritatis adoptati<sup>b</sup> fuerant in filios, ut hi rerum visibilium veritatem prædicantes communicarent illam per Verbum, et in virtute Verbi vocarent in adoptionem filios regenerandos per communicationem Spiritus Sancti, et sic perpetuaretur hujus Spiritus fecunditas, et in creatura homine manifestaretur immensa Dei bonitas. Suave est, o Domine, et dulce nimis ex harum veritatum meditatione cognoscere admirandam generationem filiorum tuorum, qui vocantur per Verbum tuum æternum, seu per Veritatem adoptantur in eadem veritate, et sanctificati per Spiritum veritatis et bonitatis tuæ regenerantur, quia tecum uniuntur per eundem Spiritum, qui unit indivisibilem Trinitatem; et sicut in Trinitate personarum facit unitatem dilectionis, ita in multitudine sanctorum triumphantis et militantis Ecclesiæ tue [47<sup>v</sup>:] efficit unitatem charitatis et spiritus, qui se manifestat in uniformitate confessionis veritatis Christi, cui hic Spiritus præbet testimonium.

Una ergo fides, quia una est veritas, et quia una veritas, una intelligentia veritatis; unum baptisma, quia una fides; una Ecclesia, quia una fides et unum baptisma.<sup>4</sup> Hæc tria sunt realiter distincta, sunt tamen unum in essentia, quia sunt unum in te, Deus. Fides te Patrem exprimit, qui prout principium es in divinitate, ita fides principium est in sanctificatione seu generatione filiorum tuorum. Fides te agnoscit et salutem desiderat; ecce, generatio baptismatis ex fide, sed eo instanti, quo fides vere cognoscitur, salus per baptismum desideratur, ita, ut nec desiderium nec fides sit prior in tempore, sicut tu et Filius estis in æternitate. Fidem autem et baptismum unit Ecclesia, quia qui credit et baptisatur,<sup>5</sup> est in illa. Fides salvifica datur a te, Pater, per baptismum in sanguine et in meritis Filii, et sic fit unio in Spiritu Ecclesiæ, qui Spiritus tuus est per fidem et per baptismum regenerans, quia fidem et baptismum uniens, unam voluntatem tecum efficiens et te, Deus, creatura nova per hunc Spiritum diligens.<sup>c</sup>

<sup>a</sup> In rasura (?) hos

<sup>b</sup> Correxit ex adopti

<sup>c</sup> Nota structuram sententiae!

<sup>1</sup> Cf. Ioan. 1,4.

<sup>2</sup> Cf. Ioan. 14,16–17.

<sup>3</sup> Cf. Ioan. 3,5.

<sup>4</sup> Cf. Eph. 4,5.

<sup>5</sup> Cf. Marc. 16,16.

Revocat mihi in mentem gratia tua, Domine, quomodo etiam in hoc visibili descensu Spiritus Sanctus mysteriose præbuerit testimonium sacramento, quod Filius tuus in memoriam passionis suæ instituit.<sup>1</sup> Apparuit enim Spiritus sub specie ignearum linguarum et resedit super apostolos,<sup>2</sup> ut in his apparentibus ignis et linguarum [48r:] speciebus effectus, quos hic divinus Spiritus producit in homine, exprimerentur. Realium donorum facta fuit distributio, et de illis non dubitarunt aliquot millia hominum, qui apostolos tam variis linguis magnalia Dei prædicare audiverunt.<sup>3</sup> Unde agnoscimus apostolos reales gratias, non tantum gratiarum figuram receperisse. Ex horum testimonio itaque clare eluiscit, Domine, quod dum Filius tuus sacramentum dilectionis suæ instituit, panem et vinum accepit,<sup>4</sup> ut effectus sacramenti designaret, sed dicens: Hoc est corpus meum, hic est calix sanguinis etc.,<sup>5</sup> hoc, quod dixit, dedit realiter, non quod sensibus apparuit visibiliter.

Ignis et linguarum apparentia fuit sine ignis et linguarum substantia; nec enim ignem nec linguas apostolis dare oportuit (quæ illis nihil profuissent), sed dona realia spiritus, quorum proprietates ignis et linguæ expisserunt. Ad quid ergo panem et vinum Filius distribuisset, qui panem vivum de cælo descendenter, quo nutrimentum animæ in vitam æternam, daturum promisit.<sup>6</sup> Nimirum carnis est locutio, quod panis et vini visibilis materialitas detur in vehiculum, siquidem non animali stomacho datur edulium, sed nec cum substantia visibili corporis nostri fit glorificatio corporis Christi<sup>a</sup> unio, sed cum substantia invisibili animæ et corporis, cuius semen seminandum in immortalitatem nobis est invisible. Prout ergo Spiritus Sanctus in descensu, quod apparuit, non dedit, sed quod non apparuit, largitus est apostolis, ita et Filius tuus, Deus, non panem, quem [48v:] assumpsit et benedixit, distribuit, sed corpus, quod dare dixit et manducare jussit. Quod igitur visibiliter in pane et calice apparuit, vere tantum signum fuit realis corporis et sanguinis, sicut ignis et linguarum species signa fuerunt Spiritus Sancti et realium donorum, quæ apostoli receperunt.

Non nuda signa, quæ apparuisse, realia tamen non fuisse his expressionibus manifestat Scriptura: Et apparuerunt illis dispertitæ linguæ tamquam ignis seditque super singulos eorum, et repleti sunt omnes Spiritu Sancto.<sup>7</sup> Apparuerunt dispertitæ linguæ tamquam ignis, ergo non ignis, sed tamquam ignis. Si ergo non ignis, ergo linguæ? Sed ex qua substantia linguæ? An carneæ, cum non ignis, sed tamquam ignis fuerint? Clara nimis est hæc expressio, quod ignis et linguæ species apparuerint, sed nec linguæ nec ignis fuerint. Dispertitæ fuerunt hæc apparentes species super singulos, sicut visibles partes specierum panis, quas Christus fregit. Nec tamen divisus fuit Spiritus, quem apostoli receperunt, nec corpus, quod Christus porrexit, quia sicut omnes repleti sunt Spiritu Sancto, ita omnes sumpserunt integrum corpus. Hæc sunt magnalia tua, Domine, quæ Spiritus tuus dat credere per fidem et creden-

<sup>a</sup> N statim corredit in C

<sup>1</sup> Cf. 1 Cor. 11,24.

<sup>2</sup> Cf. Act. 2,3.

<sup>3</sup> Cf. Act. 2,11.

<sup>4</sup> Cf. 1 Cor. 11,23.

<sup>5</sup> Cf. 1 Cor. 11,24–25 (et canon missæ)

<sup>6</sup> Cf. Ioan. 6,32–33.

<sup>7</sup> Et apparuerunt...: Act. 2,3–4.

do intelligere non sensibus, sed Spiritui, cui<sup>a</sup> gratiam dat, ut intellectum super sensus elevare valeat.

Refert evangelista supra allata verba: Apparuerunt dispertitæ linguæ tamquam ignis seditque super singulos illorum et repleti sunt omnes Spiritu Sancto,<sup>1</sup> et nemo dubitat, quod non linguas et ignem, sed Spiritum [49<sup>r</sup>:]<sup>b</sup> Sanctum vere receperunt. Christus sumit panem et dicit: Hoc est corpus meum, accipite et manducate;<sup>2</sup> et ecce sunt, qui non credunt posse recipi corpus sine substantia accidentium, quæ apparent tamquam panis, sed non panis, prout apparuerunt linguæ tamquam ignis, sed non ignis. O Verbum æternum, fac, ut ego semper præstern gloriam veritati tuæ in confessione fidei, in cuius obsequium sensuum instinctum annihilo, rejicio, quia ut hoc præstare valeam, adjuvare dignaris, et ad hoc præstandum nutris me reali corpore gloriose, ut per spiritualitatem refrenetur carnis sensualitas tam prona ad deviandum ab illis, quæ sunt Spiritus, qui vivificatur per spiritum novæ creaturæ, qui est vere ignis secundum proprietatem, non autem ignis secundum substantiam. Prout enim ignis lucet, calefacit, penetrat et consumit, ita et ille illuminat intellectum, calefacit memoriam, penetrat et consumit voluntatis propriæ vitiositatem, ut nova creatura desideret et faciat, in quantum potest, voluntatem Patris in terris, sicut fit in cælis.<sup>3</sup>

#### MEDITATIO 18. DE PROVIDENTIA DEI

Altitudo est<sup>c</sup> et profunditas magna nimis, o Dei mei scientia et sapientia! Perdit se homo in investigatione judiciorum suorum, qui putat sibi aliquid deberi a te, Deo suo. Contendit, cur creaturam suam damnet Deus, qui non considerat et in<sup>d</sup> salvatio-ne<sup>e</sup> misericordiæ et in damnatione hominis [49<sup>v</sup>:] justitiae Dei æqualem revenire gloriam. Quot sunt inter homines, qui in malorum prosperitate scandalisati (quia quod cum aliis facis, Domine, invident) consilia tua censurant, et quia inordinata aut secundum repræsentationem invidiæ suæ injusta esse credunt, ad illam dementiam pervenient, ut omnia fortuito eventu fieri credant, et vel te, Deum non existere in corde<sup>f</sup> dicunt, vel de mundo nihil curare insane putant. Sed, unde est, o Domine, hæc et illa tam insana opinio filiorum hominum, nisi quia te non noscunt, nec te noscere cupiunt, nec de te ex operibus tuis inquirunt, sed secundum opera sua judicant de te, et illorum oculi nequam sunt, quia tu bonus es.

Nescio, Domine, quæ sit major insipientia, an dicere: Non est Deus,<sup>g</sup> vel cogitare: Non curat Deus de mundanis. Prima loqua enim est insipientis, hæc est dementis. Dicere: Non est Deus, non est habere sapientiam, quæ ex naturæ ordine evidenter

<sup>a</sup> Correxit cui ex qui

<sup>b</sup> Supra, in margine: V

<sup>c</sup> Delevit t?

<sup>d</sup> Correxit et in ex etiam [delendo litteras ia]

<sup>e</sup> Primæ tres litterae correctæ

<sup>f</sup> Apparuerunt...: Act. 2,3–4.

<sup>g</sup> Cf. 1 Cor. 11,24.

<sup>3</sup> Cf. Matth. 6,10.

<sup>4</sup> Cf. Ps. 13,1.

<sup>5</sup> Non...: Ps. 13,1.

Deum demonstrat. Non habere autem sapientiam est proprie esse insipientem. Dicere autem: Est Deus, sed non<sup>a</sup> curat de mundanis eventibus, est loqua dementis, id est sine mente loquentis, quia talis vel te, Domine, impotentem vel ignarum esse supponit.

Sed, o Domine, est adhuc et alia dementia hominum, quæ sine tuo speciali lumine<sup>b</sup> non tollitur, in qua homo te esse et omnipotentem, justum ac omnia curantem, disponentem et ordinantem credit, sed quia in hoc a te dato lumine fidei lumen non querit, dementia, quam dixi, in eo consistit, quod in te non sufficienter confidit, et ideo sollicitatur et angitur, nec forte sua et eventibus circa se<sup>c</sup> contingentibus [50r:] contentus est. Hæc est, Domine, communis dementia, quæ languorem fidei manifestat, vel est tepidas, quæ confidentiæ in te debilitatem et hæc dilectionis frigiditatem indicat. Cæcitas autem est in eo, in quantum ignorantia est, vel ut repeatam, dementia te justum et omnipotentem credere, tuis tamen dispositionibus non acquiescere. Quoties, o Domine, et heu quoties erigit se homo in reformatorem consiliorum tuorum, nam dum<sup>d</sup> de illis, quæ eveniunt, non contentatur, aliquid aliud desiderat, quod sibi placeret, et illud assequi melius esse crederet. Nimis late patens est, Domine, hæc dementia hominum, et in tam differentes gradus divisa, quod illa paucissimi hominum careant, et ab illa in tantum nemo immunis est, in quantum omnem perfectionem assequi nequit in vita sua.

Sunt tamen motus humani, qui non semper ex hoc defectu confidentiæ et resignationis voluntatis derivantur. Primi enim affectuum motus dependent ab animalitate nostra, sed quando affectus perseverat, vel defectus confidentiæ in te, Deus, indicium vel immortificatæ animalitatis est signum. Quamvis enim ratio omnia bene evenisse et te, Domine, omnia juste disposuisse agnoscat, recalcitrat tamen sensuitas, dum in servitutem spiritus necdum redacta est carnalitas. Non est vermis, non est herba, quin sit instrumentum providentiæ tuæ respectu alicujus creaturæ, cui hanc vel illum dedisti in edulium et per consequens in bonum, nec ullus<sup>e</sup> eventus esset inutilis, si illo uti vel sciremus vel non negligeremus. Magna enim hominis impuritas [50v:] magna et multifaria purificatione indiget, antequam homo perveniat ad illam abnegationem sui, quam præcipis<sup>f</sup> et requiris. Neque hanc assequitur, nisi secundum mensuram intrinsecæ agnitionis et amoris providentiæ tue. In hac autem cognitione consistit dilectio veritatis, sapientiæ et justitiæ tuæ; hæc enim omnia unit in te tua adoranda providentia. Nam ideo verus, ideo sapiens et justus es, quia omnia adæquate provides; ideo autem provides, quia verus, sapiens et justus es. Hanc providentiæ tuæ perfectionem incepisti manifestare hominibus ab orbe condito, sed ausim dicere, quod omnem manifestationem in revelatione mysterii sacro-sanctæ Trinitatis perfeceris.

Hinc festi hujus singularis celebratio est omnium sollemnitatum conclusio et omnium mysteriorum tam admiranda connexio, ut in hujus sollemnitatis festivitate,

<sup>a</sup> Prima littera *n* correcta ex *d*

<sup>b</sup> Prima littera *l* correcta ex *n*

<sup>c</sup> Correxit supra lineam *se* ex *eum*

<sup>d</sup> Correxit *dum* ex *cum* [vel *cum* ex *dum*?]

<sup>e</sup> Correxit *ullus* ex *hujus* (?)

<sup>f</sup> Cf. Matth. 16,24.

dum unitatis trium personarum fit adoratio, omnium operum, creationis, redemptio-  
nis et sanctificationis humani generis fiat unio. Ita quidem, ut quæ ab extra operata  
est personarum singularitas, semper ab intra univerit essentiæ indivisibilis unitas,  
cujus providentia tua est singularis proprietas.

Adoret itaque te, Deum trinum et unum in hoc mysterio fidei meæ dilectio mea  
quamvis tam tepida, reddidisti enim mihi hoc providentiæ tuæ mysterium (ut ita  
dicam) cognoscibile per opera tua ab orbe condito in Scripturis tuis manifestata, sed  
in conductu vitæ meæ reddidisti mihi [51<sup>r</sup>:] illud sensibile. Unde sit tibi gloria ex  
omnibus, quæ tecum fecisti! Fac tecum omnia, quæ de me decrevisti!

#### MEDITATIO 19. DE PROVIDENTIA CHRISTI

Fecisti me cognoscere, Domine, quomodo providentiæ tuæ mysterium unitatem  
essentiæ divinæ demonstret et personarum singularitatem uniat in potentia. Non  
igitur opera providentiæ tuæ distinguere volo, Domine, hæc sunt enim ipsa immuta-  
bilia tua decreta, Deus trinus et unus, et horum sequela est providentia Christi,  
Salvatoris mei, Veritatis incarnatae. Providentia, inquam, quæ suum principium ha-  
bet in tempore et respicit quodammodo illos, quos dedit illi Pater, quos et sanguine  
suo comparavit sibi. Dicerem, Domine, in suo sensu (sed dicere vix audeo, quia me  
exprimere nescio) mysteria redemptionis fuisse sequelas providentiæ tuæ, Deus, sed  
inter hæc est mysterium, quod vellem dicere, esse mysterium singulare providentiæ  
Dei hominis; memoriam enim passionis suæ instituere et illam præcipere potuisset,  
sed memoriam sui jam semel peracti sacrificii taliter instituere, ut sit ejusdem sacri-  
ficii continuatio et ejusdem victimæ realis participatio, est hoc mysterium quodam-  
modo particulare providentiæ Christi, de quo balbutiam, donec eloqui dederis mihi.

Scio, Domine, te revelante<sup>1</sup> Agnum ab æterno occisum, æternam victimam fuisse  
et quasi occisum [51<sup>v</sup>:] semper stare in conspectu tuo, sed in hac consideratione (per  
quam virtus sacrificii exprimitur) hoc sacrificium subsistere potuisset in cælis, quin  
continuaretur realiter in terris, et prout efficax fuit Agni hujus victima, antequam  
immolata fuisse cruenter, ita ejus efficacia permansisset, postquam immolata fuit in  
cruce. Sed nisi de reali sacrificio et victimæ participatione providisset Dei Hominis  
providentia, non nutrisset integram creaturam suam novam, cuius non tantum ani-  
mam regeneravit in salutem, sed etiam corpus reparavit in immortalitatem. Vivifi-  
cantur igitur Spiritu suo filii sui, et edulio victimæ nutriuntur et corroborantur; dum  
enim corporis sui fit manducatio, seminis resurrecti corporis nostri fit vegetatio, et  
sic Spiritus est corporis per spiritum et corpus fit participatio, quia pro hujus et illius  
renovatione facta fuit oblatio.<sup>a</sup>

Ut ergo hæc communio prodesset realiter, providentiæ Christi bonitas fecit, ut  
sacrificium suum continuaretur æque realiter, cuius communio fieret sacramentali-  
ter, et sic semel incarnata pro salute hominis veritas maneret cum hominibus in  
veritate sacramenti. Sed si<sup>b</sup> sine sacrificii memoria (per quam continuatur incruenta

<sup>a</sup> Correxit delendo renovatio supra lineam oblatio

<sup>b</sup> Supplevit supra lineam si

<sup>1</sup> Cf. Apoc. 5.6. sim.

victimæ immolatio), fuisse facta tantummodo convivii institutio, non renovaretur passionis applicatio, per quam fit peccatorum propitiatio.

Illi, qui dicunt hanc continuationem sacrificii esse superflua, cum cruentum sacrificium infiniti sit meriti, non considerant, quod omnino in effusi sanguinis et cruenti [52<sup>r</sup>:] sacrificii virtute fiat in baptimate omnium peccatorum remissio et integra regeneratio, sed quia per passionem reparata non est corruptæ naturæ condicio, voluit Christus, ut pro peccatis quotidianis per celebrationem memoriae incruenta fieret sacrificii oblatio et fons aquæ (seu sanguinis) salientis in vitam æternam<sup>1</sup> et lavaret et animæ aridam sitim sublevaret. Iste est tam admirandus effectus providentiae Dei Hominis, hæc est functio sacerdotis æterni secundum ordinem Melchisedech,<sup>2</sup> cuius sacerdotium reale cessasset, si reale altare non instituisset, et victima non ita offerretur in memoria, ut esset realis, incruenta tamen oblatio, non tantum sterilis passionis recordatio.

Bonitatis Salvatoris nostri providentiaeque suæ fuit effectus, ut etiam illos, quos humanitas ejus obtinuit characteres, corpori suo mystico communicaret, unde character sacerdotalis communicatur Ecclesiae, hujus<sup>a</sup> autem functio altare requirit et victimam Deo Patre, cui offerretur dignum, quæ si in solis vitulis labiorum<sup>3</sup> nostrorum subsisteret, Deo digna fieri nequiret. Horum igitur sanctificatio fit, dum illorum cum Christo sit oblatio, cuius mediatoria functio efficit, quod sit continua<sup>b</sup> ejus pro nobis ad te, Patrem intercessio, sed nulla efficacior pro nobis oratio, quam vulnerum suorum et passionis suæ exhibitio, per quam facta est schedæ damnationis nostræ laceratio<sup>4</sup> et justitiae Patris data est adæquata satisfactio. Cessasset igitur Christi mediatio, si non continuaretur ejus oblatio, [52<sup>v</sup>:] quia omnis virtus mediationis ejus a passione procedit. Hinc etiam in glorioso corpore vulnera passionis retinuit, ut illa inter justitiam Patris et inter nos tamquam scutum teneret.

Unio igitur tam stricta et indivisibilis corporis sui gloriosi cum corpore suo mystico requisivit, ut quod ille facit in cælis, membra viva corporis sui Spiritu suo animata<sup>c</sup> ficerent in terris; et ut idem fieret realiter, se offerendum [realit]<sup>d</sup> dat sacramentaliter; et ut realis sit mediationis [propit]<sup>e</sup> participatio, instituit, ut sit realis victimæ manducatio, quotiescumque fit passionis commemorationis.<sup>5</sup>

Ecce profundum providentiae Christi mysterium, per quod illos, cum<sup>f</sup> quibus se univit, purificat, nutrit et in gratia Patris conservans taliter unit, sicut et ipse unitus est cum illo per Spiritum Sanctum. Hoc, inquam, admirandum providentiae mysterium demonstrat mihi, quod non habeat reale sacerdotium, qui non habet reale sacrificium, et ipsiusmet Christi respectu applicationis infructuosa fit mediatio, dum

<sup>a</sup> Correxit *hujus ex cuius*

<sup>b</sup> -a littera obscura

<sup>c</sup> Correxit *animata ex -i*

<sup>d</sup> Delevit *realit*

<sup>e</sup> Delevit *propit*

<sup>f</sup> Delevit *cum (?)*

<sup>1</sup> *Fons...: Ioan. 4,14.*

<sup>2</sup> Cf. Ps. 109,4.

<sup>3</sup> Cf. Osee 14,3.

<sup>4</sup> Cf. Col. 2,14.

<sup>5</sup> Cf. 1 Cor. 11,24.

Christo non unitur vitulorum labiorum<sup>1</sup> oblatio, et illos cum Christo uniendo non fit passionis ejus recordatio, quæ est vera Ecclesiæ tuæ, Domine, immolatio. Hinc sacerdos et victimæ<sup>2</sup> nostra Christus est. Hinc vita, nutrimentum, mediator noster solus Christus est, in quo, cum quo et per quem uniuntur omnia; uniuntur autem per confessionem uniformem ejusdem veritatis, per oblationem unius et æternæ victimæ et per participationem hujus victimæ in communione seu unione Spiritus sui, et sic redditur [53<sup>r</sup>:] fructuosum sacrificium, in quo consistit virtus, essentia et effectus mediationis Christi. Per hujus cruentam oblationem mediatoris characterem obtinuit, per ejus incruentam continuationem mediatoris functionem exercet.

Hinc Paulus docet nos mortem Domini annuntiare, donec veniat.<sup>3</sup> Nulla autem efficacior annuntiatio, quam victimæ, quam in morte obtulit, oblatio et ejusdem communio, ut fiat realis passionis et mortis annuntiatio, applicatio et participatio. Tam grande est sacramentum, quod Deus Homo instituit, ut hominem meritorum suorum, sacrificii, sacerdotii, victimæ corporis sui in mortali vita et post hanc divinitatis suæ in glorificatione redderet participem. Consolatorium est hoc mysterium illi, cui per fidem agnitionem harum veritatum dedisti. Hæc est intelligentia verborum tuorum, Salvator mi, per quæ tui commemorationem ante passionem facere jussisti, et per Apostolum tuum mortem tuam annuntiare præcepisti.<sup>3</sup>

Multi non capiunt mysterium humilitatis tuæ, in qua ex [ratione presu]<sup>a</sup> ratione primæ creaturæ ex resurrectione et Primogeniti inter ceteros fratres<sup>4</sup> etiam in glorificatione tua permanes respectu Patris æterni, cui ut offeraris pro fratribus, fratribus tuis potestatem fecisti. Abscondisti enim hoc verbum<sup>5</sup> ab illis, qui vitulos labiorum suorum<sup>6</sup> Patre æterno dignam victimam esse credunt et sacerdotium suum in horum oblatione statuunt. Quodsi enim hoc [53<sup>v</sup>:] sacrificium tecum non uniunt, sine te ad Patrem non pervenit oblatio. Quodsi tecum unire volunt, necesse est, ut tecum, in te et per te offerant: quod tamen non faciunt, quia semel in cruce oblatum cruentum sacrificium incruenter offerre non credunt oportere. Hinc memoriam tui alii [signa]<sup>b</sup> per signa, alii panem et vinum comedendo et bibendo celebrant, et quamvis hi te realiter præsentem credant, de tuo sacrificio non participant, quia illius non immolando<sup>c</sup> et offerendo faciunt memoriam, sed bibendo et manducando.

Opus misericordiae tuæ esse agnosco, Domine, quod mihi tam sæpe des occasionem, ut peregrinarum tenebræ<sup>d</sup> doctrinarum repræsententur lumini fidei meæ, quod mihi dare dignatus es, et profecto hæc tam stupenda spiritus humani et luminis tuæ veritatis oppositio dicit me in agnitionem bonitatis tuæ erga me et illorum, quæ tibi debeo pro tantis beneficiis tuis, dum per tenebrarum oppositionem lumen illustras fidemque meam fortificas. Profecto, Domine, fidem totius Ecclesiæ tuæ lucere vo-

<sup>a</sup> Delevit *ratione presu*

<sup>b</sup> Delevit *signa*

<sup>c</sup> Littera a correcta ex?

<sup>d</sup> Post -*ω* rasura (-*arum*?)

<sup>1</sup> Cf. Osce 14,3.

<sup>2</sup> Cf. ?

<sup>3</sup> Cf. 1 Cor. 11,26.

<sup>4</sup> Cf. Rom. 8,29.

<sup>5</sup> Cf. Matth. 11,25.

<sup>6</sup> Cf. Osee 14,3.

Iuisti suggestens, ut illa institutionis hujus sacramenti memoriam per publicum actum fidei celebraret. Publicum dico actum fidei in verbum tuum, o Verbum æternum; totus enim populus, qui in simplici fide verborum tuorum unitur, hac die solemnitatis corporis tui publico actu adorationis præsentiae tuæ monstrat fidem suam in opere.

Adjuva me, Deus, Salvator meus, gratia tua, ut ego [54<sup>r</sup>:] quoque hodierna die hoc homagium tibi præstare possim cum toto grege meo in spiritu simplicitatis et charitatis. Hæ sunt enim proprietates veræ fidei, quas singulariter in hoc mysterio requiris. Quidquid enim ad doctrinam hujus fidei spectat, non in parabolis, sed clare verbis expressis et expressivis tradidisti, docuisti et instituisti. Tradidisti dicens: Caro mea vere est cibus et sanguis meus vere est potus.<sup>1</sup> Hinc dicens: qui manducat te, et ipse vivet propter te.<sup>2</sup> His primis verbis tuis dederas ideam manducationis carnis tuæ qua cibi, et hunc cibum determinas in speciem panis dicens: Hic est panis, qui de cælo descendit. Non sicut manducaverunt patres vestri (dicens Judæis) manna, et mortui sunt. Qui manducat hunc panem, vivet in æternum.<sup>3</sup> Tradidisti, inquam, his verbis carnem tuam esse cibum et hunc cibum paneum esse vivum, qui de cælo descendit, non autem panem, sicut manducaverunt patres Hebræorum. Dixisti, inquam: Panis, quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita,<sup>4</sup> et hæc tua clara doctrina excludit hic omnem ideam panis materialis ex conceptu, et adhuc magis excludit, dum in institutione sacramenti panem materialem sumpsisti et benedixisti quidem, sed distribuens sacramentum, non amplius dixisti: Hic est panis, qui descendit de cælo,<sup>5</sup> sed: Hoc est corpus meum,<sup>6</sup> ut ex mente hominis exclusa idea omnis panis solam ideam corporis tui substitueres [54<sup>v</sup>:] ideæ panis, quam sensus repræsentant et menti imprimunt, nisi fides veritatis verborum tuorum hanc panis ideam ex mente excludat. Et hæc est gratia, quam dare dignaris per simplicitatem fidei et dilectionem veritatis verborum tuorum. Taliter credentes non separant spiritum a carne, ut prosit spiritus et caro. Separant autem dictamina sensuum carnalium et rejiciunt illa, ut lumen fidei operetur, luceat et elevetur super carnalitatem sensualitatis.

Sic fit, o Domine, caro tua nutrimentum hominis novi, qui vivit in fide, quia reale corpus sumit sacramentaliter et realiter in fide. Qui autem hæc taliter non præstat, sed humanis sensibus indulgens panem materialem, quem videt et gustat, cum corpore tuo manducare dicit, veritatem in duplicitate credit, quia ideam panis, quam sensus repræsentant (verba autem tua: Hoc est corpus meum,<sup>7</sup> omnimode excludent), in mente retinet et dictamina sensuum simplicitati expressionis verborum tuorum contrariari credens a veritate in tantum elongatur, in quantum duplicitati adhæret.

<sup>1</sup> *Caro...: Ioan. 6,56.*

<sup>2</sup> Cf. *Ioan. 6,58.*

<sup>3</sup> *Hic est...: Ioan. 6,59.*

<sup>4</sup> *Panis...: Ioan. 6,52.*

<sup>5</sup> *Hic est...: Ioan. 6,59.*

<sup>6</sup> *Hoc...: Matth. 26,26.*

<sup>7</sup> *Hoc...: Matth. 26,26.*

MEDITATIO 20.  
DE ORDINE PROVIDENTIÆ CHRISTI IN APPLICATIONE SACRIFICII

Quibus veritas tua lucet, o Christe, Salvator mihi, non opus est inquirere, quid intelligatur sub ordine providentiæ [55<sup>r</sup>:] tuæ, sed in humilitate admiranda et diligenda sunt opera tua. Dum enim ex præcedenti meditatione singularem tuam providentiam quis agnoscit in institutione incruenti sacrificii, facile reperiet ordinem hujus providentiæ consistere in applicatione precii ejusdem sacrificii. Ignorat homo, quanta sit impuritas hominis in corruptione naturæ suæ viventis, qui justos quoque ab omni labe immunes esse credit et Joanne docente: Qui[s]<sup>a</sup> se sine peccato esse dicit, mendax est et veritas non est in illo.<sup>1</sup> Sine peccato, dico, charitatem non expellente aut tollente. Quodsi enim tale committeret, nec spiritualiter viveret, nec justus dici posset.

Hujus igitur sacrificii applicatio est vera pro illis peccatis instituta propitiatio, quæ fragilitatis committit corruptio, posteaquam per pænitentiæ sacramentum facta fuit integra cum Deo reconciliatio. Ad quid enim instituta fuisset sacrificii oblatio, si per illam non fieret propitiatio, ita ut fragilitatis fomite manente in homine continuaretur etiam malorum remedium, quorum in corruptione naturæ remansit principium. Vera igitur passionis recordatio est sacrificii oblatio, sed ut fructuosa sit applicatio, ordo providentiæ tuæ exegit, ut continuaretur propitiatio, cum sit indesinens virtus satisfactoria, quam promeruit cruenta immolatio.

Unde non amplius ordinasti, ut illius fieret cruens renovatio, sed incruens continuatio, ut indesinens esset et applicatio et per hanc, sicut dixi, misericordiae continuaretur propitiatio. Sed, o Domine, quos in spiritu tuo conjunxisti, et quia illos, qui [55<sup>v</sup>:] carnem tuam manducant, in æternum victuros promisisti,<sup>2</sup> hæc spiritus in charitate unio efficit, ut etiam in illos extendatur hujus sacrificii virtus, quos ex hac vita mortali evocat tua ordinatio, sed adhuc a beatitudine separatos tenet tue justitiae pro non expiatis in vita delictis debita punitio, aut potius dixerim, ad perfectam puritatem requisita purificatio.

Verum est, o Domine, quod sæpe tua bonitas hominem in hac vita purgare soleat ab illis sensualibus, quamvis levibus quandoque, adhæsionibus, dum nimirum justus te quidem amat super omnia, sed præter te adhuc multa amat et desiderat in mundo tuo amori non derogantia, hominem tamen quodammodo inter te et illa dividentia. Sed inter hæc sunt et possunt esse plurima, quæ quo magis adhaerent animæ, eo difficilius relinquuntur. Nisi enim omnis abnegetur sensualitas, non acquiritur perfecta puritas; et quia nihil coinquinatum intrat in regnum<sup>b</sup> cælorum, ex ipsis fidei principiis illustrata ratio demonstrat, quod sit etiam in altera vita ordinata purificatio, ad quam in mortali vita non pervenit omnis abnegatio.

Quæ quidem taliter esse firmiter credens et in illas extendi agnosco animas providentiæ tuæ misericordem ordinem, quæ in charitate tua excedentes e corpore communionis Ecclesiæ tuæ militantis sunt participes et de salute sua certæ<sup>c</sup> affliguntur.

<sup>a</sup> Correxit *qui ex quis*

<sup>b</sup> Correxit *ex regna* (?) [littera m supra lineam]

<sup>c</sup> Correxit *certæ ex certo* (?)

<sup>1</sup> Cf. I Ioan. 1,8.

<sup>2</sup> Cf. Ioan. 6,59.

ut purificantur. Ea est enim corporis tui mystici proprietas, ut in charitate conjunctorum nequeat dividi unitas. Unde communis est et cunctis prodest sacrificii applicatio, quamvis sit differens in effectu secundum dona misericordiae tuae [56<sup>r</sup>:] largita propitiatio. Sed et hoc ordinasti, Domine, ut hoc idem tam infinita et ineffabilis virtutis sacrificium esset et impenetratorum et satisfactorum. Cum enim Pater caelestis omnia dat hominibus per Filium et propter Filium, in cruce facta immolatio effecit, ut per sacrificii continuationem fieret bonorum ad salutem convenientium impetratio et justitiae Dei debita satisfactio pro poena,<sup>a</sup> quam hominis continua proxemodum meretur prævaricatio.

Confundit humanus intellectus hos effectus satisfactionis anterioris et posterioris (ut ita loquar) respectu applicationis, nam per semel oblatum in cruce cruentum sacrificium est facta virtualis satisfactio pro omnibus hominibus et peccatis, vera tamen et realis, quam anteriorem satisfactionem appellat mea debilitas, et hæc applicatur in baptismate ex gratia pure gratuita. Sed quia per peccatum sæpe amittitur justitia, in quantum satisfactionis virtus per opera satisfactoria pænitentia, per gratiam tamen homine cooperante facta applicantur (in sensu meo), hæc satisfactio posterior appellatur, quia per pænitentiam peccatum subsequentem victimæ sacrificii incruenti conjunctam et cum illa oblatam fit pro poena<sup>b</sup> satisfactio et in mitigatione poenæ impetratur propitiatio. Nam justitiae Dei exigit ratio, ut dum deletur culpa, non semper tollatur poena peccato hominis debita, quia in te, Deus, semper æqualiter agit misericordia et justitia, ita ut illa<sup>c</sup> culpam quidem deleat, hæc tamen peccatorem per poenam temporalem juste puniat. [56<sup>v</sup>:]

In his consistit itaque ordo justitiae tuæ, o Judex vivorum ac mortuorum,<sup>d</sup> per quem tam admirabili modo de salute hominum providisti.<sup>d</sup> Sic misericordia et veritas obviaverunt sibi, et justitia et pax sic osculantur se.<sup>e</sup> Dum enim hoc adorandum sacrificium rite applicatur, per te, Veritatem incarnatam et qua hominem de terra ortam obviat homo justitiae Patris, qui<sup>e</sup> de cælo prospexit,<sup>f</sup> et sic satisfaciens illi per te, tecum et in te præstat satisfactionem, obtinet propitiationem, cuius ut me partipem reddere digneris, imploro misericordiam tuam.

#### MEDITATIO 21.

#### DE ORDINE PROVIDENTIÆ CHRISTI IN INSTITUTIONE SACRAMENTORUM

Hebes sum, Domine, et aridus. Ecce, deficit loqua in ore meo, tecum tamen esse vellem, quia timeo, ne dissipet in externis, quibus occupationis, non delectationis gratia tempus impendere infirmitates meæ cogunt me. Respice me, Domine, et miserere mei, ne invitus quæram inania, quæ semper plus et plus nutrient ariditatem

<sup>a</sup> Correxit *pœna ex culpa* supra lineam

<sup>b</sup> Correxit *pœna ex culpa* supra lineam

<sup>c</sup> Correxit ex *illam delendo m* [rasura]

<sup>d</sup> Littera *d* correcta ex ?

<sup>e</sup> Correxit *qui ex que* (?)

<sup>f</sup> Cf. Act. 10,42 sim.

<sup>2</sup> Cf. Ps. 84,11.

<sup>3</sup> Cf. Ps. 84,12.

meam. Rettuli, quæ dedisti mihi, Domine, de providentia Dei Hominis, Salvatoris mei, et ad ordinem hujus providentiæ primo loco rettuli institutionem incruenti sacrificii, quod in memoriam passionis suæ ad obtinendam propitiationem pro quotidianis delictis nostris perpetuum reddere voluit. [57<sup>r</sup>:] Videtur enim mihi, quod in hac institutione particulariter manifestetur providentia ejus, quamvis ad illam totum opus redemptionis et sanctificationis nostræ referatur; sed in hoc sensu generali hoc opus redemptionis et sanctificationis quodammodo directius respicit providentiam sacrosanctæ Trinitatis, sed in quantum mysterium incruenti sacrificii est proprium characteri mediatorio (qui personæ Christi annexus est), ideo repeto specialiter manifestari in hoc sacrificii mysterio providentiam Salvatoris nostri, per quam semel cruenter peractum sacrificium incruenter perpetuare voluit.

Ex hujus itaque veritatis consequenti rettuli ad ordinem providentiæ suæ virtutem satisfactoriam, propitiatoriam et impetratoriam, quam huic adorando sacrificio annexuit.<sup>a</sup> Unde patet unum idemque<sup>b</sup> sacrificium Eucharistiæ sub diversis considerationibus respiciendum esse, in quantum nimirum est cibus, alimentum, medicina hominem integrum confortans, animam cum Christo uniens et corpus in resurrectionem sanctificando semen immortalitatis ejus vegetans, et in quantum est memoria passionis et ex hoc respectu continuatio sacrificii; et vere hæc est evidentissima ratio, cur hoc sacramentum nonnisi apostolis recumbentibus instituerit Christus. Hæc autem veritas, quam enucleare vellem, tam profunde sculpta est in cordibus Christianorum, quod fors nulla umquam fuerit [57<sup>v</sup>:] hæresis (hoc sacramentum retinens), quæ non docuisset hujus dispensationem nonnisi a sacerdotibus posse et debere fieri. Sunt in Christianitate, qui nonnisi duo sacramenta admittunt: baptismatis nimirum et cenæ seu Eucharistiæ, docent enim nonnisi hæc instituta<sup>[a]</sup><sup>c</sup> fuisse a Christo. Sed examinemus, cur credunt baptismum ab omni homine (adhibita formula) administrari posse in casu necessitatis, cur autem non idem sentiunt de sacramento (uti vocant) cenæ?

Dicent primum sacramentum instituisse Christum, dum dixit ad apostolos: Ite in universum mundum<sup>1</sup> etc. Secundum vero ordinasse recumbentem, prout Scriptura dicit, cum duodecim,<sup>2</sup> dum dixit: Hoc quotiescumque feceritis, in mei meinoriam facietis.<sup>3</sup> Paulus autem dicit: Mortem Domini annunciatibis.<sup>4</sup> Si hoc mandatum igitur est universale (prout est in suo sensu), cur etiam hoc sacramentum non potest administrari ab omni fidi, sicut baptismus, aut si sacramentum per usum tantum sit sacramentum, cur restringitur ad personas sacerdotum ejus administratio? Non inquiro, quid ad hæc reponere<sup>d</sup> potest humanum ingenium, sed mysterium veritatis tuæ adoro, Domine, quod lucet mihi in tenebris humani ingenii. Christus enim dixerat non tantum apostolis, sed omnibus audientibus: Qui manducat meam carnem, vivet in [58<sup>r</sup>:] æternum,<sup>5</sup> et alibi: Nisi manducaveritis carnem meam et biberitis

<sup>a</sup> Correxit annexuit ex annexit

<sup>b</sup> Correxit idemque ex eudemque (eum: in rasura) vel delevit eum ante d, postea affixit i

<sup>c</sup> Post instituta delevit a

<sup>d</sup> Sic! [vel i. q. respondere, fr.: répondre?]

<sup>1</sup> Cf. Marc. 16,15.

<sup>2</sup> Cf. Matth. 26,20.

<sup>3</sup> Cf. 1 Cor. 11,24.

<sup>4</sup> Mortem...: 1 Cor. 11,26.

<sup>5</sup> Qui...: Ioan. 6,57 et 59.

meum sanguinem<sup>1</sup> etc., et ex his agnosco usum sacramenti in manducazione esse communem omnibus fidelibus tam spiritualiter, quam sacramentaliter, ut habeant vitam in Christo. Sed dum Christus sacramentum instituit, nonnisi cum duodecim recubuit, et hoc in memoriam sui fieri jussit. Unde discerno, quod memoriam passionis celebrare in oblatione sacrificii sacramentaliter sit proprium sacerdotibus et successoribus apostolorum institutumque esse sub utraque specie. Hoc idem sacrificium autem offerre spiritualiter et mortem Domini annuntiare convenire omni assistenti ex virtute sacerdotii spiritualis.

Hæc est veritas, quæ figurata fuit per omnia sacrificia Judaica, in quibus omnis populus offerebat sacrificium spiritualiter, sed nonnisi sacerdotes immolabant realiter. Omnes autem æqualiter participabunt de victima oblata tam spiritualiter, quam realiter. Hæc est, inquam, veritas, quæ se manifestat etiam in cordibus illorum, qui illam ignorant. Hinc sacramentaliter manducare corpus tuum agnoscunt non posse sine ministerio sacerdotis, quia hæc manducatio est victimæ participatio, quæ sacrificium per ministros seu sacerdotes oblatum præsupponit. Latet in his adorandum mysterium ordinis providentiae tuæ, per quam omnia, quæ instituisti, referuntur ad totum hominem internum, [58<sup>v</sup>:] nempe spiritualem et nobis invisibilem seu creaturam novam et ad hominem externum corporalem, visibilem seu veterem (in quantum respectu inclinationis ad malum necdum renovatur).

Hinc enim exsurgit duplex characteris sacerdotalis participatio, duplex sacramentorum institutio et usus, qui spiritualis et internus, visibilis et externus est. Hinc baptismus fluminis qua spiritualis baptismus fluminis sacramentalis est, quia realiter administratur. Hinc sacrificium et communionis seu participatio spiritualiter et realiter confertur. Matrimoniumque per consensum mutuum spiritualiter, in facie autem Ecclesiæ per visibiles ministros visibilium sacramentorum realiter seu visibiliter contrahitur, et sic de ceteris quoque sacramentis sentiendum; quæ omnia sunt signa visibia invibilem gratiam conferentia. In quantum autem sunt visibia, visibilem ministrum formamque et ordinem sensibilem requirunt, ut illa homo visibilis et spiritualiter et realiter participet. Providentia tua est, o Christe, Salvator meus, quæ hunc ordinem instituit in Ecclesia tua, quæ in sensu jam sœpe fato visibilis est et invicibilis. Hæc enim duæ proprietates in ipsam fide requiruntur. Illa enim qua invicibilis est in intellectu, fit autem sensibilis per professionem seu confessionem oris; fit denique visibilis per opera fidei invicibili seu intellectuali consonæ, et sic fit adoratio tua completa in spiritu et veritate, quæ integrum hominem, internum nimirum et externum respicit secundum fidem [59<sup>r</sup>:] qua adorationem spiritus, secundum opera qua adorationem veritatis. Dum enim opera externa (uti dixi) internæ fidei adæquate correspondent, veritas est cum homine et in homine, quia vivit in fide.

Taliter instituit itaque ordo providentiae tuæ, Domine, in quo ut sit veritas, oportet, ut<sup>a</sup> sit simplicitas, quæ requirit, ut in intentione et in opere sit uniformitas. Hæc est ratio, cur Apostolus de confessione oris ad salutem et cordis ad justitiam doceat,<sup>2</sup> et ipse Salvator confessionem suam coram hominibus exigit.<sup>3</sup> Hæc autem fit per pro-

<sup>a</sup> Ante ut rasura duarum litterarum (ej?)

<sup>1</sup> Cf. Ioan. 6,54.

<sup>2</sup> Cf. Rom. 10,10.

<sup>3</sup> Cf. Matth. 10,32.

fessionem fidei, quæ est vinculum unionis externæ, charitas autem est vinculum unionis internæ.<sup>a</sup> Hinc domesticis fidei prior debetur et specialis [particularior]<sup>b</sup> charitas, quia per professionem ejusdem fidei tamquam vinculi externi restringitur vinculum unionis internæ.<sup>c</sup> Dediti mihi, Domine, lumen fidei, quæ septenarium numerum sacramentorum agnoscit et profitetur. Et vere ipsa meditatio ordinis providentiæ tuæ, Christe, Salvator mihi, nutrit in me hanc veritatem et reddit sensibilem. Dum enim quemlibet statum per providentiam Dei institutum vocationi suæ appropriatum sacramentum habere reperio, providentiæ tuæ miram ordinationem admiror. Non agnoscant has veritates, qui matrimonium et sacrum ordinem ministrorum servitii Dei a Deo instituta non profitentur et qui mysterium corporis visibilis Ecclesiæ ignorant, nec sacerdotium, quia nec sacrificium habent. Miranda est mihi, Domine, et [59v:] tu nosti, quantum dolenda tam caliginosa obscuratio intellectus illorum, qui tam admirandum ordinem, quem instituisti, non agnoscent, vel ex sola comparatione, quam Apostolus<sup>1</sup> facit, Ecclesiæ cum membris corporis humani. Sed tuum est, Domine, illuminare, quod obscurum est, tuum est, o Pastor bone, reducere oves devias,<sup>2</sup> qui animam tuam dediti pro eis.<sup>3</sup>

#### MEDITATIO 22.

#### DE ORDINE PROVIDENTIÆ CHRISTI IN CONSERVATIONE ECCLESIAE

Magnus es, Domine, Salvator mihi, et laudabilis nimis<sup>4</sup> in omnibus operibus tuis, quæ hactenus te adjuvante consideravi; et omnia, quæ rettuli, ad novam creaturam corporis tui mystici spectant. Denuo admiranda est mihi providentia tua erga eam et ordo hujus in illis, quæ instituisti in jam dicta perpetuatione et applicatione sacrificii tui et sanctificatione fidelium per usum sacramentorum, quæ pro omnibus fidelibus et pro omni statu a te ordinato instituta sunt, quia quilibet illorum appropriatis gratiis indiget. Hinc non intelligunt, quid dicant, qui statuunt sacramenta non esse, nisi illa, quæ ad salutem sunt necessaria. Dicunt enim veritatem in sensu, quo nolunt, aberrant autem a veritate in sensu, in quo loquuntur. Nam omnes gratiæ, quæ dantur in ordine providentiæ [60r:] tuæ unicuique fidelium tuorum in individuo, sunt necessariae ad salutem, nec frustra dantur. Per hoc enim non sequetur, quod nisi omnibus usus fuerit, non salvabitur, sed manifestatur, quod omnes velles salvos fieri, et quod des omnibus, quidquid est ad salutem necessarium.

Sed in hoc late patenti sensu omnes gratiæ essent sacramenta, non sunt tamen, in quantum sub denominatione sacramentorum intelliguntur signa visibilia invisibilem gratiam conferentia, quæ in hoc secundum institutionem tuam, Deus, sunt necessaria ad salutem vel realiter vel spiritualiter applicata; sed prout non infallibiliter salvant, si rite non applicantur, ita nec damnant, si ex causis legitimis omnia realiter

<sup>a</sup> Correxit internæ ex externæ

<sup>b</sup> Delevit particularior

<sup>c</sup> Correxit internæ ex externæ

<sup>1</sup> Cf. I Cor. 12,12 sqq.

<sup>2</sup> Cf. Luc. 15,4.

<sup>3</sup> Cf. Ioan. 10,11.

<sup>4</sup> Cf. Ps. 47,2.

non administrantur; sacramenta tamen esse numquam cessant, etiamsi ex parte recipientis non debite recipientur. Tunc enim fine, in quem instituta sunt, ex propria culpa frustrabitur recipiens, non autem tua, Deus, misericordia, quæ fructuosa fecit signa sacra, quæ sacramenta vocantur. Sicut enim arbores fructus producunt ad utilitatem hominum, qui fructus esse non cessant, etiamsi utilitati non impendantur, ita nec gratiæ signis sacris a te, Deo applicatae ex solo usu dicuntur gratiæ, sed ex applicatione tua, Deus, gratiarum ad signa, quam misericorditer instituisti. In ordine creationis agnoscimus te omnia creasse pro homine. Quis dicet te frustra creasse illa, quibus homo [60<sup>r</sup>:] non utitur? Sic, Domine, providentia tua instituit sacramenta infantibus, adolescentibus, viris, senibus, ministris servitii tui, virginibus, coniugibus et viduis, sanis et ægrotantibus. [quo]<sup>a</sup> Horum quatuor communia sunt omnibus fidelibus, sacer ordo, matrimonium et extrema unctione sunt particularia illis, quos ad prædictos status vocasti, et postremum illis, ad quorum ostium per ægritudinem pulsas, et ut se ad æternitatis viam cum majori attentione præparent, benigne mones.

Omnis hæc tam admirabilis institutio visibilium signorum, per quæ applicantur gratiæ invisibles, spectat, sicut sæpe dixi, ad ordinem providentiæ tuæ ad sanctificationem et conservationem corporis tui mystici et tamen visibilis. Quisquis enim sacramentis rite utitur, sanctificatur, quia per illa gratias secundum statum suum ad salutem necessarias recipit. Non inquiram, Domine, cur institueris, ut hæc signa invisibilem gratiam conferentia sint visibilia. Gratia enim tua manifestat mihi duplum rationem hujus mysterii. Primo, ut corpus visibile visibiliter uniatur in usu uniformi, et ut hic usus visibilis sit publica fidei professio. Secundo, oportuit esse signum, quo recipiens sacramentum in individuo signetur, ut ab omni populo astanti<sup>b</sup> Deo in unione Spiritus offeratur per ministros sacramenti, quibus dispensationes gratiarum commisisti. Si ergo te instituente oportuit esse visibiliter dispensatores gratiarum, [61<sup>r</sup>:]<sup>c</sup> quoniam gratiæ, quæ dispensantur, sunt invisibles, oportuit, ut signa sint visibilia, per quæ manifestaretur et recipientis intentio ad recipiendum et conferentis dispensatio, et in his omnibus ageret totus homo per intentionem spiritualiter, per actum extrinsecum visibiliter conferens et recipiens. Hinc signum lotionis aqua est in baptismate, hinc signum confirmationis gratiarum impositio manuum et chrisma (unctionem Spiritus Sancti designans) signum est in confirmatione, hinc in pænitentiæ sacramento oralis<sup>d</sup> peccatorum confessio, verbalis sacerdotis absolutionis, in Eucharistia panis et vini species et consecratio, in ordinis collatione manuum impositio et per unctionem consecratio et formulæ prolatio, in matrimonio mutuus in publico factus consensus et benedictio, in extrema unctione oratio et olei unctionis signa sunt dispensationis gratiarum unicuique sacramento propriarum et statui digne recipientis appropriatarum.

Tanta sunt itaque beneficia, tot sunt canales, per quos merita passionis et pretium effusi sanguinis tui super fideles effundis, Christe, Salvator meus. Omnia hæc ex hoc eodem fonte emanant, vitam spiritualem et sanctitatem fidelium conservant, sed præter hæc est et aliud admirabilis ordo, per quem modo humano intellectui incomprehensibili conservas corpus tuum visibile, Domine, et ad hunc modum conservan-

<sup>a</sup> Delevit quo

<sup>b</sup> Correxit ex *adstante*

<sup>c</sup> In margine supra: VI

<sup>d</sup> Ante r rasura 3 litterarum, littera o in rasura

di spectat dictum tuum: Oportet venire scandala.<sup>1</sup> [61<sup>v</sup>:] Oportet, sed audeamne inquirere, ad quid oportet? Profecto propterea, quia corpus tuum visible, in quantum adhuc est in via glorificationis suæ, repræsentat corpus tuum passibile tot persecutionibus, contradictionibus et afflictionibus subjectum. Oportet igitur esse scandala, quia oportuit te pati et sic intrare in gloriam tuam.<sup>2</sup> Hæc igitur scandala et passiones, quæ ex hac ratione venire oportuit, alia sunt, quæ redundant ad totum corpus, alia, quæ subdividuntur in membra corporis tui, qui sunt membra viva hujus. Sentient scandala tamquam mala et afflictiones totius corporis, et hoc est signum, quod vivant et quod adhærent corpori, nec scandalisantur in illis, quæ ventura prædicti. Inquirat quis historiam vitæ corporis tui visibilis seu Ecclesiæ a temporibus apostolorum, et videbit mirum ordinem, quem instituisti in propagatione doctrinæ *{naturæ}*,<sup>3</sup> in illustratione veritatis, in stabienda disciplina, denique in conservatione Ecclesiæ. Ita ut jam inter cruentas persecutions gemens dilatata fuerit per universum orbem, falsis prophetis ac doctoribus circumdata, ne dicam, plena a veritate non deviaverit, ex dyscolis filiis composita disciplinam custodiverit, denique inter ipsos impetuosoſ torrentes consuetudinis mundi et ferme universalem dissolutionem morum et vitæ Christianorum semper conservetur<sup>b</sup> et luceat<sup>c</sup>. Enumeret, qui potest tot milliones martyrum seu testium veritatis, inquirat tot [62<sup>r</sup>:] et tam differentia humani ingenii figmenta in hæresibus, consideret scandalosam vitam tot pastorum spiritualium et potestatum mundi, et adoret ordinem providentiae tuæ, o Salvator mi, per quem inter tot mala conservasti Sponsam tuam. Reperiet hæreses jam ex superbia, jam ex sciolitate, jam ex sensualitate enatas illa dogmata oppugnasse, quæ pro ratione status, morum et abusuum seu indiscreti fervoris et zeli seu relaxationis umbris obscurata fuerint, ita ut ex occasione hæresum<sup>d</sup> convocare oportuerit concilia, in quibus in cordibus latens veritas te, Domine, assistente veritatem a figuris separaverit, disciplinam restituerit, pastores reformaverit, hæreses confuderit, denique triticum a paleis segregatum in horrea reponens conservaverit.<sup>3</sup> Quis considerabit duas maximas partes orbis, in quibus fides ortum sumpsit et propagata floruit, infidelibus, schismaticis repletas esse, et non gemit? Quis respiciet ceteras orbis partes plus spiritus mundi sequi dictamina, quam tua, o æterna Veritas, præcepta, et non affligetur? Quis denique tot regna et populos pravis doctrinæ imbutos respiciet, et non scandalisabitur in te, nisi gratia tua sustinuerit illum?

Quodsi autem diligenter quæsiverit, et hæc, quæ refero, in historiis ecclesiasticis attente examinaverit, cum nutrimento fidei suæ reperiet ex tot ac tantis malis semper id evenisse et evenire, [62<sup>v</sup>:] quod Ecclesiæ magis proficuum est. Quanta fuisset inter pastores et sacerdotes ignorantia, si hæreticorum clamor non provocasset illos ad studia, quantus sub pietatis larva latuisset avaritiae quæstus, quanta bonorum temporalium libido, si hæc hæresum<sup>e</sup> non repressisset progressus, præteriorum sæ-

<sup>a</sup> Delevit *naturæ*, in margine supplevit *doctrinæ*

<sup>b</sup> -vet- corrixit ex -vat-

<sup>c</sup> Luceat corrixit ex *lucet* et *lucent*

<sup>d</sup> Sic!

<sup>e</sup> Sic!

<sup>1</sup> Cf. Matth. 18,7.

<sup>2</sup> Cf. Luc. 24,26.

<sup>3</sup> Cf. Matth. 3,12.

culturum exempla docuerunt. Resecata sunt membra putrida, sed quæ remanserunt, saniora sunt, quam si in medio illorum serpsisset ignorantiae aut avaritiae cancrena. Coarctata et ad paucas regiones (respectu ceterarum mundi partium) restricta est doctrina in sæculo nostro, quamvis diffusa sit per omnes mundi partes et quamquam de morum dissolutione dignum sit continuare gemitus. Si tamen nostra cum præcedentibus comparaverimus tempora, etiam consolationes reperiemus. Voluisti enim, Domine, ut militia sit vita hominis et continua vicissitudinibus subjiciatur, et ex his ipsis sibi succendentibus et continua mutationibus subjectis temporibus nova occurret materia admirandi ordinem providentiae tuæ, per quem hunc verum successum pro bono Ecclesiæ disposuisti.

Appropinquant, Domine, tempora, in quibus vix fidem reperturum prædixisti,<sup>1</sup> sed quis timebit, qui in te confidit? Quis deviabit, qui te sequetur cum paucitate electorum deflectens a viis spatiosis, quæ ducunt ad interitum?<sup>2</sup> Gaudens autem in crucibus et afflictionibus, quæ [63<sup>r</sup>:] aritudinem viarum denotant, in quibus ambulasti et te sequi jussisti? Auge, Domine, charitatem meam, ut in illis ambulare semper delecter, ut conductum providentiae tuæ sequens per te perveniam ad te.

### MEDITATIO 23.

#### DE ORDINE PROVIDENTIÆ CHRISTI IN CONSERVATIONE DOCTRINÆ VERITATIS

Insipientiæ et superbiæ meæ esset effectus, si crederem me satis considerasse ordinem providentiae tuæ, Christe Salvator, Deus et Dominus meus. Scio, Domine, conservationem Ecclesiæ tuæ dependere a conservatione puritatis doctrinæ ejus. Hinc quidquid in præcedentibus meditandum occurrit, in his, quæ meditanda assumpsi, recurrit in hoc generali, quem dixi, respectu, quem habet conservatio Ecclesiæ puritatem doctrinæ, est tamen specialis ordo, Domine, quem manifestas in conservatione doctrinæ veritatis, pro qua defendenda suis temporibus singulares doctores et sanctitatis viros suscitatisti, qui sicut stellæ fulgerent<sup>3</sup> et pro doctoribus Ecclesiæ a toto corpore Ecclesiæ agnoscerentur. Erectio præterea sc̄holarum<sup>4</sup> in Ecclesia, postquam per omnem terram dilatata fuisset, pariter tuæ dispositionis effectus fuit. Sed utinam illa, quæ Apostolus tuus quondam reprobaverat inter Corinthios, [63<sup>v</sup>:] humani spiritus æmulatio non induxisset! Quæ reprobavit, inquam, inter illos, qui se Cephæ, Apollinis, Pauli esse dicebant<sup>4</sup> ex eo, quod non omnes potius in Christo, cuius baptismum suscepserant, gloriarentur. Tunc enim non Augustini, non Thomæ, non Scotti, non adhuc aliorum recentiorum nomina audiremus in scholis, sed omnes illæ ad solam doctrinam Ecclesiæ, et sic directe ad Christum referentur omnia. Hæc autem sola denominatio excluderet ex scholis multas disputationum materias, quas discipulorum æmulatio, humani ingenii sophismus veritatis simplicitati immiscere nititur. Semper enim homo scire cupit, ut credat. Jurant itaque doctores in sententias

<sup>3</sup> Supplevit supra lineam h

<sup>1</sup> Cf. Luc. 18,8.

<sup>2</sup> Cf. Matth. 7,13.

<sup>3</sup> Cf. Matth. 13,43 sim.

<sup>4</sup> Cf. 1 Cor. 1,12.

magistrorum, sed quia sanctorum scripta non omnes in spiritu sanctorum consulunt, plurimi in duplicitate spiritus legunt, intelligunt et in explicationibus proprio spiritui accomodant.

Quis non dicet sanctum, laudabile et Ecclesiæ utilissimum opus fuisse ex sanctorum patrum scriptis haustam theologiam ad certas propositiones (vel uti per auctorem et magistrum appellabantur) sententiasque reducere, ut facilius imprimerentur, retinerentur docerenturque? Has magnæ sanctitatis viri methodice, sancte et in spiritu Christi elaboraverant, et si sc<h>olæ<sup>a</sup> ex illis theses non formassent, magis particulares, multas quæstiones et difficultates ignorassemus, quas humana scientia divina ad suum captum accommodare volens eruit, et sæpe suas inventiones sanctorum sententiis in suum sensum detortis fulcivit<sup>b</sup> [64r:] Hinc processerunt scholarum denominations, veritatum differentes interpretationes, doctorum æmulationes. Verum est, Domine, quod hæc uniformitatem doctrinæ non turbent, non confundant nec varient in dogmaticis, sed quidquid novarum thesium et quæstionum producunt, obscurat simplicitatem fidei in credendo. Quo magis enim adaptantur dogmata scientiæ humanæ, eo majorem incitant cupiditatem intelligendi relaxata libertate credendi. Hæc causant in scholis producti humani ingenii fetus producendo novitates, quæ quamvis decisionibus Ecclesiæ non videantur contrariari, in quantum ad intelligentiam adaptantur, sæpe simplicitatem fidei corrumpunt. Hinc exsurgunt sc<h>olarum<sup>c</sup> dissensiones,<sup>d</sup> expressionum censuræ, sensuum imputationes charitatem toties lædentes, unitatem spiritus dividentes, acuuntur pennæ, linguae solvuntur, et indiscretum zelum in tantum fovent, ut sæpe sub charitatis larva dominari faciant conscientiis.

Sed hæc omnia quo tendunt? Quem finem habent? Quid tandem efficiunt, nisi illustrationem veritatis, et prout jam sæpe te adjuvante observavi, [ad]<sup>e</sup> probationem et purgationem fidei. Sæpe enim mundana principum politica se his ingerit, et sub veritatis colore quærit, quæ sua sunt. Non censuro, Domine, (tu vides interiora mea) illa, quæ in similibus fieri aut vidi aut audivi, sed admiror magnalia tua in mirabilibus. [64v:] Occasione horum reddis enim imagini tuæ conformes sanctos, qui protuenda veritate persecutes, exilia, contradictiones afflictionesque patiuntur. Plena est similibus exemplis historia Ecclesiæ tuæ, quæ fidem nostram fulcire, scandala arcere possunt confirmingo nos in veritate dictorum tuorum, quod hæc evenire oportuerit, in veritate evenerint et te pro bono Ecclesiæ tuæ disponente contigerint. Sis igitur in æternum benedictus et laudabilis, Domine, qui hæc tam admirabili ordine disponis, dirigis, moderaris et coeres. Tempestates excitas, in quibus jactatur Ecclesia, et sedas illas in tempore suo, dum ad te clamamus in sinceritate cordis nostri. Rege me, Domine, in his, et da<sup>f</sup> ferventer amare mirabilia opera tua, per quæ manifestas nihil melius fieri posse, quam quod facis, nihil salutarius esse, quam agere, quod vis.

<sup>a</sup> Supplevit supra lineam h

<sup>b</sup> Correxit fulcivit ex fulcit (?)

<sup>c</sup> Supplevi litteram h

<sup>d</sup> Correxit dissensiones ex -nti- (?)

<sup>e</sup> Delevi

<sup>f</sup> Da sc. mihi

## MEDITATIO 24.

## DE ORDINE PROVIDENTIÆ CHRISTI IN EXTRINSECO SPLENDORE ECCLESIAE

Ordinem dico, Domine, quem multi in numerum scandalorum ponunt et humanæ pravitati, non ordini tuæ providentiæ ascribunt. Confiteorque tibi, quod dum oculus<sup>a</sup> meus simplex non fuit, ideo fui malus, quia tu bonus es. Bonitas enim tua dedit mihi intellectum [65r:] et judicium, quo sæpe abutebar, sæpe præcipitanter censurabam, sæpe temerarie judicabam de illis, quæ vidi vel audivi. Quo enim plus meditabar simplicitatem vitæ tuæ, Salvator mi, et præcepta, quæ discipulis tuis dedisti, quo plus cogitabam de miribili propagatione Ecclesiæ tuæ et de primitivis Christianitatis sæculis, eo majorem repperi differentiam inter illa et posteriora, et omnia, quæ primævæ simplicitati non correspondabant, humanæ superbiæ effectui vel ascribebam vel ut illi imputarem, pronus fui. Considerabam Ecclesiæ tuæ hierarchiam, extrinsecum Curiæ Romanæ splendorem, quem fastum appellans jam fomentabam contra illum clamantium licentiam, jam illorum ipsem augebam numerum. Antiquitas enim non solos Romanos episcopos, pontifices aut sanctos, non ipsos solos vicarios Christi et capita visibilia appellabat, et quamvis hi posteriores tituli in usu vix fuerint, omnibus tamen apostolorum successoribus episcopis convenire credebantur. Constantinopolitanus patriarcha primus fuit, qui [sibi]<sup>b</sup> titulum œcumenici patriarchæ sibi vendicavit,<sup>c</sup> et hanc licentiam pontificum Romanorum sanctissimi reprobabant. Titulum tamen successores horum assumpserunt. Respiciebam mitræ pontificali adjunctum principatus temporalis gladium, et illico occurrebat mihi te, Salvatorem reprobasse, quod te [65v:] Petrus gladio defendere voluerit,<sup>d</sup> sæpe præcepisse discipulis, ut se pro minimis reputant et ad ministrandum, non ad dominandum missos esse sciant.<sup>e</sup> Et horum institutorum tuorum mutatio quot occasiones dedit censurare reprobareque illa, quæ vel vidi vel audivi!

Sed, o Domine, aperuisti oculos meos, ut in his tenebris offuscatus intellectus mei viderem lumen providentiæ tuæ et agnoscere hæc esse omnino scandala, quæ venisse oportuit,<sup>f</sup> nec tamen esse realia mala in se, sed mala esse respectu illorum, qui scandalisantur et cadunt in illis. Unde procul dubio hæc omnia, quæ video, tu ordinasti qua bona et ad statum militantis Ecclesiæ tuæ necessaria, sed humanæ superbiæ æmulatio, invidia et elatio sibimet ipsi facit ex his scandala, quæ tamen si homo in ordine providentiæ tuæ respicit, rerum humanarum naturali et ordinato cursui attribuet causasque, cur hæc evenire oportuerit, manifeste reperiet, ex quibus admirandam ordinationem tuam eruet et sapientiam tuam, Domine, confusus humanus intellectus adorare cogetur. Una est loquela tua, Salvator mi, ad omnes discipulos tuos, sub hoc nomine autem comprehendis omnes homines, qui tuam doctrinam amplectuntur. Hinc baptismate initiatorum omnium una eademque est promissio. Unde est ergo, quod promissorum in baptismate strictius ab his, quam ab illis prætendatur exsecutio? [66r:] Confundit intellectum meum hæc consideratio, si enim

<sup>a</sup> Correxit oculus ex oculis<sup>b</sup> Delevit<sup>c</sup> Correxit vendicavit ex vi- (?)<sup>d</sup> Cf. Matth. 26,51 sqq. etc.<sup>e</sup> Cf. Thomas a Kempis, *Imitatio Christi* I,17,9.<sup>f</sup> Cf. Matth. 18,7.

omnium Christianorum in observandis promissis in baptismate factis et præceptis Christi æqualis debet esse in vita obligatio, quid est, quod [in]<sup>a</sup> regibus et principibus fastum admittit, quin et requirit, in episcopis et pontificibus autem condemnat, nisi spiritus humani suggestio, quæ<sup>b</sup> a præceptis observandis se immunem reputat et trabem in suis non videt, dum in aliorum oculis festucam respicit.<sup>1</sup>

Sæpe mihi ad hæc respondit spiritus meus dignitatem regum et principum externam majestatis repræsentationem requirere et hanc unicuique statui propriam esse debere ad continendos inferiores et imprimendum respectum nec esse hæc contraria internæ humilitati et præceptis Christi, dummodo non ex superbia, ex<sup>c</sup> elatione animi, ex criminosa adhæsione fiant. Et quia hæc vera esse repperi, ex his omnino agnovi respectu horum, quæ profero, non debere esse differentem considerationem dignitatum ecclesiasticarum et sacerdotalium, nam his et illis cum hominibus agendum est, quorum sensus objectis moventur. Inconsiderate proferebam et comparabam itaque statum propagationis Ecclesiæ cum statu, ut ita dicam, consistentiæ. Illum enim miraculosum et humanum captum naturalemque rerum cursum excedentem esse voluisti, hunc, ut ordinem naturæ [66<sup>v</sup>:] sequatur, ordinasti. In statu, inquam, propagationis spiritus superbiæ regnum per apparentem humilitatem discipulorum destruere, sapientiam mundi per infima confundere conveniebat fortitudini brachii tui, sed a temporibus stabilitimenti seu, uti dixi, consistentiæ, siquidem fidei firmitate solidata miracula tam frequentia cessarunt, sensibilia dignitatis et auctoritatis objecta succedere oportuit, ut in obsequio disciplinæ contineretur humana pravitas. Hinc templorum magnificentia et ornatus, hinc cultus divini splendor et per hæc sensibus facta præsentia et domus Dei repræsentatio, ut extrinsecad fulcirent interna.

Omnia itaque, quæ videmus, secundum ordinem naturæ te disponente successerunt, et quæ per se mala non sunt, fieri oportuit. Prout enim omnes homines contemerent reges et principes, qui Saul, primum regem populi tui in sequendis bobus, Davidem in minando grege imitari vellent, quamvis a te Deo constituti reges fuerint, pari contemptui exponeretur hodie ecclesiastica dignitas, si præcepta tua apostolis in prima missione data ad litteram, non autem secundum spiritum sequerentur episcopi. Capit humana prudentia diversam exegisse victus rationem diversumque agendi modum primitiva Ecclesiæ tempora, [67<sup>r</sup>:] in quibus sola plebs et pauperes constituebant Ecclesiam, et tempora, dum magistratus, proceres, principes et reges ingressi sunt in ovile Christi. Vix est homo, qui externam repræsentationem negligat et in vita necessariam esse non reputet, et heu, quam pauci sunt, qui illam plus justo non ambiant! In hoc consistit enim malum, quod simplicitatem Christianam corruptit, quod approbari nequit. Quodsi tamen de vita sacerdotum agitur, vix est, qui non vellet, ut hi et episcopi adhuc in pellibus ovium et in melotis incederent et sicut supra dixi, in prima missione apostolis data præcepta secundum omnem rigorem litteræ observarent. Clarum est in civilibus nullam hominum societatem bene gubernatam fuisse, sed nec subsistere potuisse, in qua primatus auctoritatem nemo exercuit. Primatus tamen ambitum sæpe Christus repressit, non quod primatum abrogá-

<sup>a</sup> Delevit in

<sup>b</sup> Correxit quæ ex qui

<sup>c</sup> Ante ex duæ litteræ deletæ (ea?)

<sup>d</sup> Correxit extrinseca ex externa?

<sup>1</sup> Cf. Matth. 7,3.

tum esse voluisset, sed ut primatus cupiditatem ex cordibus discipulorum evelleret. Cæcus enim est, nec Scripturas intelligit, qui non agnoscit et Christum in omnibus occasionibus ceteris apostolis prætulisse Petrum et post ascensionem hunc apostolum semper primatum exercuisse, quamvis non ambiverit. Qui autem his veritatibus contrariantur, compassionē digni sunt tamquam præjudicis spiritus [67<sup>v</sup>:] sui traditi. Profecto nonnisi spiritus erroris et superbiæ imaginatur, quod dum miracula penitus cessasse dicit, adhuc tamen statuit, quod illis cessantibus Ecclesiæ gubernium spirituale subsistere posset absque primatus seu capitinis auctoritate. Quodsi autem hanc auctoritatem absque externa repræsentatione dignitatis et hujus convenienti splendore conservaret, hoc ipsum miraculum esset.

Hæ sunt, o Domine, rationes pure humanæ prudentiæ, quæ me in his veritatibus confirmant, nec excedunt rationis rectæ principia, quæ refero. Horum vim agnoscit omnis homo in magistratibus, principibus et regibus, prout dixi, censurat autem, impugnat et reprobat in pastoribus, quos ad regendas ecclesias vocasti et constituisti. Quin et ipsa præcepta tua, Salvator mihi, inconsiderate assumens homo litteram a spiritu separat, nec agnoscit admirabilem ordinationem providentiae tuæ, Domine, sed scandalisatur in illa. Considero, Domine, sæpe, cur non offendatur homo, quando quis regem aut principem aliquem vicarium Dei, quin et Deum super terram appellat. Commovetur autem, dum pontificem, vicarium Christi<sup>a</sup> nominari audit? Scit omnis homo regibus communem esse characterem et proprietates regias, per hoc autem, quod unus illorum, qui semper pro primo agnitus fuit, per excellentiam imperator ab imperando appellatur. Quis [68<sup>r</sup>:] dicet ceteris per hoc imperium dem? In quot libris appellatur imperator Romanus orbis Christiani caput, et irridetur, si aliquis diceret hoc titulo derogari Christo, sed hunc ipsum titulum deferri Romanis pontificibus plurimi ægre ferent, et idolatriæ sat insulse arguent. Scimus, qui sunt, quos Apostolus pastores ecclesiarum, dispensatores gratiarum vocat.<sup>1</sup> Nos scimus ex Scripturis, cui dixit Christus: Pasce oves meas, pasce agnos meos,<sup>2</sup> confirma fratres tuos,<sup>3</sup> et cetera his similia, tot tamen titulis collata et derivata dignitas controvertitur, et imperatoribus Romanis a gentilibus et idololatriis data et derivata auctoritas non offendit aures hominum. Hos sacratissimos, Romanum imperium sanctum passim nominant homines, pontificem sanctissimum, Ecclesiam sanctam appellare autem nauseam movebit illis, et facile obliviscuntur Apostolum omnes {hom}<sup>b</sup> fideles sanctos appellare<sup>4</sup> ex ratione characteris, propter quem plus competit titulus sanctissimi episcoporum primo, quam titulus sacratissimi propterea datus imperatori, quia primus inter sacros seu unctos reges.

Re[n]censeo,<sup>c</sup> Domine, mihi met ipsi hos differentes humani ingenii effectus, quod dum sibimet ipsi tradis, ab objectis secundum præjudicia et passiones suas movetur, sentit et judicat. Hinc de uno extremo ad alterum transiens hæc quoque, [68<sup>v</sup>:] quæ scribo, si legeret, dicere posset me auctorare velle omnia, quæ in historiis

<sup>a</sup> Corredit Christi ex Dei

<sup>b</sup> Delevit hom

<sup>c</sup> Delevit litteram n

<sup>1</sup> Cf. 1 Petr. 4.10.

<sup>2</sup> Pasce....: Ioan. 21.17 et 15.16.

<sup>3</sup> Cf. Luc. 22.32.

<sup>4</sup> Cf. Col. 3.12 sim.

facta fuisse legimus vel etiam fieri vidimus. Sunt multa (quis non fatebitur), quæ ad prophetiam Salvatoris de futuris scandalis<sup>1</sup> referuntur, sed, o Domine, de illis, quæ scandala esse videntur, competitne unicuique judicare?

Ipsa sola ratio et humana prudentia vetat hominem de regum et principum factis indiscrete loqui, et quomodo verba tua, Salvator mihi: Qua mesura metiemini, eadem remetietur vobis; nolite judicare, quia judicabimini,<sup>2</sup> et alia, quæ et tu et apostoli tui de hac re scripserunt, permittent Christiano de illis, quæ legit, audit et sæpe etiam videt, deliberata<sup>3</sup> proferre judicia et aliquem condemnare in corde suo? Non, non Domine, te docente semper condemnabo fastum vanitatis et superbiæ dominationis et primatus ambitum, affectatos titulos, denique illos, qui adinstar regum gentium dominantur, sed absit, ut hæc et similia, quæ fiunt, semper ab hoc spiritu superbiæ provenire judicem. Fallaces enim sunt apparentiæ, et corda hominum tibi soli nota sunt,<sup>4</sup> unde et splendor externus cum humilitate interna et sordities apparet cum superbia æque subsistere potest. Charitati autem est et simplicitati Christianæ proprium semper proniorem esse ad bene sentiendum de proximo, sed vel maxime de illis, quos [69r:] præses voluisti in dignitate pastoratus.

Considero in harum veritatum confirmationem illos, qui in his, quæ recensui, scandalisati a corpore Ecclesiæ recesserunt et se reformatos appellari volunt. Abrogarunt illi omnem extrinsecum splendorem statui ecclesiastico, bona temporalia ab Ecclesia avulserunt et prædictum statum magistratui civili subjece- runt. Ecce illa, quæ intra duorum sæculorum cursum evenerunt, sapientiores illorum gemebunde circumspiciunt. Ita est, o Domine: omnis institutio spiritus tui ordinem habet et mensuram, et si ab hoc ordine spiritus humanus recesserit, turbationi subjecta erunt omnia. Hinc sacerdotalem ordinem sæculari subjecere velle est<sup>b</sup> primæva persecutionum tempora imitari et gentilitatem sequi. A quo enim Constantinus baptisatus est, ecclesiasticus ordo semper pro primo habitus fuit, quin et ipsis apostolorum temporibus oppressi Christiani etiam causas civiles suadente Paulo<sup>4</sup> ad episcopos et seniores ecclesiæ seu presbyteros deferebant judicandas. Nullo modo derogabit igitur his externus splendor super internam humilitatem fundatus; de hac autem judicare temerarium est, propterea simplicitas ad vitam vere Christianam tam necessaria est, dum hæc, quæ videt et audit, considerat, et tunc reperiet illa ordini, quem instituisti, [69v:] minime contrariari, hunc autem propter hominum excessum non condemnat, sed de occasionibus scandalorum gemit, dum debiles a fide deviare videt.

Omnes autem mundanos eventus a te, Deus, in finem decretorum tuorum dispositos esse credens committet tibi illorum curam, quæ sibi commissa non sunt, a te dantur enim, Domine, boni pastores tam spirituales, quam sæculares, nec horum dignitatem aut dignitatis extrinsecum splendorem abrogandum censembit docilis Ecclesiæ filius, sed a te incessanter petet, ut corda illorum, qui in his dignitatibus constituti sunt, reformes et dirigas, et sic reddet tibi gloriam ex

<sup>a</sup> Correxit -er- ex -at-

<sup>b</sup> Correxit est ex et (?)

<sup>1</sup> Cf. Matth. 18,7.

<sup>2</sup> Cf. Matth. 7,2.

<sup>3</sup> Cf. 2 Par. 6,30 sim.

<sup>4</sup> Cf. 1 Cor. 6,1 sqq.

omni ordinatione bonitatis tuæ firmiter credens in promissionibus tuis Ecclesiæ factis, quæ super confessionem illius apostoli fundata est, qui lapidi angulari Christo<sup>1</sup> primus superimpositus fundamentum ædificii Christo innexus sustinet, et sic ceteris apostolis super ædificatum hoc (ex lapidibus vivis)<sup>2</sup> exstructum ædificium per compaginem unionis suæ a tot sæculis substitut et in æternum permanebit.

Lauderis, Domine, quod me hujus tam firmi, tam decori ædificii lapidem esse volueris! Fac, ut in illo cimento charitatis illinitus vivam et permaneam semper!

[70<sup>r</sup>:] MEDITATIO 25.

DE GLORIA NOVÆ CREATURÆ SEU ECCLESIAE

Non confundam, Domine, cum gloria externum splendorem, de quo in præcedentibus protuli tamquam de ordine providentia tuae ad conservationem Ecclesiæ secundum ordinem naturæ necessario. Hic splendor enim nullo modo est gloria ejus, sed nec glorificationem ejus futuram intelligo per nomen gloriae; hæc enim finem sæculorum respicit. Distinguens igitur glorificationem a gloria de hac proferam, quæ menti meæ repræsentare dignaberis, o lumen animæ meæ, Deus. De gloria dico Ecclesiæ militantis et visibilis, quæ vere dicit cum apostolo: Mihi autem absit gloriari, nisi in cruce Domini nostri Iesu Christi.<sup>3</sup> De hac gloria loquar itaque te adjuvante, et hanc gloriam secundum considerationes visibilis et invisibilis Ecclesiæ dividam in internam et externam seu visibilem et invisibilem, utroque modo tamen gloriam et quidem veram gloriam, quia hæc gloria non est a semet ipsa, sed ex Deo Homine, Salvatore et capite suo.

Gloriabatur Ecclesia tua, Domine, in cruce invisibili, id est in imitatione passionis tuae diris illis primitivarum persecutionum temporibus, in quibus primi omnium Petrus et Joannes gavisi sunt pro nomine tuo contumeliam pati,<sup>4</sup> et postmodum pro confessione veræ fidei tot millions hominum animas [70<sup>v</sup>:] suas dederunt, et hæc gloria Ecclesiæ numquam cessavit nec cessabit in corde illorum, qui Christum seu veritatem habent in se, prout jam in prima meditatione de creatura nova distinxii, quid sit esse in veritate, quid sit esse cum veritate. Communis est hæc gloria Ecclesiæ visibili et invisibili secundum professionem oris, sed non est communis secundum confessionem cordis; dicere enim velle pati pro Christo est commune omni Christiano. Dicere, quod Christus, Dominus noster, Dei Filius passus et crucifixus sit et non scandalisari in cruce est gloriari in cruce,<sup>5</sup> et hæc professio oris est necessaria, ut quis Christianus esse dicatur. Sed gaudere in persecutionibus, cruces plus optare, quam mundi vanitates est Ecclesiæ invisibilis proprietas, illorum nempe, in quorum corde est veritas.

<sup>1</sup> Cf. Eph. 2,20 sim.

<sup>2</sup> Cf. 1 Petr. 2,5.

<sup>3</sup> *Mihi...: Gal. 6,14.*

<sup>4</sup> Cf. Act. 5,41.

<sup>5</sup> Cf. Gal. 6,14.

Sed, o Domine, quam mirabilia sunt opera tua;<sup>1</sup> magnificat te anima mea,<sup>2</sup> dum considerat illa! Posteaquam Ecclesiam tuam sanguine tot martyrum cimentasses<sup>a</sup> et gloriam crucis in ipsis exaltasses, etiam signum crucis visibile in signum gloriae constituisti. Voluisti, Domine, non tantum per historicorum contemporaneorum unanimem relationem, sed per ipsa Constantini numismata et lapidibus incisa monumenta incontestabilem reddere visionem huic imperatori exhibitam, per quam ad fidem crucis per signum crucis vocasti illum et cum illo totum [71<sup>r</sup>:] Romanum Imperium. Dixeras olim Moysi Deus: Virgam quoque hanc sume in manu tua, in qua facturus es signa,<sup>3</sup> et Constantino, qui populum et populorum ductores in Ecclesiam ducturus erat, pariter dixisti: In hoc signo vinces. Et ab illis principaliter temporibus [in]<sup>b</sup> hoc signum in quo honore, respectu et veneratione habitum est, labarum Constantini, ipsa salutiferi ligni inventio et occasione illius patratum per lignum crucis incontestabile miraculum, demum in hujus inventionis memoriam institutum festum in hoc signo salutari obtentæ victoriae: exaltationis crucis sollemnitas demonstrant, Domine, quod in hoc signo visibili, quod tam miraculosis modis reddidisti venerabile, consistat visibilis gloria Ecclesiae tuæ tam visibilis, quam invisibilis, ita quidem, ut etiam hodie sub jugo infidelium gemens Christianus populus se ab infidelibus per hoc signum distinguat<sup>c</sup> seque illo signans professionem fidei facit in Christum.

Gloriatur Ecclesia in cruce<sup>4</sup> Salvatoris sui, dum illius signum fronti imprimit in baptimate et in omnium sacramentorum administratione, benedictionibus ac precibus hoc salutari victoriae signo utitur, quia tu, Domine, in illo victoriam promisisti et per tanta miracula hoc signum sacrum esse manifestasti. Erexi illud in labarum visibilis Ecclesiae [71<sup>v</sup>:] tuæ, et hoc signum opposuisti omnibus inimicis tuis dæmonibus reddens formidabile, infidelibus odiosum, reprobis contemptibile, fidelibus autem amabile; amant enim illud omnes, in quibus est veritas, in corde gestantes illud, venerantur autem omnes, cum quibus est veritas per uniformem fidem veritatis et per hunc extrinsecum actum venerationis se in communione ejusdem veritatis esse profitentur. Non dico, Domine, hæc sufficere ad salutem, cum hæc non sit confessio cordis ad justitiam, sed hic externus actus venerationis sufficit ad unionem externam demonstrandam, ut ex his pateat crucem et signum crucis esse trophyum et veram gloriam Ecclesiae tuæ militantis, denique verum labarum, sub quo hæc militat, gloriatur et vincit.

Minime dubito, Domine, per hoc sacrum signum triumphi tui nos recipere gratias invisibles; propterea tamen signum crucis sacramentorum numero non ascribam, quia Ecclesia illud in omnibus actionibus Christiani hominis adhiberi suadet et præcipit, illud tamen in numerum sacramentorum non recipit, sed in signum gloriae Christi ubique oculis fidelium exponit, ut per hoc signum visibile et externum amorem crucis invisibilis cordibus imprimat internum. Gemo, Domine, dum recordar

<sup>a</sup> Sic!

<sup>b</sup> Delevit in

<sup>c</sup> Distinguat (coni.), facit (ind.)!

<sup>1</sup> Cf. Ps. 138,14.

<sup>2</sup> Cf. Luc. 1,46.

<sup>3</sup> Virgam...: Ex. 4,17.

<sup>4</sup> Cf. Gal. 6,14.

reperiri Christianos, qui hujus sacri signi venerationem [72<sup>r</sup>:] reprobant et crucis visibile signum odio s<sup>æ</sup>pe contumeliis prosequuntur posthabita tam miraculosa et tam authentic<sup>a</sup> manifestatione Constantino et exercitu ejus universo facta, per quam in hoc signo victoria promissa est. Potuisses, Domine, hanc apparitionem crucis in somnio repræsentare Constantino vel illi soli visibilem reddere, sed universo exercitu in meridie diei, sole nube obducto spectandum exhibuisti hoc signum, ut non illi soli, sed omni ad fidem et in Ecclesiam vocato homini datum esse hoc signum eo clarius elucesceret. Sicut igitur aliqua ex alphabeti litteris scripta visibile signum est et litteram noscenti illico sonum proferendum aut mente concipiendum et nihil aliud designat, ita crux Christiano homini nihil, nisi Christum in mentem revocat, et sicut non littera scripta pronuntiatur, sed sonus, quem designat, profertur, ita nec in aspetto crucis ad pictum vel sculptum signum refertur veneratio, sed significati menti imprimitur recordatio. Jusseras, o Deus, in Veteri Testamento nomen tuum mysterio-<sup>sum</sup> Jeova laminæ aureæ insculpi et in fronte summi pontificis spectandum reddi,<sup>1</sup> non ut lamina aut characteres insculpti adorarentur, sed tu, Domine, quem litteræ designabant. Et hæc tua institutio fuit signi crucis in fronte nostro gestandæ significatio.

Dum igitur me illo signo in fronte, signa me, Deus, illo in corde; sterilis erit enim hujus signi in frontem impositio, [72<sup>v</sup>:] nisi accesserit cordis confessio. Sed si in fronte et in corde crucis fit professio, interni et externi hominis sequitur sanctificatio, quia per amorem crucis fit perfecta abnegatio. Gloriari igitur in cruce Domini nostri<sup>2</sup> est illam actu externo et interno profiteri. Per dilectionem crucis fit interna professio, per venerationem signi crucis fit internæ dispositionis manifestatio. Quod enim cor diligit, in illo sensus delectantur, in quo autem delectantur, hoc et venerantur, quod autem corde non diligit, illius aspectum sensus aversantur. Ubi autem cordis et sensuum non est unio, plerumque non est sincera dilectio. Denique in omnibus tam stricta est signi et rei per signum significatæ relatio, ut ubi hujus ab altero fit separatio, non detur simplex actio; et quia simplicitati succedit duplicitas, in illa actione non est veritas. Qui igitur amat signatum seu significatum aut designatum, oportet, ut amet et significans signum, et per consequens, qui gloriatur in cruce, glorietur et in signo crucis, per quod sensibus crux repræsentatur. Qui autem signum crucis aversatur, ille profecto in cruce non gloriatur. Quodsi autem designatum a cruce separat, non aget in simplicitate, quia in corde amare dicet rem, cuius signum sensibus aversatur. Vel igitur mentietur sibi vel veritati, quam sentire dicit in corde, ore et sensibus non præbebbit externe testimonium, et utroque modo duplicitas erit in ipso; ubi autem [73<sup>r</sup>:]<sup>3</sup> duplicitas, ibi non est simplicitas, et ubi non est simplicitas, deficit charitas; ubi autem non est charitas, non est Spiritus Dei.

Clarum est ex his, Domine, quod qui inimicus est signi crucis, est inimicus etiam crucis; qui autem inimicus est crucis, est inimicus Christi. Crux instrumentum supplicii fuit ante Christum, et quia semper supplicium et afflictiones designavit, semper instrumentum supplicii fuit, et in hoc sensu omnes adversitates ipso Christo docente<sup>3</sup> designavit. Hinc ante peractum in cruce sacrificium quotiescumque homo

<sup>1</sup> Supra, in margine sinistro: VII

<sup>2</sup> Cf. Ex. 28,36–38.

<sup>2</sup> Cf. Gal. 6,14.

<sup>3</sup> Cf. Matth. 16,24 sim.

crucem vidit aut crucem verbo protulit, supplicii et afflictionum signum crux, ipsum autem supplicium significatum fuit; sed quia supplicium, quod Judæorum pravitas Christo infligere credidit, factum est nostræ redēptionis pretium, a quo in cruce facta est redēptio, signum crucis nonnisi Christi passionem et redēptionem designat, et sic signum crucis factum est gloria omnis Christiani. Sed et nomen crucis est amabile, hoc enim verbum designat etiam afflictiones et passiones per crucem seu passionem Christi sanctificatas, quas non tantum amare, sed et desiderare debemus, ut gloriemur<sup>a</sup> in cruce<sup>1</sup> interne. Tunc enim etiam signum crucis amabimus, quod hæc, quæ dixi, repræsentabit sensibus nostris externe, et quia amabimus, venerabimur signum propter significatum; quod est salus, redēptio, sanctificatio nostra, quin ipse Christus, qui hæc operatus est in cruce qua ligno, per crucem qua passionem, sed etiam per [73v:] crucem qua instrumentum et ideo signum passionis.

Instrumenta heroicarum actionum in scutis gentiliciis circumportat hominum vanitas. Iste scalas, per quas avorum aliquis mœnia hostilia concedit, in scuta depingit, alter inimico amputatam dextram aut caput spectandum exhibet. Fuitne umquam homo tam insipiens, qui dixisset, quod scalæ reportaverunt victoriam, et non ille, qui per illas concedit mœnia? Hoc tamen non obstante et ille, qui per illas ascendit, et rex, qui hujus actionis testis fuit, scalas pro victoriæ instrumento agnovit, et ut in signum militaris virtutis scalæ in scutis repræsentarentur, voluit, et sic scalæ, quæ instrumentum furti esse potuissent, pro illo, qui per illas murum concendisset, ut furaretur, factæ sunt in instrumentum gloriæ per illum, qui illarum adminiculo hostilia mœnia subegit, et sic tota posteritas avorum memoriam et heroicum facinus deprædicat, et ut per sensus memoriae repræsentetur, scalarum figuram spectandam exponit, quibus stemmatis virtus et origo discernitur, scalis tamen pictis aut sculptis nulla propria virtus ascribitur.

Agnoscit recta ratio has veritates, laudat, affectat, gloriatur in similibus, quæ refero, sed dum hæc crucis Salvatoris nostri tamquam gentilicio scuto Christianitatis applicantur, recedit ratio<sup>b</sup> a semet ipsa, recedit a vera gloria stemmatis [74r:] sui, dum figuram scalarum in scuto gentilicio stemmatis gestare gloriæ dicit. Crucis signum autem Constantino et toti exercitui in signum victoriæ datum et per hanc miraculosam visionem ad agnitionem fidei vocatum, denique in scutum Christianitatis ab omni antiquitate receptum et adoptatum rejicit et reprobat.

Non, non Domine, non mihi, sed tibi debedo, quod has humani intellectus tenebras discernere dederis et me de numero illorum esse volueris, qui nec<sup>c</sup> crucem nec crucis signum pro scandalo et stultitia<sup>2</sup> reputant, sed in signum gloriæ fronti impunent et omnes actiones hoc signo signati memoriae illius dedicant, qui in cruce exaltatus traxit omnia ad se.<sup>3</sup> Unde crucem, in qua passus est, tamquam thronum Regis sacerdorum, tamquam instrumentum gloriæ ejus, tamquam altare holocausti pro me oblati, denique tamquam tribunal Judicis vivorum et mortuorum respicio,

<sup>a</sup> Correxit gl- ex in

<sup>b</sup> Supplevit supra lineam ratio

<sup>c</sup> Correxit

<sup>1</sup> Cf. Gal. 6,14.

<sup>2</sup> Cf. 1 Cor. 1,23.

<sup>3</sup> Cf. Ioan. 12,32.

veneror, crucem autem tamquam passionem tuam, o Salvator mi, (quia passio seu opus redemptionis a te distinctum non est) adoro, et in hujus et alterius memoria signum crucis, in quantum haec representat sensibus, est signum salutis et vera [gloriæ]<sup>a</sup> gloria Ecclesiae tuæ, quæ in dilectione crucis et in veneratione signi crucis demonstrat<sup>b</sup> non erubescere illud in fronte portare et actu externo venerari ubique, dum videt oculis, quod diligit interne corde. Sit mihi crucis signum et ex eo amabile ac venerabile, quod infidelibus tam odiosum est. [74v:] Venerantur illi falsi prophetae sui exuvias et militare vexillum, quod ipsis in signum victoriae datum esse jactant; venerabor ego Dei, Salvatoris mei trophyum, in quo mundum, carnem et dia-bolum vicit, et illud in signum victoriae tam miraculose statuit. Sed, o Domine, dum haec cultu externo tibi praestare velle profiteor, fac, ut his cordis mei correspondeat dispositio, et dum sensus signum venerantur, cor<sup>c</sup> crucem tuam diligat, propriam tollam et bajulans illam sequar<sup>d</sup> te, ut perveniam ad te!

MEDITATIO 26.  
DE GLORIFICATIONE NOVÆ CREATURÆ

Perveni, Domine, te mirabiliter ducente ad mysterium meditandum, cui hactenus numquam inhæsi, quia non credidi dilectionis esse a te quærere, quid dabis præmii, sed inquirere, quid agere oporteat, ut in æternum possim diligere te. Dilectio enim suimet ipsius est præmium, et cui diligere non sufficit, quid sit diligere, non scit. Multi sunt, Domine, qui de futura vita inquirentes desciverunt ad inventiones suas et sibi finxerunt beatitudines, quas amoris proprii sensuales illusiones representarunt. Credidi igitur hactenus plerumque curiositatis esse [75r:] inquirere, quid erit, cum pervenero ad te, officii autem mei esse tota vita mea laborare, ut perveniam ad te. Abstraxi præterea semper cogitationes meas de eo inquirere, quid sit anima, et me contentabam scire et agnoscere, quomodo sit imago et similitudo tua.<sup>2</sup> Unde sensi per gratiam tuam, quod nulla fit major beatitudo, quam reservasti animæ, quam absorberi (ne dicam identificari) in illo, cuius est similitudo.

Sed tu, Domine, duxisti me ad has meditationes de nova creatura, et ecce, perveni ad contemplandam glorificationem ejus. Debeo itaque redire ad normam et exemplar, quod jam oculis fidei meæ proposuisti, ut illa, quæ ventura sunt respectu novæ creaturæ totius corporis, certius cognoscam ex illis, quæ jam in capite illius impleta sunt. Reflecto me, Domine, Apostolum [Domine]<sup>d</sup> dicere, quod nisi Christus resurrexisset, nihil nobis mors illius [nobis]<sup>e</sup> profuisset,<sup>3</sup> et tamen communiter dicimus et credimus, nec se aliter habet, quod per sacrificium in cruce per mortem redempti

<sup>a</sup> Delevit gloria

<sup>b</sup> Demonstrat sc. se...

<sup>c</sup> Cor sc. meum

<sup>d</sup> Delevit Domine

<sup>e</sup> Delevit nobis

<sup>1</sup> Cf. Matth. 16,24.

<sup>2</sup> Cf. Gen. 1,26.

<sup>3</sup> Cf. I Cor. 15,12 sqq.

sumus, et ipse Christus in cruce dicens: *Consummatum est*<sup>1</sup> docet nos quodammodo contrarium Apostolo, qui resurrectioni ascribit utilitatem, non morti. Nescio, Domine, quid de his dicant sapientes. Ego tibi eloquar in simplicitate cogitationes meas, et dicam, quæ repræsentantur mihi. [75<sup>v</sup>:] Dedisti enim mihi lumen, ut agnoscerem primum hominem et respectu animæ et respectu corporis, spiritualiter nempe et sensualiter et peccasse et respectu unius et alterius punitum fuisse, respectu animæ quidem per separationem animæ a te, Deus, respectu corporis autem per mortem corporis.

Mors igitur Christi purificavit animam, quæ expiatione et mundatione eguit, ut tecum, Deus, uniri posset, sed corpori non erat necessaria purificatio, sed resurrectio. Quapropter oportuit tantummodo reddere huic capacitatem vegetationis semini<sup>a</sup> immortalitatis, ut quod seminatur mortale, resurgeret incorruptum et immortale.<sup>2</sup> Hinc factum est, quod sicut in veteri Adam etespectu animæ, in quantum separatae a Deo, et respectu corporis mortui fuimus, ita in novo Adam omnimode vivificata est nova creatura.<sup>3</sup> De illa ex anima et corpore constanti creatura, quæ homo appellatur, dicit Apostolus, quod mors Christi nobis non profuisset, nisi Christus resurrexisset.<sup>4</sup> Per resurrectionem igitur corporis humani Christi semen immortalitatis vegetationem acquisivit respectu corporis, ut fini suo restitueretur integer homo. Quodsi enim secus factum fuisset, anima pro informando corpore creata fine suo in æternum caruisset. Philosophus<sup>5</sup> dicit corpus esse tantum [76<sup>r</sup>:] vaginam, saccum et indumentum animæ, et in re sic est, si anima ut spiritus, corpus ut terra consideretur. Sed o Domine, fors non errabo, si secundum Christianam considerationem ex ordine creationis et operum tuorum desumptam dixerim animæ humanæ partem essentialē esse corpus non ex ratione substantiæ (secundum quam nullo modo potest dici pars), sed ex ratione creationis et ordinationis tuæ, Deus. Quodsi enim anima humana ut humana absque corpore omnem gloriam acquirere potuisset, Christi corpus resurgere non oportuisset; nam ex virtute sacrificii et mortis mundata anima salvari potuisset ut spiritus, sed non glorificari ut anima pro informando corpore creata. Tam pretiosum est igitur indumentum corpus animæ, ut sine illo semper desit illi aliquid, quod ex ratione creationis illi essentiale est.

Fides resurrectionis dat intelligere hoc mysterium, non philosophia, que se non potest elevare ad considerationem corporis glorificati, et propterea solummodo respicit corpus qua vaginam animæ, sed resurrectio tua, o Salvator, glorificatio corporis tui et manifestatio proprietatum hujus corporis, cui conformabitur omnis nova creatura, dat mihi per lumen fidei longe alias ideas, secundum quas jam dixi gloriam animæ esse corpus, corporis [76<sup>v</sup>:] gloriam esse animam, in quantum nec corpus nec anima potest pervenire ad perfectam glorificationem homini destinatam, nisi uniantur<sup>b</sup> denuo ad invicem unione æterna et indissolubili; et propterea credo dixisse

<sup>a</sup> Correxit ex *seminis*?

<sup>b</sup> *Uni-* in rasura

<sup>1</sup> *Consummatum est*: Ioan. 19,30.

<sup>2</sup> Cf. I Cor. 15,42.

<sup>3</sup> Cf. I Cor. 15,45.

<sup>4</sup> Cf. I Cor. 15,12 sqq.

<sup>5</sup> I. e. Aristoteles

Apostolum, quod omnis creatura tamquam parturiens exspectet redemptionem suam.<sup>1</sup> Jam autem redemptio respectu animæ perfecta est, hanc non amplius exspectamus, sed respectu corporis nonnisi in resurrectione corporis perficietur, et hanc exspectat ut parturiens diem partus. Habet hæc similitudo admirabilem connexionem cum dicto Salvatoris, quod mulier pariens obliviscitur omnis doloris, postquam pepererit, quia homo venit in mundum,<sup>2</sup> et hæc similitudo exprimit statum animæ in statu etiam beatitudinis exspectantis unionem suam cum corpore. Prout enim mulieri nihil deest respectu sui, quamdiu fetus gestat in utero, ita nec animæ deest quidpiam in beatitudine respectu sui qua substantiæ spiritualis. Sed sicut mulieri deest gaudium, ut homo veniat in mundum et mater dicatur, ita et animæ beatae deest, ut dicatur homo, quia in hunc finem creata est, ut dum cum corpore unita fuerit, veniat homo in mundum gloriæ seu terminum glorificationis suæ.

Insidens homo devians in cogitationibus suis culpat [77<sup>r</sup>:] te, Domine, cur animam puram et innocentem unias damnatae massæ corporis, ut in conspectu tuo characterem damnationis contrahat ex hac unione. Sed prædictæ considerationes etiam in hoc opere tuo demonstrant mihi bonitatem tuam, dum corpus non quæ vaginam, sed qua partem futuræ gloriæ considero, quæ revelabitur in homine integrō, dum pervenerit ad finem suum. Ad quem das media, ut perveniat, sed dum homo se damnat, fit causa damnationis suæ, bonitas autem tua semper permanet causa beatitudinis ejus. Ex multis, sed funestis effectibus agnoscimus flagrantem amorem animæ erga corpus suum, et ipsa animalitas corporea semper dat signa reciprocí amoris erga animam; hinc homini nihil acerbius morte ex ratione separationis duarum substantiarum mutuo et intime se diligentium. Anima hoc intelligit, propterea nemo odio habet carnem suam,<sup>3</sup> corpus sentit, et hanc veritatem ipse Salvator noster docuit ex dictamine humanitatis sue dicens: Tristis est anima mea usque ad mortem.<sup>4</sup> Proinde non ordo naturæ, sed ordo gratiæ potest reddere mortem desiderabilem homini Christiano faciens, ut nova creatura secundum mensuram gratiæ plus vel minus optet mori ex fide resurrectionis et unionis cum corpore et ex [77<sup>v</sup>:] desiderio dilectionis, ut uniatur Deo. Ex hoc desiderio itaque amat anima corpus suum, dum crucifigunt carnem suam, ut glorificetur cum Christo, et quo plus intelligit veritates fidei, eo magis detestatur opera carnis corruptibilis.

Jam ex his te adjuvante, Domine, agnosco completam beatitudinem creature novæ consistere in satisfactione integra dilectionis suæ per unionem intimam animæ cum corpore in te, Deo, summo bôno suo. In hac mortali vita enim est quidem anima unita corpori, sed non intime. Tertium enim est, spiritus nempe vitales, animales, qui hanc unionem efficiunt. Hinc ista unio est mortalis et dissolubilis et ideo imperfecta. In unione autem immortali ita penetrabit anima corpus, ut quodammodo absorbeatur corporeitas in spiritualitate. Unde sequetur communicatio proprietatum animæ corpori, quæ consistunt in penetratione, perluciditate, impassibilitate<sup>a</sup> et agilitate. Unio autem animæ cum Deo sequetur per communicationem idiomatum divinitatis animæ, et sic fiet creatura nova conformis imagini Christi et coheres gloriæ ejus. Hinc

<sup>a</sup> Supplevit supra lineam *impassibilitate*

<sup>1</sup> Cf. Rom. 8,22.23.

<sup>2</sup> Cf. Ioan. 16,21.

<sup>3</sup> Cf. Eph. 5,29.

<sup>4</sup> *Tristis...* Matth. 26,38.

conceptio, phantasia et instinctus, quæ ex organizatione corporis cum animalibus communia habemus, evacuabuntur in nobis, et his potentias animalibus pariter intime communicabit anima [78<sup>r</sup>:] potentias suas, intellectum, memoriam et voluntatem, quæ perficiuntur in anima quoque per communicationem idiomatum divinitatis, et sic absorbebitur totus homo in Deo, manebit in Deo, erit tamen semper homo in Deo.

Sed, o Domine, his taliter deductis secundum exemplar novæ creaturæ in Christo manifestatæ quid dicam de sensibus corporeis? Quodsi enim illi cessarent in corpore glorificato, mutaretur organizatio, nec in hac carne resurgeremus respectu organizationis, sed tantum respectu substantiæ carneæ. Quodsi autem sensus corporis permanebunt, quod objectum habebunt, cum sine objecto et usu superflui essent? Lapis est hic offensionis magnus nimis, Domine, et in hunc plurimi impegerunt, qui de sensibus nimis sensualiter cogitarunt, quia in beatitudine carnales voluptates quæsierunt, et profecto quisquis aliquid præter te, Deus, amat, dum de alterius vitæ deliciis cogitat; statim de eo, quod amat, sibi somnia finget, quia quidquid præter te diligit homo, amore animali diligit; propterea qualis amor, tale est objectum amoris.

Loquor de amore animali, Domine, actum amoris animæ rationalis sæpe præcedente, sæpe concomitante vel sequente, sæpe ab illo separato, ita ut actus animæ rationalis se penitus passive habeat; [78<sup>v</sup>:] in illos tamen simultaneæ concurret ex debito et ex ordine creationis tamquam forma informans, quia quidquid movetur in homine, ab anima et per animam movetur; et ex hac consideratione iterum reperio in illa imaginem et similitudinem tuam,<sup>1</sup> quia sicut tu, Domine, ines omnibus et agis in omnibus, ita se habet anima respectu corporis, cuius tu vitam conservas. Illa inest toti corpori integra et movet omnia, nec tamen semper causa est aut operatrix mali. Tres sunt enim potentiae animæ, intellectus nimirum, memoria et voluntas, et tres sunt potentiae animales, quas cum brutis communes habemus: conceptio, impressio (quæ phantasia est) et instinctus. Hæc tres potentiae consistunt in organisatione, et agunt per influencias, spirituum vitalium, qui moventur ab anima. Conceptio dicitur, per quam animal id, quod sensus repræsentant, concipit, sed non intelligit. Intelligere enim est proprium intellectui, et est causas rerum cognoscere.<sup>2</sup> Conceptionem objectorum per sensus repræsentatorum sequitur impressio in cerebro idearum per sensus conceptarum, et est phantasia, et demum ex conceptione et impressione oritur instinctus. Hæc omnia fiunt in omni anima vivente per motum solummodo peristalticum spiritus vitales moventem, in homine autem fiunt per animam spiritibus vitalibus conjunctissimam et unitam. [79<sup>r</sup>:]

Hinc fit, quod motus primo primi non sunt in nostra potestate, quia in illis non agunt potentiae animæ, sed potentiae pure animales impulsæ per motum vehementem spirituum vitalium, quibus concursum (ut vocatur, simultaneum) anima denegare non potest ex ordine naturæ, malum tamen tunc quandoque non agit, quia passive agit, in quantum trahitur vinculo unionis. Hinc passiones vocantur, et illas communes habemus cum brutis. Virtutes autem, quæ consistunt in refrenatione et temperantia passionum, sunt particulares homini, quia exercentur per potentias animæ. Jam itaque ex his deducitur differentia inter amorem animalem sensualem et inter amo-

<sup>1</sup> Cf. Gen. 1,26.

<sup>2</sup> Cf. VERG. *Georg.* II, 490 sim.

rem spiritualem vel purum vel mixtum. Purum dico pure spiritualem exclusis objectis sensualibus, ut est amor veritatis et virtutum, et hic amor spiritualis purus denuo dividitur in amorem supernaturalem, in quantum ille potentias animæ ad objectum incomprehensibile (nempe Deum) allicit et trahit, aut naturalem, in quantum prædictus amor spiritualis rectæ rationi consone agit. Amor vero mixtus est spiritualis et animalis, dum objecta per potentias animales concepta ex cognitione intellectus quoque et deliberata voluntate in bonum finem amamus vel adjuvante gratia propter Deum [79<sup>v</sup>:] vel deficiente in agendo natura propter deum et propter nos vel ducente corruptione naturæ in moraliter bonum finem propter nos, excluso Deo amamus, quod facere lege Dei vetitum est et per consequens peccaminosum. Apparet præterea ex his amorem animalem aut sensualem qua talem instinctum esse, qui homini cum brutis communis est, provenit enim ex conceptione et impressione objecti sensualis, et sæpe hominem rationis et potentiarum animæ impotem<sup>a</sup> reddens fit actus brutalis.

Inhæsi huic differentiæ amoris spiritualis, mixti et animalis, ut te, Domine, adjuvante transeam ad considerationem sensuum corporis in statu glorificationis, Christus enim manducans cum discipulis corpus glorificatum sensibus corporeis haud privandum fore manifestavit,<sup>1</sup> sed ex supra dictis patet, quod dum corporeitas in spiritualitate quodammodo absorbebitur, et illa ab ista intime penetrabitur, potentiae, quas animales nominavi, ita perficiuntur per potentias seu facultates animæ, quibus divina idiomata communicabuntur, ut ipsa sensualitas evacuata animalitate reddatur intellectualis, id est, ex ductu intellectus agens, non ex conceptione et instinctu animali. Eo enim instanti, quo quid repræsentabitur sensibus, in illis veritatem intellicet homo, nec amplius in externis speciebus, sed in [80<sup>r</sup>:] veritate delectabitur, quia omnia sensuum objecta erunt statui hominis glorificati appropriata, et quia illa illoco notione intrinseca vera esse agnoscat, statim ad Deum referet, et pro illis ac in illis Deum glorificare numquam cessabit in omnibus actionibus suis; sic purificabuntur igitur sensualitates evacuata animalitate.

Sed quid dicam, Domine, de objectis sensuum? Novum cælum, novam terram futuram<sup>2</sup> in Scripturis manifestat nobis tua bonitas; dicamne in terra etiam animalia futura seu de novo creanda seu resurrectura? Absit a me, Domine, hæc animalis cogitatio; aliam ideam dat enim mihi descriptio cœlestis Jerusalem,<sup>3</sup> quam etiamsi non secundum litteram intelligam, ex illa tamen sufficit mihi concipere longe alium, puriorem nempe et perfectiorem futurum ornatum cœli et terræ, quem homini in hac vita desiderabilem esse voluisti, sed intelligibilem non reddidisti, quia quantumcumque sit spiritualis, non de toto cessat esse animalis. Hinc nonnisi in ænigmate<sup>4</sup> concipit et credit. Videbit te, Deus, gustabit, tanget suo modo,<sup>b</sup> sentiet odorem suavitatis tuæ, audiet vocem tuam, et quia te solum diligit, tu solus sufficies sensibus ejus; et quid potest delectabilius aut imaginari aut optare homo, quam esse in objecto [80<sup>v</sup>:] cum objecto et frui objecto dilectionis suæ, et fors nihil absurdii proferam

<sup>a</sup> Correxit ex *in compotem*

<sup>b</sup> Supplevit supra lineam *suo modo*

<sup>1</sup> Cf. Ioan. 21,12 sim.

<sup>2</sup> Cf. Apoc. 21,1.

<sup>3</sup> Cf. Apoc. 21,10 sqq.

<sup>4</sup> Cf. 1 Cor. 13,12.

dicens, quod præter hæc quoque homo coheres Christi regnaturus erit cum Christo super angelos et omnes spiritus ministeriales, et fors hujus gloriae notio et communica prævisio fuit occasio invidiae primi angeli et causa superbiae, quod thronum Altissimi conscendere voluerit. Sed hæc balbutiens profero, in illis enim, quæ de lapsu angelorum scimus te revelante, nimis obscuræ sunt ideæ nostræ. Qui in hac vita sensit ferventem amorem, prout supra dixi, mixtum, objecti nempe sensualis ex cognitione intellectus et adhæsione voluntatis, ex propria experientia capiet, quomodo sola præsentia et visio objecti, quod quis amat, possit ita delectare et replere cor, ut ceteri sensus quoque satientur.

Hodiernæ diei, transfigurationis scilicet festivitas confirmat me, Domine, in his, quæ refero; nam ex unico intuitu resplendentis faciei Christi tantam sensit Petrus suavitatem et satietatem, ut semper in monte manere voluisse.<sup>1</sup>

Vanæ sunt itaque et multis illusionibus obnoxiae cogitationes, quas homo facere posset de futuro ornatu novi cæli et novæ terræ, seu arbores [81<sup>r</sup>:] seu fructus, flores et loca amœna seu animalia imaginetur sibi ac splendida palatia, concentus, odores et epulas et quidquid delectationis sensuum animalium superesse potest. Verum qui-dem est, quod Apostolus dicat in jam citato textu, quod omnis creatura exspectet redemtionem suam,<sup>2</sup> sed ego autumo hoc dictum referri ad substantiam elementalem, ex qua omnis creatura educta est et reducetur; hæc enim est virtualiter omnis creatura. Cum autem illa per ignem purgata fuerit, omnis natura redemptionis fructum obtinebit; hæc enim substantia elementalis est ipsa substantia glorificandi corporis humani. Propterea dum Scriptura dicit novum cælum et novam terram futuram,<sup>3</sup> indicat etiam cælestem Jerusalem descensuram,<sup>4</sup> et quid aliud hæc cælestis Jerusalem, quam universitas sanctorum triumphantis Ecclesiae? Sanctæ enim hæc animæ procul dubio descendenter ad informanda corpora sua. Horum autem corporum ubicatio seu mansio erit novum cælum et nova terra glorificata, quia [hæc]<sup>a</sup> substantia purificata et respectu moderni status spiritualisata, semper tamen corpora plus vel minus subtilis et hinc ejusdem essentiæ, sed duplicitis speciei, quæ species per denominationem [81<sup>v</sup>:] cæli et terræ designantur.

Verum, Domine, per hæc, quæ dico, absit a me velle imponere limites omnipotencie tuæ aut determinare aliquid circa objecta sensuum glorificandorum corporum. Tu enim et animalibus et plantis et arboribus et fructibus ex subtili illa substantia productis poteris ornare terram, si placitum fuerit tibi, non ut animalia illa beatificantur aut glorificantur, sed ut delectationi hominis deserviant. Possent arbores fructus producere non pro necessitate, sed pro voluptate hominis, sed omnis hujus speciei delectatio videtur mihi magna imperfectio, quam excludit glorificatio. Hinc dilectus discipulus volens homini in ænigmate dare ideam beati illius status omnia objecta ad solum visum refert concludens te, Deum lumen, Agnum autem lucernam et templum futurum novæ Jerusalem.<sup>5</sup> Sicut enim per lumen et in lumine videmus, ita omnis delectatio et voluptas in te et per te erit, Deus, et sicut sub denominatione

<sup>a</sup> Delevit hæc (?)

<sup>1</sup> Cf. Matth. 17,1 sqq. et 2 Petr. 1,16–18.

<sup>2</sup> Cf. Rom. 8,22–23.

<sup>3</sup> Cf. Apoc. 21,1.

<sup>4</sup> Cf. Apoc. 21,2.

<sup>5</sup> Cf. Apoc. 21,22–23.

templi locum conventui hominum ad adorandum te in spiritu et veritate<sup>1</sup> destinatum intelligimus, hunc locum te futurum pariter manifestatur, in quem omnes electi convenient, et sibi ac tecum unientur. [82r:]

Non te diligit homo, Domine, qui tanta glorificatione et beatitudine non contentus alia objecta fingens sibi vel in conceptu desideraret illa. Vere animal est, qui in glorificatione animalia imaginaretur sibi et non contentaretur habitatione æterna illius loci, cuius lumen Deus est et lucerna Agnus.<sup>2</sup> Quo plus considero hanc expressionem, eo melius agnosco energiam ejus. Dum enim sensus meos examino, reperio nullum ex quinque esse, qui ita possit satiari aliquo objecto, sicut oculus lumine; auditus enim, gustus, tactus et odoratus satietatem ignorant, qua oculus plene gaudet respectu luminis, quia in lumine certum gradum luminis reperire potest, quo plus non desiderat luminis, sine lumine autem nullo objecto frui potest. Unde agnosco glorificationem illam novæ creaturæ statum tam completæ satisfactionis respectu corporis et animæ futurum, quod illum nullum supermanebit desiderium. Tu enim, Deus, qui summum bonum es, eris respectu hominis, sicut lumen est respectu oculi, in quo oculus satietatem reperit, et respectu illius lumen aliiquid intrinsecum et extrinsecum esse dici potest. Oculus enim est in lumine et [82v:] lumen est in ipso, penetratur lumine et se per visum quodammmodo extendit in lumine, et per [lum]<sup>a</sup> lumen fertur ad omnia, in quibus delectatur, ita ut sine lumine in [ulla]<sup>b</sup> nulla re posset delectari. Sed quod his adhuc majus est, etiam æternitas seu incessabilitas delectationis per visum exprimitur. Oculus enim in lumine (ad videndum dispositus) semper videt et semper in præsenti videt, præteritum enim et futurum in visu non datur respectu visus, sed respectu objecti, quod vel vidit vel videt vel videbit.

Sed quid ego immoror illa recensere, quæ nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis descenderunt?<sup>3</sup> Si enim homo illa, quæ parasti diligentibus te,<sup>4</sup> capere posset, non tu, Deus, sed aliiquid aliud captui ejus subjectum esset beatitudo ejus. Quodsi autem illa beatitudo aliiquid aliud præter te esset, beatitudo non esset, quia præter illam daretur aliiquid desiderabile, tu nimirum, Domine, et per consequens, ubi desiderium subsisteret, satietas non esset, et ubi satietas deesset, beatitudo deficeret. Nolo igitur glorificationem, nolo beatitudinem præter te, Deus.

Fac proinde, ut te ferventer diligam, nam tua dilectio est vera beatitudo [83r:] incipiens in terris et perficienda in illa beata Jerusalem nova, cuius tu lumen et templum es et lucerna Agnus.<sup>5</sup> Sicut enim lumen in lucerna continetur; lucerna tamen est in lumine, quod se extra illam quoque effundit, ita tu es in Agno et Agnus est in te, sed et extra Agnum qua Agnum extendit se immensitas deitatis tuæ, et diffundetur super omnes, qui te videbunt per lucernam, in qua tu lumen es, et quibus lumen tuum communicabitur per lucernam, quæ Agnus est, cui, et per hunc tibi, Deus, sit laus, honor et gloria in sæcula sæculorum!

<sup>a</sup> Delevit *lum*

<sup>b</sup> Delevit *ulla*

<sup>1</sup> Cf. Ioan. 4,23.

<sup>2</sup> Cf. Apoc. 21,23.

<sup>3</sup> Cf. 1 Cor. 2,9.

<sup>4</sup> Cf. 1 Cor. 2,9.

<sup>5</sup> Cf. Apoc. 21,23.

## MEDITATIONES DE HOMINE VETERI.

MEDITATIO I<sup>a</sup>.

Abyssus abyssum invocat.<sup>1</sup> Domine, et ecce abyssus misericordiae, quam patefisti in nova creatura, dicit me ad abyssum miseriae, quam manifestavit hominis inobedientia in ipso homine, in quo imago et similitudo<sup>2</sup> tua permansit. Sed quia amplae illi scientiae, quam primo homini ad exercendum dominatum super omnes creatureas sublunares dederas, in posteritate illius successit ignorantia, homo sibimet ipsi abyssus factus est. Vetus homo dicitur itaque, quia vix hujus tam excellentis creaturea plasmationem [83<sup>v</sup>:] memorat Scriptura, lapsum recenset, condemnacionem refert, et vix momentum temporis patefacit, in quo novus fuit. Quodsi exiguum spatium temporis, in quo in innocentia vixisse apparet primus homo, opponatur tempori, a quo vetus factus est, posteritatem autem ejus per detestanda opera carnis corrupisse vias suas ample manifestat Scriptura. Unde apparet, quod hominis veteris proprietas plus sit animalitas, quam rationalitas, quia ipsam rationalitatem animalitati subjicit in conductu vitae suae, dum ratione utitur pro animalitate. Finis itaque actionum et intentionis, in qua agit, distinguit novam creatuream a veteri. Illa integra est opus manuum tuarum, Domine, et gratiae tuae, haec est opus quodammodo manuum suarum, in quantum se per inobedientiam ex bono malum fecit, dum homo servus peccati et animalitatis suea factus est.

Hic homo erit itaque objectum meditationum mearum, et hanc hominis animalis abyssum scrutari vellem per gratiam tuam, sine qua in tenebris ambulabo et memet ipsum videre non potero, nisi te adjuvante me elevem super memet ipsum per lumen a te illuminatae rationis respiciens me. Vetus homo dicitur, inquam, quia a peccato primi hominis quisquis venit in mundum, plenus infirmitatibus naturae sua nascitur. Haec autem quam multiplices sint, quis potest sufficienter inquirere? [84<sup>r</sup>:] Homo enim ex duabus substantiis, spirituali scilicet et corporea compositus respectu hujus et alterius praedictis infirmitatibus subjectus est, ita ut a vertice capitinis usque ad plantam pedis non sit sanitas in illo.<sup>3</sup> Non loquor adhuc de illo statu infelicissimo peccati, in quo nascitur per naturam, sed de effectibus peccati, qui tam profunde sunt impressi naturae hominis, ut etiam ablata causa non tollantur. Quidquid pena mortis homini inflxit, se in omnem animam viventem, quin ad omnia creata extendit; hinc omnia mutabilitati, corruptibilitati et partium constitutivarum dissolutioni seu morti subjecta sunt. Et hunc statum noscere nonnisi homo potest inter omnem animam viventem, quia cognitione intellectuali praeditus est, per quam rerum causas concipit et intelligit, sed haec ipsa tam excellens facultas convertitur illi in afflictionem, quia dissolutionem suam prævidet et timet et naturam suam deficere eo vivacius sentit, quo illam plus noscit; et quo plus amat vitam, eo acerbius dolet se illam amissurum; denique quo plus quid amat et in creaturis delectatur, eo plus angitur, dum de harum necessaria et inevitabili privatione cogitat. Unde fit, quod homo vetus illis delectetur, quae has cogitationes dissipare et se movere possunt. Et haec sunt plerumque delectationes sensuales, quas [84<sup>v</sup>:] querit procurans has sibi continuo succedere, ut eo magis occupent. Quae autem ex his non habet, desiderat, et in acquirendis illis

<sup>1</sup> Abyssus.... Ps. 41,8.

<sup>2</sup> Cf. Gen. 1,26.

<sup>3</sup> Cf Is. 1,6.

laborat, laborem spe acquisitionis et possessionis futuræ sublevat, et his repletur communis vita hominum.

Sunt et fuerunt philosophi, sapientes mundi vocati, qui lumine intellectus sui agnoverant beatitudinem hominis in hoc mundo non posse consistere in delectationibus sensuum, renuntiaverant itaque deliciis et divitiae tamquam illusoriis vanitatibus, mortem seu dissolutionem sui præviderunt et contempserunt, et semet ipsis contenti videbantur sufficere sibi. Hos mundus pro sapientibus reputans venerabatur, et imitandos proponebat. Quid autem ex his clarius patet, quam quod homo vetus duplice ratione vivendi, ad quam secundum differentes gradus omnis modus vivendi hominum naturalis refertur? Alii sunt nempe, qui in conductu vite suæ præferunt animalitatem seu sensualitatem rationi naturali, alii, qui sensualitatem rationi subjiciunt, hi tamen et illi semper veteres homines sunt, nec fiunt in novam creaturam, nisi qui per gratiam tuam, Deus, sensualitatem odio habentes rationem fidei subjiciunt et ex fide vivunt.<sup>1</sup> [85r:]<sup>a</sup>

MEDITATIO 2<sup>a</sup>.  
DE SPIRITU VETERIS HOMINIS

Dum massa corporis humani ab anima informatur, vitam recipere dicitur, quia proprium motorem acquirit, qui tam admirandam machinam movet, non tamen regit semper. Anima existentiam a Deo recipit, homo existentiam ab unione animæ corpori participat, quia sine hac unione vel fetus vel cadaver dicitur machina illa, quæ corpus humanum appellatur, homo tamen non est, nisi (prout dictum est) dum ab anima informatur. Spiritus autem pro informando corpore creatus anima vocatur; num autem hæc anima pro hoc, ut ita dicam, officio creata a spiritibus ministerialibus per particulares proprietates non differat, hoc ignoramus. Sentio, Domine, omnem energiam textus Scripturæ dicentis: Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram.<sup>2</sup> Admiror mysterium, quod in unione naturæ divinæ cum humana natura patuit, et tandem dum recognoscere hominem regnaturum fore cum Christo et coheredem<sup>3</sup> esse Filii Dei, agnosco in anima quandam excellentiam, quam mihi non repræsentat idea, quam habemus de spiritibus ministerialibus. Sed ut ut sint hæc, de quibus etiamsi balbutire possem, scribere non conveniret, id evidens est, quod prout anima est creata [85v:] pro corpore, ita corpus sit formatum pro anima, quæ dum huic unitur in fetu, spiritus, quos fetus a matre recepit, anima movere continuat, et hæc est vita animalis cum omni animale<sup>b</sup> communis cum hac tamen differentia, quod hanc ab anima tamquam motrice habeat homo et in<sup>c</sup> separatione animæ hæc vita deficit. Cetera animalia autem habent vitam communicatam a matre conservatam per motum peristalticum. Per vitam pure animalem moventur

<sup>a</sup> Supra in margine sinistro: *VIII*

<sup>b</sup> Sic!

<sup>c</sup> Orig. *cuj*, delevit *cu*, j correct in *i*

<sup>1</sup> Cf. Gal. 3,11.

<sup>2</sup> Cf. Gen. 1,26.

<sup>3</sup> Cf. Rom. 8,17.

organa, exercentur functiones animales et agunt potentiae animales: conceptio, phantasia et instinctus.

Sed præter hanc vitam mortalem, cuius anima motrix et conservatrix est, habet anima vitam propriam immortalem (quam ego mentem appello), per quam exercet actus propriarum facultatum: intellectus, memoriae et voluntatis. Hæc mens animam movens tu, Deus, es dans vitam animæ propriam ex ordine decreti tui, ut anima exsisteret, animæ debitam. Per hanc concurris, o Deus, [simultaneæ]<sup>a</sup> tamquam motor et causa prima ad omnes actus animæ simultaneæ,<sup>a</sup> sicut anima concurrit ad omnes actus animales corporis. Sed præter hunc motum et concursum tuum, Deus, animæ supradicto modo debitum concurris, Domine, in actus animæ, dum vis et in quantum vis modo singulari, et hæc est vita gratiæ, quæ animæ [86r:] non est debita, sed gratuita data. Per hanc vitam fit regeneratio in novam creaturam, per hanc enim influis, Domine, in facultates animæ illuminans intellectum per fidem, firmans memoriam per spem, trahens voluntatem per charitatem. Et sic anima tibi, Deus, intime unita regit et dirigit actiones suas externas per potentias animales secundum uniformitatem<sup>b</sup> voluntatis tuæ, Deus, animantis et suaviter trahentis.

Sed si quidem hæc vita est vita novæ creaturæ, de qua jam in præcedentibus actum est, veteris hominis vita consistit in eo, dum tu, Deus, tantum per actus vel pure physice præmoventes [concurrit]<sup>c</sup> cum anima agit<sup>d</sup> tradens hominem sibimet ipsi, quod ex justis judiciis tuis facis, Domine, respectu reproborum, vel dum respectu vocatorum ad fidem data gratia sanctificante animæ aut non utitur illa, quantum potest, aut abutitur illam rejiciens et mandatis Dei contrarians. Hi sunt characteres veteris hominis, in quo anima in propria excellentia sua superbiens statuit se in finem actionum suarum et veterem Adam sequens fit inobediens mandatis Dei; quærerit beatitudinem et felicitatem extra te, Deus, vel<sup>e</sup> agens ex complacentia sensuum suorum, sicut Adam egit ex complacentia mulieris.

Anima per spiritus vitales corpori et potentias animalibus in organizatione [86v:] consistentibus unita vocatur spiritus humanus, quia facultates animæ potentias animalibus tam stricto vinculo annexæ rarissime agunt independenter ab his, agere tamen possunt. Hujus animæ rationalis actiones sunt enim virtutes morales, in quarum exercitio integre subjiciuntur potentiae animales facultatibus animæ, et taliter agit homo rationalis, vetus tamen, si intentione sua a vero fine aberrat. In his actionibus itaque animales potentiae, prout dictum est, sequuntur rationem, sed dum anima sensualitatibus irretita se illis subjicit, ratio sequitur animalitatem, et fit homo animalis reprobo sensui traditus, subjectus passionibus suis, ita ut ex simplici representatione seu conceptione rerum perculta et illico mota phantasia violentus subsequatur instinctus, in quem sæpe irreflexa et præceps ruit, sæpe per frequentatos actus irretita reflexe trahitur et sic deliberate consentit voluntas. Unde manifestum est, quod quo plus indulget homo potentias animalibus, eo frequenteres et graviores

<sup>a</sup> Delevit *simultaneæ*, quod paulo inferius supplevit supra lineam

<sup>b</sup> Correxit *uni-* ex *con-*

<sup>c</sup> Delevit *concurrit*

<sup>d</sup> Correxit *ex agi t-*

<sup>e</sup> Correxit *ex ?*

causet sibi tentationes, quibus tanto difficilius resistunt facultates animæ, quanto plus nutriuntur sensualitates.

Ex his attente consideratis patet, quot et quam diversi sint laquei, quos spiritus humanus tendit nobis, et quam sinuosa sint latebræ ejus, quam sit impotens anima semetipsam cognoscere aut de propriis suis actionibus [87<sup>r</sup>:] ferre judicium, cum tam stricto vinculo alligata sit sensibus. Patet, quam raro respiciat anima objecta, prout sunt in se, et quam raro formet judicium absque præventione etiam in rebus pure moralibus. Objecta movent sensus, sensus excitant spiritus, hi formant passiones seu potentiae concupiscibilis seu potentiae irascibilis, per quas species repræsentatæ vel placent vel displicant. Secundum has impressiones concipimus, secundum has repræsentat phantasia, cui succedit instinctus. Homo rationalis primas conceptiones transmittit ad intellectum, examinat rerum causas. Phantasiæ primos motus per memoriam præteriorum, præsentium et imaginationem<sup>a</sup> futurorum discutit et rationi discernendos relinquit. Ratio autem exclusis potentiis irascibili et concupisibili dijudicat et sic huic vel illi harum potentiarum adhæret voluntas. Sic dicuntur egisse famosi illi mundi sapientes appellati, et passionibus animalibus sub jugum rationis redactis quodammodo evacuati sentiebant in veritate consistere beatitudinem, sed veritatem non reperiebant, quia veteres homines fuerunt et te, Deum supremam veritatem intelligere voluerunt in superbia, non credere in humilitate. Quo ergo plus se elevabat humana ratio in cognitionem sui pervenire [87<sup>v</sup>:] volens, eo plus deficiebat se perdens in immensitate tua, Deus, et quodammodo reverberata redibat ad ipsos et se perdebat in adinventionibus suis.

Anima igitur rationalis, in quantum sensibus alligata agit ex dictamine sensuum, vocatur spiritus humanus. Potentiarum enim animalium, de quibus jam supra dixi, organizatio consistit in sensibus. Hinc fit, quod homo etiam sensus communes habeat cum ceteris animalibus. Jam autem siquidem omnes actiones externæ per sensus producuntur, in illis omnibus concurrit spiritus humanus, et propterea respectu tui, Deus, numquam satis puræ esse possunt etiam illæ, quas adjuvante gratia facit homo. Sed erroneum esset dicere, quod omnis hujus speciei impuritas sit peccaminosa, sed est tantummodo impura, quia ad te, Deus, qui spiritus et veritas es, adæquate non possunt referri in spiritu et veritate. Hinc requiritur in omnibus actionibus essentia liter intentio, quæ est actus animæ actiones nostras ad te, Deum referens. Agit spiritus humanus non tantum in illis, quæ ad extra producuntur, sed etiam in illis, quæ in intellectu ex objectis sensualibus concipiuntur. Hinc fit, quod de una eademque rem differentes sint hominum conceptus et judicia, quia unicuique secundum differentes [perfectiones]<sup>b</sup> gradus potentiarum animalium concupiscibilis aut irascibilis [88<sup>r</sup>:] repræsentantur omnia, quæ sub sensus cadunt. Unde denuo elucescit, quam sit necessaria homini Christiano sensualitatum abnegatio etiam ad purificandas cogitationes, quas sensualitas reddit malas. Hinc fit, quod homo vivens nonnisi certo modo possit exuere veterem hominem nec se perfecte abnegare possit, sed se tantum secundum mensuram gratiarum exuit et abnegat plus vel minus. Hinc patet, quam sit necessaria vigilancia et attentio, necessarius timor et tremor, in quo homo debet operari salutem suam,<sup>l</sup> ut correspondeat gratiis et illas in ordine Dei impendat. Ex

<sup>a</sup> Supplevit supra lineam *imaginationem*

<sup>b</sup> Delevit *perfectiones*

<sup>l</sup> Cf. Phil. 2,12.

his patet præterea, quam sit utile homini spirituali se ab objectis sensualibus abstrahere etiam in devotionibus suis, quia quo plus elongatur ab objectis sensualibus, eo puriores fiunt actus facultatum animæ, eo proprius accedunt ad te, Deus, eo purius adorant te in spiritu et veritate!<sup>1</sup>

Quo attentius hæc considero, Domine, eo clarius video autem, cur non omnes homines sint æqualiter capaces actus facultatum animæ exclusis potentiis animalibus exercere nec posse propterea excludi etiam sensibilia objecta ab omnibus hominibus, sed plurimis utilia, et ut ita dicam, infantibus spiritualibus lactis<sup>2</sup> loco esse. Nam potentiae animales secundum [88v:] differentes organizationes corporis temperamenti et dispositionum spirituum facilitant actus animæ præcipue respectu actuum humanorum animalium. Et in ordine tuo, Domine, plerumque gratiæ quoque sequuntur ordinem naturæ. Sæpe tamen fit, quod mulierculæ et hominum rudissimi de spiritualibus altissima cogitent et proferant et in naturalibus ac obviis simplicissimi sint, quia in illis anima a te, Deus, modo singulari vivificata elevat se super sensibilia objecta et directius agit per facultates proprias exclusis potentiis animalibus, quia speciali auxilio adjuvatur. Sæpe igitur hæc rudium hominum cognitio se ex hac ipsa, quam profero, ratione ad secreta naturæ et scientiarum abdita extendere potest, et vocatur scientia infusa, quia te, Deus, animæ intime communicans reddit vivaciores facultates ejus. Nam sicut dum spiritus in corpore excitantur, promptius alacriusque agit homo et vivacior est, ita extraordinarius motus mentis (quam vitam esse dixi animæ) vivaciores reddit facultates animæ, et tunc homo intuitive videt objecta, id est, exclusa falsa specie objectorum sensibilium.

O Deus infinitæ bonitatis, sentio me hæc inepte referre ad materiam, de qua meditari inceperam. Hæ operationes enim tuæ [89r:] in anima non sunt naturæ veteris hominis debitæ, et excludunt spiritus humani operationes, in quantum fiunt absque potentiarum animalium concursu. Sed paucis multa dicere vellem, quia dignaris multa repræsentare mihi, quæ inter se combinata multum illuminant vitæ spiritualis principia, et concursum tuum gratuitum in actionibus hominum manifestant. Ex his discernitur, quæ sint gratiæ tuæ naturales spiritui humano datæ, quæ sint gratiæ supernaturales ad salutem necessariæ, quæ sint tandem gratiæ supernaturales animæ rationali ad actus virtutum in heroico gradu exercendos datae. Posteaquam enim homini esse misericorditer largiris secundum ordinem decretorum tuorum, et vi illorum consequentis justitiæ nihil debes, nisi concursum physicum, ut a te mota anima moveat organa. Quidquid præter hoc das, gratuitè præstas creaturæ, quam misericorditer conservas. Gratias igitur tuas naturales appello, bona organa et spirituum bonam dispositionem, moderatam affluentiam et regularem motum, hæ autem gratiæ in differenti mensura et proportione datae diversificant inter se omnem hominum multitudinem, et quovis in majori gradu participat illas, eo aptior evadit anima ad operationem facultatum suarum, et sortitur homo [in]<sup>3</sup> [89v:] animam in majori vel minori gradu bonam. In anima enim quoniam partes non dantur, unam altera perfectiorem esse non crediderim, functiones tamen unam altera perfectius exercere manifestum est ex ratione organizationis corporis et spirituum animalium dispositione.

<sup>3</sup> Delevit in

<sup>1</sup> Cf. Ioan. 4,24.

<sup>2</sup> Cf. 1 Cor. 3,2.

Unde evenit, quod dentur homines, qui propter potentias animales vix videantur habere aliquid, tam stolidi, hebetes et stupidi sunt. Corpora illorum erunt bene organizata, sed sanguinis et ceterorum humorum vitiositate obtusi spiritus in offuscato aut nimis humido aut aliis quibuscumque modis male disposito cerebro vestigia imprimere nequeunt vel impressa absque confusione perseverare non possunt. Exacte hæc explicant physici, quæ mihi superficialiter delibasse sufficit ad explicandum, quid ego per gratias naturales intelligam, quæ tamen quamvis naturales sint, dantur tamen a te, Deus, in finem decretorum tuorum tamquam gratiæ prævenientes, præparantes et disponentes ad gratias supernaturales ad salutem necessarias. Harum radix est fides, quæ supernaturalis est, quia mens fortiori quam solo physico concursu adjuvat intellectum illuminans et animam super potentias suas naturales elevans facit credere hominem illa, quæ non videt et nec capit vel cæce,<sup>a</sup> et simpliciter per subjugationem [90r:] intellectus vel luminose veritatem revelatam sub ænigmate tamen repræsentans. Hujus speciei gratias supernaturales appello, quia non tantum non debentur naturæ, sed etiam quia objecta supernaturalia concernunt, quæ invisibilia, [in]<sup>b</sup> inintelligibilia sunt et nullo modo cadunt sub sensu et potentias animales. Hujus ordinis gratiæ sunt quodammodo speciales pro qualibet facultate animæ, nec tamen sunt semper efficaces, nisi voluntas allicitur et trahatur. Dum enim intellectus per fidem de mysteriis salutis convictus est quoque, nisi desiderium salutis concipiatur in voluntate, fides est sterilis.

Sed sæpe adest desiderium, in quo consistit incipiens charitas, voluntas tamen agit in velleitate, quia necdum sat fortis est ad agendum. Sed tandem quo clarius cognoscit intellectus sumimum bonum per mentis lumen, eo plus allicitur et trahitur ad bonum cognitionis, et quia trahitur, agit, quæ necessaria noscit, ut perveniat ad illud, et hæc est operatio gratiæ efficacis. Hæc sunt necessaria ad salutem, et jam supra dixi has gratias supernaturales ad salutem necessarias esse, sed donec anima in hoc statu justorum est, a criminibus abstinet, virtutes exercet, sed in certo gradu, quia potentia animales adhuc sæpe intentiones et operationes hominis corrumpunt, et potentias: concupisibilem et [90v:] irascibilem deflectere faciunt ad sensualia, unde causantur imperfectiones, delicta, omissiones etc., inter quas justus cadit et resurgit<sup>1</sup> sæpissime. Habet gratiam, quam dicunt sanctificantem, vivit in charitate habituali, sed virtutes necdum exercet in gradu heroico, donec omnes facultates animæ et ipsa memoria exclusis omnibus ideis ita concurrat, ut semper et in omnibus objectis summum bonum et illa, quæ ad salutem pertinent, repræsentet. Tunc enim hæc, facultatum animæ in unum opus concursus et amore tuo, Deus, inflammatam voluntas non tantum regit potentias animales, sed trahit illas, ita ut divini amoris effectus et ipsa carnalis sensualitas sentiens terrena objecta non amplius respiciat. Tunc odium peccati non tantum ad crimina et venialia, ut vocantur, peccata, sed ad omnes fragilitates et imperfectiones extenditur, de quibus vindictam sumit homo per continua opera pænitentiæ et vere odio habet semet ipsum qua veterem hominem. Unde exercetur perfecta humilitas ex agnitione et salutari odio defecuum. Tunc amor crucis et adversitatum heroicis ex cognitione indignitatis propriæ; ex desiderio pati pro Christo, qui tanta passus est pro homine, denique ex conformi-

<sup>a</sup> Supplevit supra lineam rasuræ *cæce*

<sup>b</sup> Delevit *in*

<sup>1</sup> Cf. Prov. 24,16.

tate voluntatis, cum voluntate suprema ad tam eminentem [91<sup>r</sup>:] gradum sanctitatis elevatus homo omnia agit per actus puros facultatum animæ rationalis.

Unde sequitur exercitium quattuor virtutum cardinalium: prudentiæ, justitiæ, fortitudinis et temperantiæ in operibus externis in gradu pariter heroico, in illo scilicet, in quo intentio pure Deum respicit et omne opus externum ad bonum et utile proximi propter Deum dirigitur exclusa omni alia suggestione spiritus humani. Augetur hæc sanctitas per visionem intuitivam Dei et objectorum: intuitive enim videre est Deum, prout est summum bonum aut<sup>a</sup> prout nihil est horum, quidquid cognoscere possumus, respicere, et omnia objecta non in tantum videre visu animali, prout sunt, sed intueri finem, pro quo facta sunt, ut referantur ad illum finem, in quem a Deo ordinata sunt. Videre simpliciter est proprietas animalis, sed intueri intellectualiter est actus animæ rationalis, in qua mansionem facit Pater et Filius et Spiritus Sanctus.

Crederem, o Deus infinite misericors, me denuo deviasse a proposito meditationis meæ, sed de mirabilibus tuis cogito felix in eo, quod te adjuvante non a te, sed a veteri homine deviaverim prolata cogitans, sed non satis prolixè proferens, quia res altissimas secundum mechanismum intellectui humano proportionatum [91<sup>v</sup>:] explicui, nec semper scrupulose repetii omnia in illis, quæ annotavi te auxiliante et nova ad quoslibet actus gratia succurrente fieri oportere. Hæc est enim elocutio scholasticorum, quorum aliqui gratiam creaturam esse statuunt et ideo terminum nova gratia adhibent. Sed parce mihi, Domine, si erro dicens, quod auxilium, quod gratia vocatur, non sit a te distinctum nec igitur creatura nec umquam nova est respectu sui, sed respectu temporis, in quo adjuvas specialiter. Si enim omnibus tu ipsem ines et omnia moves, prout fide credimus, cur oportet imaginari gratiam aliquid aliud esse, quam auctionem motus, per quam animam<sup>b</sup> moves ad actus decreta tuis misericordibus et bono seu saluti sue conformes, quem motum ego respectu animæ mentem esse dixi, et hæc tumet ipse es secundum modum, quo animæ ines et moves omnia motu unicuique rei appropriato. Dum enim creas animam per esse, quod das, tuum immortale esse largiris substantiæ spirituali ex nihilo eductæ, ut exsistat in æternum, et hæc est vita animæ substantiæ illius inseparabiliter unita. Per hanc vitam seu mentem movetur anima non qua machina, quia motus illius proprius est et identificatus sibi, hoc autem opus creationis substantiæ et vivificationis uno eodemque actu [92<sup>r</sup>:] fit. Hac elucidatione<sup>c</sup> taliter concepta dicere pro debilitate elocutionis meæ, quod sicut in quodam molendino per aquam acto dum quis velociorem motum vult producere, non opus est novam aquam infundere, sed alveum aperire, ut eadem aqua copiosius influat, ita nec tibi, Domine, opus est novas gratias creare, ut auxilieris, sed datum motum augere in facultatibus animæ faciendo, ut intellectus plus intelligat memoria, vivacius retineat intellecta et voluntas plus feratur ad veritates, quas repræsentas. Hoc autem agis per novos actus in novis temporibus in mensura voluntatis tuæ.

Verum, Domine, tu nosti, quam temerarie judicaret de me, si ex his, quæ mea profert debilitas, aliquis vellet concludere me dicere ita violentari animam per motum a te auctum, sicut impellitur molendinum per aquam. Scio enim et heu, propria experientia quoties edoctus sum et adhuc experior, quoties ego salutaribus motibus,

<sup>a</sup> Supplevit supra lineam aut

<sup>b</sup> Post animam due litteræ deletæ (vo?)

<sup>c</sup> Sic!

per quos tu in animam<sup>a</sup> influere dignaris, vel restiti vel uti neglexi.<sup>b</sup> Hos enim potentiae animales impediunt sentire animam, quia harum potentiarum motus in peccatum peccati facti sunt fortiores motibus animae, et haec est lex carnis, quae est in me, et propterea saepe facio malum, quod [92v:] nolo.<sup>c</sup> nec propterea coacte impeller, ita et tu, Domine, dum efficaciter agis in anima,<sup>c</sup> facio bonum, quod vis, nec tamen ad bonum agendum violentor.

Saepe admiror, Domine, quod sapientes, quorum aures offenduntur, dum de gratia invincibili agitur, admittant invincibilem esse vim cupiditatis sine gratia, et hanc invincibilitatem cum libera voluntate secundum doctrinam sanam subsistere posse credunt, sed vim gratiae invincibilis libertati contrariari putant. Capiunt, inquam, quomodo homo in statu naturae lapsae trahatur a cupiditate, ita ut quod non vult, faciat, capere vel nolunt vel nequeunt, quomodo homo a te, Deo tractus et allectus semper libere consentiat nec umquam resistat gratiae tuae victrici. Prout ergo in statu naturae lapsae cum invincibilitate cupiditatis subsistit libera voluntas, quia quamvis violenter trahat cupiditas, numquam tamen cogit et violentat, ita nec gratiae victricis tractio libertatem voluntatis destruit, dum a cupiditatis vinculis solutum hominem voluptose allicit, lubentem trahit.

Sed de his, quae tua opera sunt, quomodo potest homo adaequate exprimere sensus suos? Propterea si verborum expressio in eodem sensu non sumitur, eo facto exoritur duplicitas, per quam alteratur veritatis simplicitas. Ut [haec]<sup>d</sup> ergo haec duplicitas evitetur, [93r:] oportet, ut sensus uniat charitas, vel ut usitata loquela me exprimam, optandum esset, ut de artibus non loquerentur nisi artifices. Sed o Domine, ego, qui nec secundum vocationem nec secundum scientiam doctor sum, artifex non sum, loquo de his mihi coram te; fac, queso, ut intelligam te et de veteri homine meditans noscam me!

### MEDITATIO 3.

#### DE POTENTIIS ANIMALIBUS VETERIS HOMINIS: CONCEPTIONE. PHANTASIA ET INSTINCTU

Confidens tibi miserias meas, Deus, scribo, sed quia scribo, me intelligibilem reddere debeo. Aperi itaque os meum, et da verbum labii meis! De artibus loquor non artifex, et ideo saepe terminos conceptus mei adhibeo, quos sentio explicacione indigere. Hinc saepe repeto, ut me mihi met ipsi reddam intelligibilem.

Inusitata expressio est 'potentia animalis' quam tam saepe protuli hactenus, et quid per illam intelligam, jam frequenter exposui. Inter has autem potentias animales quidnam sit phantasia, quid instinctus, satis notum est, sed 'conceptio' terminus inusitatus est, qui (nisi fallar) non nisi conceptioni fetus attribuitur et imprægnationem supponit. Facile crederet aliquis me de conceptu loqui voluisse et [93v:] linguæ

<sup>a</sup> Animam sc. meam

<sup>b</sup> Correxit x et ct (?)

<sup>c</sup> Anima sc. mea

<sup>d</sup> Delevi haec

<sup>1</sup> Cf. Rom. 7,19.

non satis gnarum<sup>a</sup> terminum pro termino sumpsisse, et per hanc opinionem multum deviaret a sensu meo, quia conceptus est actus intrinsecus animæ, cuius animal nullo modo capax est, idem tamen ipsum exprimit respectu animæ, quod ego per terminum 'conceptio' exprimere vellem respectu animalis, quod in hoc ipso plurimum differt ab homine, quod homo concipere possit objectum sine agente extrinseco, sine quo conceptio in nulla anima vivente potest fieri. Hinc prout secundum communem applicationem hujus expressionis conceptio imprægnationem supponit peragens extrinsecum, ita fit etiam in actu animali seu potentia, quam ego conceptionem nominavi. Oportet enim, ut objectum sensibus animalis expositum vel per visum vel per odoratum vel per tactum, auditum aut per gustum quodammodo imprægnat animalis cerebrum per repræsentatas species, ut subsequatur specierum conceptio, quæ dum cerebro per delectabilem aut aversam repræsentationem commotis spiritibus impri-mitur, vestigia fiunt in cerebro, per quæ transeuntes spiritus species præteritas revo-cant, et hæc est phantasia, quæ in animali, donec vestigia impressa non concidunt, semper permanet et subsistit, concidunt autem; quodsi longo tempore non occurrat objectum, quod sua vestigia impressit adaequate, credo proinde dici posse concep-tionem hanc [94<sup>r</sup>:] externarum specierum per sensus factam seu levem seu fortē impressionem, non enim omnes repræsentatæ species reddunt spiritus tam vivaces, nec tam vehementer commovent, ut sculpant quodammodo vestigia, sed dum leviter transeunt, impressionem tantum faciunt plus vel minus permanentem.

Jam autem ex antecedentibus appareat, quod per concupiscibilem aut per irascibili-lem potentias repræsentatae species quo fortius commovent, concitant aut acuunt spiritus, eo profundiora sculpantur vestigia, quæ quo profundiora sunt, eo major fit sensibilitas appetitus vel delectabile bonum desiderantis vel repugnans malum re-pellere volentis, et hic est instinctus. Jam autem si quis interrogaret, unde exoriatur appetitus, dicerem produci in animali per effluvia objectorum, quæ per animalis sensus influunt et ab illo attrahuntur. Et prima vice repræsentati objecti facta efflu-viorum attractio et ab illis facta imprægnatio et impressio sufficit, ut subsequenter illud ipsum objectum etiam in longiori distantia visum, quam ad concipienda efflu-via requireretur, appetat vel aversetur animal. Hæc autem omnia per extrinsecum agens moventur et propterea non improprie possunt dici conceptiones.

Taliter fiunt hæ animales functiones etiam in homine, et sæpe [94<sup>v</sup>:] potentiae hæ animales agunt independenter a facultatibus animæ; non dico independenter ab anima tamquam informatrice et motrice, quia hoc fieri non potest, ut in homine aliquid moveatur independenter a concursu simultaneo animæ, sed pos-sunt multa fieri per hominem absque operatione facultatum animæ, quia hæc operatio distincta est a concursu simultaneo animæ, sicut distinctus est concur-sus Dei tamquam causæ primæ etiam in peccatum ab operatione Dei in anima ad hoc vel illud bonum opus incitantis et adjuvantis. Sic videmus fieri in mente captis, in furiosis, phreneticis aut lunaticis, et heu, quam sæpe fit etiam in homi-nibus sanæ mentis nimiæ sensualitati deditis et habitualiter agentibus! Et quid dico? Non tantum in his, sed et in omnibus hominibus. Omnes enim actiones, quas irreflexas, inconsideratas, præcipitatas esse dicimus, ex hac causa proce-dunt, et sunt in homine sanæ mentis vel crimina vel peccata et delicta vel

<sup>a</sup> Correxii ex *gnarus*

solummodo *imperfectiones* et *defectus*, quia quidquid homo inconsulta ratione agit, vitiouse facit. Ad hoc enim illi data est ratio, ut illam consulat et ex dictamine illius agat corrigens per illam et continens animales potentias. Dicimus proinde motus primo primos non [95<sup>r</sup>:] esse in nostra potestate, et ideo sæpe excusantur et a peccato immunes esse dicuntur. Sed nescio, num peccaminosum non sit, dum homo illos coercere negligit, quia sicut per frequentatos actus acquiritur habitus ad malum, posset acquiri etiam ad bonum morale per frequentatos actus contrarios motibus, quibus quis obnoxius est. Sed fors non absurde dixerim, quod potentiae animales frequenter etiam ope medicamentorum corrigi possent, si hæc rite et circumspecte applicarentur.

His taliter consideratis clare video differentiam inter conceptionem unicuique animæ viventi communem et inter conceptum animæ rationali proprium; conceptio enim nequit fieri, nisi de objectis per sensus repræsentatis, conceptus autem se extendere potest etiam ad illa, quæ per sensus nec repræsentata sunt, nec repræsentari possunt. Conceptus objectum est veritas seu moralis seu adjuvante gratia tua, Deus, supernaturalis; quidquid enim intellectus concipit, sub specie veri concipit et de ipso falso, dum illud falsum esse agnoscit, verum conceptum format; sed de his alibi fusius.

Phantasiam secundam potentiam animalem esse dixi, et hæc distinguitur a memoria, quæ non nisi ideas per conceptum intellectus formatas repræsentat et retinet, phantasia objectorum per [95<sup>v</sup>:] conceptionem impressorum imagines conservat, prout per sensus repræsentatae plus vel minus impressæ vel insculptæ fuerunt cerebro per spiritus animales. Admirabiles sunt phantasiæ operationes, quas in animalibus sæpe observavi, et credebam quondam erronee non differre animam hominis ab anima bruti, nisi in eo, quod illam æternam et salutis capacem reddere voluerit misericordia tua, Domine, quam in animam animalis non extendisti, quia extendere nolueisti. Sæpe videtur, ac si animal ex conceptu idearum ageret, sed vere non agit, nisi ex conceptione imaginum per phantasiam repræsentatarum, prout illæ impressæ fuerunt per sensus, nec se ultra extendere possunt ideæ illius, prout extenduntur ideæ memoriæ, de quibus intellectus novos et novos conceptus facere potest.

Hinc phantasia in homine est ancilla memoriæ respectu idearum, quas conceptio animalis depingit in illa, sed ex ancilla phantasia fit domina memoriæ in veteri homine animali, quia de objectis sensualibus, quorum imagines repræsentat, per spiritus mota phantasia homo animalis non format conceptus et non quærerit de illis veras ideas in memoria, sed ad normam animalis agens tradit quodammodo homo se sibimet ipsi seu potentissimi suis: concupiscibili aut [96<sup>r</sup>:] irascibili, qui actus instinctus est ad objectum vel appetendum vel repellendum determinans.

Hæc est tertia potentia, quæ in animalibus voluntatis vice fungitur, et hujus ductum homo animalis quoque sæpius sequitur in actionibus habitualibus, quam voluntatem. Instinctus se determinat secundum repræsentationem imaginum a phantasia factam, voluntas agit ex cognitione idearum a memoria repræsentatarum, de quibus intellectus format conceptus veri et boni appetibilis vel falsi aut mali odibilis, et hac reflexione facta se determinat voluntas vel adhærendo cognito bono et vero vel repellendo falsum et malum. Sed quo instinctus animales fortiores sunt, eo sæpius desinit voluntas in velleitatem, per quam facit homo, quod facere non vult,

trahente lege carnis, quæ sunt potentiaæ animales tam contrariae legi spiritus seu dictamini facultatum animæ.

Reducunt me, Domine, hæc considerationes denuo ad meditandam virtutem tuam, quæ manifestatur in infirmitate mea.<sup>1</sup> Dum enim gratia tua, de qua Apostolus loquitur dicens: Velle quidem adjacet mihi, posse autem non invenio,<sup>2</sup> agit in me, facit, quod ego non statim ruam ad sequendos instinctus fragilitatis [96v:] seu animalitatis meæ, sed consulto quidem facultates animæ, quæ mihi te adjuvante bonum et verum repræsentant, sed neendum sat distinctæ. Hinc vellem quidem repræsentatum bonum, sed quia illud sat luminose non agnosco, ex vivaciore repræsentatione objectorum sensualium agens instinctus seducit me ad agendum, quod nolo, sed dum gratiam efficacem dare dignaris, illuminas facultates animæ, et fiunt fortiores vivacioresque potentiaæ animalibus, de quibus triumphas, et sic sua vitiositate debilem voluntatem meam trahunt et alliciunt ad bonum cognitum; ita quidem, ut prout illam antea vicerat instinctus, jam vincat tua gratia faciens, ut possit, quod antea tantum voluit. Facultas enim animæ, quæ voluntas dicitur, et potentia animalis, quæ instinctus vocatur, sunt potentiaæ cæcæ, quæ determinantur ad agendum vel<sup>a</sup> per cupiditatem vel per tuam gratiam. Determinantur autem per hanc vel per illam non violentatae, sed voluptuosa<sup>b</sup> tractæ. Dum gratia agit in me, animam<sup>c</sup> excitat, facultates ejus illuminat, corroborat, voluntatem ad bonum cognitum alliciendo trahit, tunc anima, quæ subjugat sensualitatem, refrenat potentias animales, et compellit illas ad facienda opera spiritus ex fide. [97r:]<sup>d</sup> Dum porro cupiditas dominatur, languent facultates animæ, et pondere gravi nimis trahor ad opera carnis. Trahor autem, quia ad hæc me determinat voluptas sensuum meorum, et sic vel gratiam vel cupiditatem sequor, non quia violentat, sed quia hæc vel illa magis placet.

Ex his tamen illam sequor, quæ voluntatem cæcam determinat per luminosam aut vivacem repræsentationem objecti, quod volo, appeto et amo, et quia amo, de resistendo nec cogito. Et ideo quamvis libera voluntate prædictus sim, semper vel gratia vel cupiditas triumphat de voluntate mea, quæ volendo, quod gratia operatur, meretur coronam justitiae, volendo autem, quod suggerit cupiditas, meretur gravitatem pœnæ. Dum anima adhæret, Deus, voluntati tuæ, tunc vere libera est, et prout dixi, dominatur in homine, et fit homo spiritualis. Delectatur in crucibus et corpus suum amans castigat, ut redigat<sup>e</sup> in servitutem. Hæc autem suavia apparent animæ, quæ agit in fide futurorum bonorum, sentit tamen afflictiones animalitas, quia huic nulla objecta sensibilia potest repræsentare phantasia in illis, ad quæ agenda per animam agentem ex fide compellitur. Hinc causantur tædia, ariditates, somnolentiæ, quia in vita spirituali [97v:] sensus, dum per objecta non excitantur, plerumque torpent et languent. Dico 'plerumque', quia loquor de ordine naturæ, bonitas enim tua, o Deus, facit quandoque, ut solacia animæ, consolationes et affectus ejus etiam in sensu redundant et vere dilatato corde carneo amorosa eliciantur suspiria, teneritudinis

<sup>a</sup> Vel in macula atramenti

<sup>b</sup> Correxit ex *voluptuosa* (?)

<sup>c</sup> Animam sc. meam, etc.

<sup>d</sup> Supra, in margine sinistro: IX

<sup>e</sup> -at in rasura (?)

<sup>1</sup> Cf. 2 Cor. 12,9.

<sup>2</sup> Cf. Rom. 7,18.

fundantur lacrimæ et castæ columbæ ciantur gemitus. Hos effectus producit gratia intellectum in tam altam contemplationem bonorum æternorum elevans, ut ex<sup>a</sup> illorum intuitiva cognitione conceptæ ideæ etiam quandoque phantasiæ repræsentent imagines sensibus gratas et appetibiles.

Sed hoc quoque verum est, quod similia possit producere etiam naturalis hominis complexio. Unde fit, quod ad repræsentationem enormitatis peccati et pœnarum inferni quandoque amarissime<sup>b</sup> fleant peccatores nec tamen convertantur. Sæpe ad aspectum passionis in imaginibus repræsentatæ lacrimis obruuntur mulierculæ, quarum vita tantæ devotioni non correspondet. Hos actus extrinsecos enim, prout dictum est, potest producere ipsa tenera complexio et phantasiæ vivacitas, quæ sibi de cœlestibus gaudiis, de passionis Christi acerbitate vivas imagines fingens vel cor dilatat ad gaudia vel restringit ad mærem. Propterea hæc signa extrinseca devotionis pro æquivocis signis sanctitatis [98r:] habentur, quibus et spiritus humanus et diabolus illudere potest, ut incautis complacentiam suggerat et magnam de propria sanctitate opinionem conciliet. Tam differentes et semper tam periculosæ sunt itaque operationes potentiarum animalium in homine, et ideo proficua est sensuum mortificatio. Hinc crucis, contradictionum, adversitatum desiderium, humiliatio, injuria rum patiens tolerantia, et in his gaudium sunt vera signa sanctitatis et operationis gratiæ, quia hæc potentiaæ animales (tamquam sensibus contraria!)<sup>c</sup> producere nequeunt, sed hæc operantur facultates animæ a te, Domine, vivificantæ et per actus heroicos super semet ipsam elevatæ. Prout enim antiquitas heroes appellabat illos, quos vana gloria et superbia amoris proprii super semet ipsos elevavit, ita heroes spirituales sunt, qui prædictos actus ad te, Deus, relata pura intentione exercent. Non sunt veteres homines hi heroes, sed novæ creaturæ; sed siquidem hi duo homines tam stricte sunt in uno homine uniti, nequeo de veteri homine cogitare, quin occurrat occasio de novo homine quoque cogitandi, ut ex illorum oppositione hujus et illius natura et operationes eluescant.

Nam quo plus hæc considero, eo evidentius agnosco, quid sim ego [98v:] miser per naturam, quid tua bonitas agat in me per gratiam, quid denique agat in me animalitas, quæ mihi communis est cum omni anima vivente, et quomodo agat anima ad imaginem tuam creata, per quam homo differt ab omni creatura. Ex his agnosco, quam appropriatum sit indumentum corporis animæ, quod illi dederas in gloriam, quod primus homo conspurcavit et convertit in saccum putredinis. Agnosco, inquam, ex his et adoro sapientiam tuam, quæ tam miro ordine disposuit mundi machinam, ut creaturæ corporæ pro homine creatæ per hominem deserviant gloriæ tuæ, Deus, qui spiritus es.<sup>1</sup> In hunc finem univisti naturam spiritualem et corpoream in homine ex limo terræ formans<sup>2</sup> machinam tam incomprehensibilem, per quam, in qua et cum qua anima ad imaginem tuam creata exerceret œconomiam tuam in gloriam tuam et in bonum, gloriam et utilitatem suam. Hic est finis, in quem plasti hanc creaturam, et propterea tam profunde est impressa illi cupiditas boni, gloriæ et utilis. Sed postquam primus homo devians a mandato tuo corrupisset vias suas,

<sup>a</sup> Supplevit supra lincam *ex*

<sup>b</sup> Correxit -e ex ?

<sup>c</sup> Supplevi signum ); *contraria ad haec* (?)

<sup>1</sup> Cf. Ioan. 4,24.

<sup>2</sup> Cf. Gen. 2,7.

corrupta est hæc cupiditas, et quia homo a te, veritate deviavit, per naturam suam bonum, gloriam et utilitatem suam [99<sup>r</sup>:] non in veritate querit, sed in falsitate et mendacio, dum illa, quæ agit, non refert ad gloriam tuam, sed ad bonum, gloriam et utilitatem suam. Sed ad hæc uberioris enucleanda petam gratiam tuam de cupiditate meditaturus.

MEDITATIO 4<sup>a</sup>.  
DE SENSIBUS ANIMALIBUS

Mirabilis es, Domine, et laudabilis nimis in omnibus operibus tuis. Quo plus me considero, eo evidentius agnosco te adjuvante hanc veritatem. Dediti mihi potentias animales tamquam ancillas facultatum animæ meæ, sed conceptio, phantasia et instinctus potentiarum non fuissent, quia nihil per se potuissent, nisi his quoque dedisses ancillas, quarum ministerio fieret conceptio in anima viventi. Hinc sapientia tua ita instituit corporis organizationem, ut essent canales, per quos externa objecta in animal influerent et illi communicarentur, ut deservirent conservationi et delectationi ejus. In [hun]<sup>a</sup> hos fines habet omne animal distincta objecta naturæ sua per immensam providentiam tuam accommodata. Sed quidquid<sup>b</sup> in mundo sublunari creasti, Domine, suo modo applicabile est bono et utili hominis, cui dominium [99<sup>v</sup>:] super creaturas dediti; et hæc applicatio fit per sensus, quos communes habet cum animalibus. Omnia objecta igitur communicantur potentiarum animalibus hominis vel per visum vel per auditum vel per odoratum vel per gustum aut tactum. Sed hic postremus sensus non est solummodo considerandus mihi, in quantum ego palpando tango, sed etiam in quantum tangor ab objectis, et in hoc sensu tactus est communis omnibus sensibus, sed in quantum palpo, in tantum differt a ceteris. Sic considero gustum quoque tamquam ceteris sensibus communem; quilibet sensus habet enim sibi appropriatum gustum, in quantum gustus consideratur qua delectabilitas, sed in quantum limitatur per gustum palati, est sensus a ceteris differens.

Relinquo physicis et anatomistis inquisitionem et explicationem dispositionis organorum, ex ipsa tamen partium constitutione adverto, quod siquidem et oculos et aures et os et nasum in capite habeamus in tanta vicinitate cerebri, quod, inquam, prima conceptio fiat in cerebro, in quo quilibet sensus sua suo modo imprimat vestigia, solus tactus, in quantum activus est et palpabilitas dicitur, communis est toti machinæ, impressio tamen ejus, in quantum tactus fit ab [100<sup>r</sup>:] externo objecto, pariter sentitur successive etiam in cerebro. Per sensus communicantur itaque homini objecta aerea et corporea; quidquid enim auditus et odoratus nobis communicant aereum, quidquid visus refert vel palpando tangitur aut palato gustatur, corporeum est. Inter hos sensus alii sunt, qui referunt realia objecta, alii representant objectorum species, ut est visus et auditus, et hi posteriores eo nobiliores videntur mihi esse, quo magis appropriata organa sunt animæ rationalis, quam reliqui sensus, qui plus referuntur ad potentias animales. Nam de illis, quæ homo videt, quamvis non infallibilem, veriorem tamen potest formare conceptum intellectus, quam de illis, quæ

<sup>a</sup> Delevit hun

<sup>b</sup> Supplevit -quid supra lineam

non videndo gustat, odorat aut tangit. Sed hoc dico de corporeis objectis, nam in illis, quæ animam concernunt, auditus præferendus est ceteris sensibus, siquidem et scientiæ et ipsa fides per auditum<sup>1</sup> communicatur secundum communem ordinem. Hæc autem sunt objecta facultatum animæ, de quibus formati conceptus in repositorio memoriæ conduntur et conservantur.

Hæc tamen etiam objecta scientiarum et ipsiusmet fidei dupliciter consideranda sunt, in quantum [100v:] nimirum de illis, quæ homo audit, possunt formari (uti theologi dicunt) idola aut imagines, vel in quantum non possunt, imprimis enim imprimendis concurrit phantasia, et eo facilius concipiuntur et diutius conservantur; in his autem, de quibus sibi homo imagines, idola aut similitudines formare non potest, agunt facultates animæ absque adjutorio phantasie, propterea illa capere et retinere difficilius est. Hinc scientiarum practicarum plures sunt capaces, quam speculativarum, hinc in ipsis fidei mysteriis imprimendis semper querit homo sibi formare idola, ut capiat. Et de quibus hæc formare non potest, pronus est rejicere illa. Hæc est infelix obscurati intellectus humani dispositio, hæc autem obscuratio peccati effectus est. Hæc produxerat in genere humano illam proclivitatem ad idolatriam ante demeritam fidei gratiam, et hæc subsistens intellectus obscuratio nunc quoque sensibilia religionis objecta reddit ex parte utilia et respectu rudium tam necessaria quam periculosa. Utilia dico et necessaria, quia ipse Salvator noster spiritualium sacramentorum mysteria per signa externa repræsentari instituit, prout hæc alibi fusius deduxi. Periculosa dixi, quia signa facile rudes seducere possunt, [101r:] sicut in superstitionis Græcis fieri videmus, qui peccata delendi virtutem plurimis fontibus, quos sacros vocant, attribuunt, quia hoc fieri in baptimate credentes, quomodo hoc in sacro fonte fieri, quare in ceteris fontibus fieri nequeat, non capiunt.

Sed quo deflexi, Domine, cum hæc, quæ de signis scribo, non ad auditum pertinent, nec tamen occasione auditus rettulisse absurdum esse reperio, in quantum fidei communicatio auditum concernit secundum institutum authoris fidei nostræ, qui Verbum est,<sup>2</sup> et verbo suo tantam efficaciam dedit, ut usque (ut ita dicam) ad medullam animæ nostræ penetret.

Sed per hæc, quæ rettuli, demonstrare volui, quod hoc ipsum verbum facilius retineatur respectu illorum, in quibus capiendis conceptio et phantasia concurrunt. Efficacius autem et purius est hoc ipsum verbum in illis, in quibus solis facultatibus animæ concipitur et imprimitur per spirituales intellectus ideas aut simplicem subjectionem et incaptivationem intellectus in obsequium fidei per verbum communicatae. Quo plus recogito, eo admirabilior videtur mihi hic sensus auditus, per quem omnis vehemens motus in aere factus percipitur, hinc [101v:] infinita illa sonorum varietas ex differenti motu aeris, hinc differentes sonuum<sup>a</sup> effectus, qui siquidem aereo spirituales sunt, in spiritibus animalibus operantur seu agitando seu sedando et ut ita dicam, suaviter mulcendo illos. Ex his autem videor mihi facile concipere mirabiles musices effectus, quos ista etiam in animalibus producere potest, in quorum compluribus speciebus auditus delicatior et subtilior est, quam in homine, prout

<sup>a</sup> Recte: *sonorum*

<sup>1</sup> Cf. Rom. 10,17.

<sup>2</sup> Cf. Ioan. 1,1.

et de ceteris animalibus sensibus idem esse experimur. Nec igitur miror, quod canes et alia animalia voces hominis concipient, canes domini, oves pastoris vocem audiētes sequantur; hæc enim cadunt omnia in conceptionem animalem et ceteras potentias, de quibus jam dixi. Audit animal vocem unam et venit, audit vocem alteram et fugit, quia unius et alterius soni vestigia impressa habens in cerebro recordatur ad illam vocem escam accepisse,<sup>a</sup> ad hanc vapulasse.

Ad hæc et similia discernenda non requiritur facultas animæ, ideo industria tantum oportet, ut homo per externorum objectorum applicationes impressionem faciat in animalis cerebro; experientia docet, quod animalia signis et vocibus facile obcediant, et si ad voces [102<sup>r</sup>:] humanas formandas passim organa haberent, tunc clarius videremus, quod quidquid sub conceptionem animalem et potentias animales cadit in homine, illorum etiam animalia secundum differentiam organizationis specierum plus vel minus capacia essent ita, quod quadrupes ageret, quod illi competit, et volatile in suo genere idem præstaret.

MEDITATIO 5<sup>a</sup>.  
DE ANIMA

De veteri homine meditans jam de spiritu ejus cogitationes meas rettuli, et in quo sensu dicatur anima hominis spiritus humanus, pro debilitate ingenii mei eloqui conatus sum. Quid appellem potentias animales, connotavi, et in secunda statim meditatione multa oportuit referre, quæ fors oportebit mihi repetere, quia tua, Deus, bonitate adjuvante perveni ad meditandum objectum, quod mihi et omnibus hominibus incomprehensibile est ex ipsa natura sua. Sunt volumina de anima conscripta, sed ego nihil umquam de anima legisse memini, quod mihi de illa scribere præsumenti posset suppeditare lumen. Sed quia in misericordia tua [102<sup>v</sup>:] confido, Deus, ideo aggredior hoc opus balbutire volens, si loqui necdum potero; sum enim puer tuus et infans gratiæ tuæ, in quantum tu solus dignaris suppeditare mihi illa, quæ in scriptis meis vera sunt. Dum igitur me interrogo, quid sit anima, respondeo mihi animam esse creaturam spiritualem ad imaginem Dei creatam<sup>1</sup> pro informando corpore humano. Hæc definitio videtur mihi habere genus et differentiam. Anima enim qua creatura spiritualis similis est omni creaturæ spirituali, sed in quantum creata est ad determinatum finem, ut corpus humanum informet, differt ab omni creatura spirituali. Dum illam considero proinde qua imaginem tuam, Domine, agnosco animam<sup>b</sup> participasse ab essentia tua vitam immortalem, et sic in anima mea te, Deus, qua mentem reperio, qui ines illi et moves illam modo, quo jam rettuli, sed præter hoc est anima substantia spiritualis exsistentiæ suæ tam intime unita, ut ex consequenti decreti tui et ex ordine naturæ suæ nequeat amplius non esse et annihilari, quia est imago tua per te vivificata et ex hac ipsa ratione participat a te proprietates tuas, in quantum imagini [103<sup>r</sup>:] competit, ut sit prototypo suo similis, non tamen sit ipsum prototypon.

<sup>a</sup> Recte: *se accepisse*

<sup>b</sup> *Animam sc. meam*

<sup>1</sup> Cf. Gen. 1,26.

Hæc est ratio, cur anima nec te, Deum, nec se capiat,<sup>a</sup> nisi ex effectibus, quia si essentiam suam nosceret, et te nosceret et sic illimitatam notionem habens non esset imago, sed exemplar. Dum proinde animam ex effectibus considero me moveri vi-dens, cogitare sentiens me exsistere intelligo. Recordor præteriorum, desidero et desiderando volo, et ex his concludo habere me distinctas intelligendi, memorandi et volendi facultates intra me. Examino me, num objecta, quæ mihi repræsentantur, solummodo taliter videam, prout oculis<sup>b</sup> repræsentantur, et reperio me longe aliter posse illa concipere, quia de illorum principiis et causis quoque possum formare conceptus et notiones, quomodo existant, quomodo facta et producta sint, ex quibus partibus componantur. Unde longe aliter cognosco et concipio, quam oculus<sup>c</sup> repræsentat. Harum idearum autem recordor, et de illis quoque, quæ numquam visa sunt a me, ideas formo, et ex his considerationibus agnosco aliter me videre objecta, prout repræsentantur tamquam imagines, aliter concipere, prout sunt in se, et hæc differens visio [103v:] et conceptus clare manifestat potentiam animæ meæ, quæ intellectus est, et horum conceptuum ideæ permanent in me, harum idearum desiderium, ut existant, demonstrat memoriam voluntatemque pariter esse facultates animæ, non tantum organizationis corporeæ effectus.

Dum autem examino harum facultatum extentionem, stupeo, quia nullius possum limites reperire, semper enim plus possum intelligere, plures ideas formare et secundum illas plus velle. Præsentia repræsentat mihi memoria, præterita revocando reddit præsentia, et futura quoque in præsenti depingit per imaginationem seu per veros seu per illusorios conceptus. Post hæc denuo examino intellectum, et hujus denuo tres facultates (quos ego actus nominabo) discerno, secundum quos objecta, quæ concipit, penetrat, discutit et determinat, et crederem actum penetrandi vocari ingenium, actum discutiendi vocari rationem et actum determinandi appellari prudentiam. Hi tres actus enim requiruntur ad perfecte intelligendum, et memoria quoque tunc agit adæquate, dum omnia ad hæc requisita vere et circumstantialiter repræsentat. Nihil velocius ingenio, quod eo instanti, quo intellectus [104r:] objectum concipit, sicut fulgur exit quodammodo et penetrat illud, sed nisi illi succurrat actus rationis, nihil solidi, plerumque multum inanitatis et vanitatis producit. Hinc vivacis ingenii homines plerumque satyrici, vani, inconsiderati, leves et præcipites sunt, quia propter vivacitatem non semper dant locum rationi, ut discutiat et discernat, et adhuc minus concedunt prudentiæ, ut conceptum ad bonum vel ad malum determinet. Hinc dum hi tres actus intellectus consone et correspondenter non agunt inter se, turbantur conceptus, fluctuat homo, quia cum intellectus distincte non noscit, voluntas non acquiescit. Per hanc, ut ita dicam, anatomiam agnosco, Domine, quomodo de eadem veritate tam differentes possint fieri conceptus et per consequens opinio-nes, quia omnes hi actus intellectus in<sup>d</sup> differenti, ut ita dicam, gradu excentur ab hominibus et ingenii vivacitas, rationis soliditas, prudentiæ maturitas diversificatur non in anima, sed per potentias animales, quæ propter unionem animæ cum corpore se plus vel minus miscent in operationes animæ. [104v:]

<sup>a</sup> Correxit c- ex l-

<sup>b</sup> Oculis sc. meis

<sup>c</sup> Oculus sc. meus

<sup>d</sup> Correxit in ex ind

De his autem fusius disserere non opus est mihi, quia hac cum antecedentibus combinata facile elucescunt. His autem majus objectum occurrit mihi meditandum, quod omnes actiones animæ rationalis concernit et ex fine creationis suæ manifestatur. Breviter et transitorie memoravi supra creasse te, Domine, animam pro gloria, tu,<sup>a</sup> qui facis omnia propter gloriam tuam; hinc imago quoque tua ex ratione finis et essentiæ suæ appetit gloriam. Gloria tua, Deus, tumet ipse es et gloria pariter imaginis tuæ, tu qua exemplar illius es ex institutione creationis. Sed deviante primo homine a te anima cupiditatem gloriæ retinuit, sed a vero objecto gloriæ suæ ad falsum objectum descivit. Descivit, inquam, ab æterna veritate, ab æterno bono ad creatam veritatem et creatum bonum, et hæc objecta quamvis vera sint in se, sunt tamen semper falsa, in quantum satiare nequeunt animam pro infinito bono creatam. Sic fuit vitiata cupiditas gloriæ, quæ animæ essentialiter adhæret et conversa est per peccatum in concupiscentiam carnis in concupiscentiam oculorum et in superbiam [105r:] vitæ.

Concupiscentia carnis et oculorum sunt factæ proprietates spiritus humani, superbia vitæ offuscavit intellectum animæ, ita ut per hanc offuscationem se anima imaginem tuam, Deus, esse non intelligens, statuat se in exemplar, cui conformare vult actiones suas, et hic est amor proprius ipsa essentia superbiæ vitæ, quæ tam profundas egit radices in natura hominis ab instituto creationis suæ tam miserande lapsæ. Hæc posteritati Adam per peccatum communicata superbia nascitur cum homine, coeretur per gratiam tuam, Deus, in nova creatura, sed numquam de toto extinguitur durante vita mortali. Unde apparet, quam sit inseparabilis a me homo vetus, cuius spiritus est hæc superbia vitæ, et hujus essentia est amor proprius, objectum autem seu finis est in veritate quæsita gloria, denique veritas, bonum et utile propter se. Non est ergo depravata anima in eo, quod verum et bonum non quærat (ad hæc enim semper tendit intellectus), sed in eo, quod lumine suo naturali verum bonum suum et veram gloriam suam intelligere, diligere [105v:] et diligendo querere ne sciat. Hinc omnis naturalis notio de Deo sterilis est; valde distinctum est enim noscere te Deum qua Deum, noscere te Deum qua summum bonum et querere te Deum qua talem. Prima notio est insita naturæ, secunda notio est effectus fidei sterilis, tertia notio est opus dilectionis, et est verus spiritus novæ creaturæ in verum finem et in veram gloriam suam tendentis. Dico 'spiritus', quia tunc anima animam animans tu, Deus, es qua charitas, et hæc est habitualis charitas, gratia sanctificans et hominem ad quærendum agnatum summum bonum trahens.

Ecce, Domine, denuo repetendum<sup>b</sup> esset mihi, quæ jam protuli, si de hac volutuosa charitatis tractione amplius scribere vellem, et si statui meo conveniret pro aliorum instructione scribere de hac materia. Sentio, quod primas veritates meditationis hujus fusius tractare oportuisset, ubi nimirum de facultatibus animæ et de artibus intellectus rettuli cogitationes meas. Quamvis enim nihil novi protulisse credam, nescio, num pro debilitate ingenii mei adaptatas elocutiones [106r:] meas sat claras reddiderim, quia denuo agnoscere debo, quod de artibus loquar non artifex. Sed consolor, quia tibi loquor, Domine, qui de his noscis sensus meos internos, et ideo sufficit mihi meditando noscere memet ipsum, esse nimirum me imaginem

<sup>a</sup> Sic!

<sup>b</sup> Repetendum..., quæ (!)

tuam et te esse veram gloriam et omne bonum et utile animæ meæ. Fac proinde, ut hunc finem meum quærrens in terris te reperiam in æternis habitaculis.

MEDITATIO 6  
DE SENSIBUS ANIMÆ

Sat multis sæculis discussa est veritas animam respiciens, et tandem dilucidata est. Hinc animam creaturam esse pure spiritualem communis doctrina Ecclesiæ docet. Sed quo certius innotuit hæc veritas, eo obscurior facta est notio, quam homo habere potest de animæ essentia, quia spiritum sub proprietatibus aeris, habitus concipit invisibilem, indivisibilem, impalpabilem, nullam quantitatatem habentem, huic tamen creaturæ qua tali attribuimus facultates et actus intellectuales, quos reales esse ex effectibus evidenter agnoscimus. [106<sup>v</sup>:] Anima mea actu cogitat hæc de se, nec tamen se noscit, donec mortali corpore coartatur, quia a prototypo suo elongata nec illi uniri potest perfecte nec se videre in illo, unius enim<sup>a</sup> naturæ est tecum, Deus, qua spiritus; proinde sicut jam dixi, si se nosceret, te quoque cognosceret. Jam autem tumet revelasti, Domine, quod homo vivens te videre non possit.<sup>1</sup> Sufficiat ergo mihi existentiam animæ meæ ex effectibus evidenter scire! Quod in ceteris capere nequeo, fides supplere debet, cuius si limites excederem, evanescerem in adinventionibus meis.

Raptus fuerat Paulus in tertium cælum ipsem et ignorans, an in corpore, an sine corpore, in spiritu,<sup>2</sup> et vidit, quæ enarrare homini non licet,<sup>3</sup> et ego credo, quod hic apostolus verbo licet, pro potest usus fuerit, quia concludit, quod nec in cor hominis umquam descenderint illa,<sup>4</sup> quæ vidiisse refert. Problematica est quæstio, num anima e corpore rapi et illi restitui possit, et hoc ipsum non capio, quod homines, qui Lazarum per virtutem tuam, Domine, resuscitatum fuisse<sup>5</sup> firmiter credunt, de hac materia disputent. Ignoro ego scientiam, quæ negativam tenet scientiam, et meam [107<sup>r</sup>:] scientiam potius simplicitate fidei omnipotentiæ tuæ fulciam quam physicis argumentis. His itaque, quæ hactenus rettuli, consideratis insanum foret in creatura pure intellectuali alios sensus imaginari, quam ipsummet intellectum. Sed animam sub dupli consideratione respicio. Longe differenti modo intelligit anima a corpore soluta, quam intelligat anima corpore coartata, in quantum limitibus sui corporis circumsæpta est. Extra corpus habet illam activitatem, ut ubique omnia in instanti intuitive intelligat et in hoc sensu videat in te, Deo, quæ ipsi communicare vis, Domine. Sed anima in corpore existens successive intelligit, et actus intellectus secundum differentes notiones exercet ex ratione coartationis suæ in corpore. Et has differentes notiones et actus intellectuales dicam ego sensus esse animæ corpus in vita mortali informantis. Omnia objecta, circa quæ intellectus versari potest, restringuntur ad

<sup>a</sup> Correxit *en- ex est-*

<sup>1</sup> Cf. Ex. 33,20.

<sup>2</sup> Cf. 2 Cor. 12,2.

<sup>3</sup> Cf. 2 Cor. 12,4.

<sup>4</sup> Cf. 1 Cor. 2,9.

<sup>5</sup> Cf. Ioan. 11,1 sqq.

objectum veritatis vel increatæ seu supernaturalis, vel creatæ seu naturalis. Loquor de objecto intellectus ab omni sensualitate animali abstracto, uti sunt scientiæ vel virtutes morales; in his enim et illis exercentur actus potissimum intellectuales, nam in [107<sup>v</sup>:] actionibus vitæ communibus concurrunt sensualitates. Loquor, inquam, de illis, quæ speculativa dicuntur, in quibus potissimum apparent sensus animæ, quomodo videat, audiat, odoretur, palpet, gustet et nutriatur veritate.

Jam enim in præcedentibus dixi, quod creata veritas seu, in late patenti sensu, omnes creaturæ existentes sint veritates, si per illas anima tamquam per scalas ascendat ad te, Domine, utens illis in verum finem seu in gloriam tuam. Sed hæc ipsa creata veritas fit respectu hominis vanitas et falsitas, si per superbiam vitæ abutens illis convertat illas in objecta amoris proprii et in gloriam suam. Fit vanitas, quia omnia transeunt et moriens homo nihil de illis retinet. Fit falsitas, quia creaturæ hominem a vero fine et gloria sua deviare faciunt, hæc tamen veritas creata utroque modo considerata erit objectum intellectus seu illuminati seu illusi. Anima itaque vel audit vocem veritatis ad te, Deum per repræsentationem veritatum supernaturalium (quæ sunt objecta fidei) vocantis, vel audit vocem veritatis animam per creature ad te, Deum vocantis, et hæc sunt objecta scientiarum, quæ versantur circa [108<sup>r</sup>:] objecta naturalia, vel audit vocem veritatis simpliciter ad se vocantis ex incitamento sciendi, ex amore vanæ gloriæ, et hæc est vanitas propria veteri homini; vanitas respectu sui seu gloriæ, quam quærerit, sed semper veritas creata respectu objecti, nam omnes scientiæ habent veritatem pro objecto.

Audit ergo anima vocem veritatis, dum tangitur desiderio veritatis vel supernaturalis vel naturalis, sed prout auris animalis sonos in aere productos diversimode recipit et aliis commoventur, aliis sedantur animales spiritus, in hac ipsa dispositio-ne est anima respectu veritatum, quæ repræsentantur intellectui. Dum ergo vocem veritatis gratarter audit, sæpe etiam suaves exhalationes veritatis adorat, et hi sunt odores, quos exhalant ingeniosæ magis quam solide tractatæ veritates, quia sicut odores nullum nutrimentum dant corpori, spiritus tamen acuunt et cerebrum pur-gant, ita etiam partus ingenii allicant, excitant, acuunt intellectum. Tandem intellectus veritatem quærens tangit illam, dum rerum causas penetrat. Intuetur veritatem, dum de illis, circa quæ versatur, certitudinem moralem habet et convincitur, et [108<sup>v</sup>:] posteaquam intellectus objectum veritatis intuitive videt, proponit voluntati sicut escam, et delectanter masticatur per meditationes, suaviter deglutitur, dum in repositoriū memoriarū conditū, et sic per frequentes repræsentationes ejusdem memoriæ digesta veritas convertitur in nutrimentum, dum anima taliter cognitæ veritati se conformat.

Hi sunt sensus animæ corpus informantis, qui perficiuntur et longe subtiliores erunt in glorificatis corporibus, prout jam in meditatione de glorificatione novæ creaturæ rettuli. Restaret adhuc considerare mihi sensus animæ per justa judicia tua, Deus, ad pœnas inferni damnatæ; pœnam enim damni tamquam omnium tormentorum maximam secundum debilitatem intellectus mei te adjuvante concipio, et si te ferventer diligendo cognoscerem, hanc pœnam adhuc melius agnoscerem. Concipio, inquam, vermem illum rodentem seu conscientiam indesinenter accusantem, et salem, qui hos remorsus incessanter stimulabit et acuet. Hi sunt enim dolores et cruciatus creaturæ intellectuali appropriati, sed pœnam sensuum per ignem ante

resurrectionem corporum fateor, quod non concipiā, quamvis Ecclesia [109<sup>r</sup>:]<sup>a</sup> sic docente credam, cuius doctrinā si contrarium non foret, dicerem cum illis, qui statuant dæmones nonnisi post extremum judicii diem tortum iri per ignem, quod etiam animæ dæmnatorum tunc tantummodo sentient pœnas sensuum, dum in corporibus suis resurgentēs per horrendam illam vocem; Ite, maledicti, in ignem æternū, qui præparatus est diabolo et angelis ejus,<sup>1</sup> condemnabuntur.

Sed, o Domine, tu vides in corde meo, quod his, quæ profero, nonnisi in tantum adhæreo, in quantum permīssum est de his loqui et credere. Parvi penderem, si cogitationes meæ tantum illis contrariarentur, qui animas ita coartari dicunt in inferno, sicut halleces in vasculis, qui dracones, bufones et serpentes et quid scio quæ<sup>b</sup> animalia depingunt in inferno. Hæ sunt enim imagines, quas sibi fingit animalis phantasia, nec sunt penitus rejiciendæ propter impressionem, quam faciunt in radioibus aut sensualibus hominibus; sed qui magis elevatas ideas possunt formare de creatura spirituali, prout est anima, facile penetrant substantiam, quæ quantitate caret, comprimi non posse, antequam resumat corpus, pro quo creata fuerat. Nam fors posset [109<sup>v</sup>:] dici, quod nonnisi ex ordine creationis possit limitari anima corpore, sed non aliis limitibus, quia in hunc finem est creata, ut corpus informans ita possit includi in illud, ut totum corpus impleat et extra illud nihil de anima remaneat. Hanc statuit differentiam mea debilitas inter spiritus intellectuales ministeriales et animam hominis, quod ceteri spiritus seu angelus seu diabolus possint totum corpus penetrare et penetrando movere, prout fit in obsessis ita, ut hi spiritus sint continentis et corpus sit contentum, sed non possunt includi vice versa ita in corpus, ut corpus sit continens, angelus autem aut diabolus sit contentum.

Sed fatebor meam ignorantiam, quod si quis me interrogaret, in quo consistat hæc differentia proprietatis, quod anima includi possit in corpus et ceteri spiritus includi nequeant, cum tamen hi et illa spiritus intellectuales sint et corporibus careant, ne scirem aliud dicere, nisi quia tibi, Deus, sic placuit creare animam pro informando corpore, ceteros spiritus autem pro ministerio tuo. Ex ipso ordine creationis et ex ipso revelato consilio tuo de creando homine ad imaginem et similitudinem tuam<sup>2</sup> elicio ego hanc opinionem, quia hæ duæ: imaginis et similitudinis [110<sup>r</sup>:] proprietates animæ et corpori annexæ fuerant, et ideo ex consequenti totius hominis, id est, animæ et corporis glorificatio subsequi debuit, quia hæ duæ substantiæ, anima nimirum et corpus, una pro altera ita fuerunt creata, ut illarum unio repræsentaret imaginem et similitudinem Creatoris. Ad hoc fuit itaque determinata anima secundum ordinem creationis suæ, spiritus autem angelici ex eodem ordine fuerunt determinati ad ministerium; homo est creatus ad dominandum super creaturas, ut qua creatura intellectualis respectu animæ esset imago, qua dominus creaturarum et dominator super illas esset similitudo tua, Deus. Hinc homo in glorificatione erit coheres et condominus Filii Dei,<sup>3</sup> per hanc ipsam regnandi gloriā distinctus a creaturis ministerialibus, prout hæc jam memini rettulisse in præcedentibus de glorificatione creaturæ novæ meditans.

<sup>a</sup> Supra in margine sinistro: X

<sup>b</sup> Quid scio quid [nota fortasse Hungarismum: mit tudom, miſéle]

<sup>1</sup> Cf. Matth. 25,41.

<sup>2</sup> Cf. Gen. 1,26.

<sup>3</sup> Cf. Rom. 8,17.

Dixi superius angelum et diabolum penetrare posse corpus hominis et sic movere, sed hanc penetrationem absit a me intelligere, ut angelus aut diabolus possit penetrare etiam animam. Hæc enim facultas soli Creatori reservata est, et prout homo hominem nequit penetrare, ita nec [110<sup>v</sup>:] spiritus potest penetrare spiritum. Non revelasti, Domine, ceteras prærogativas, quas dare potuisti animæ ad regnandum creatæ, communis tamen est opinio, quod nec beata anima annumeretur angelis nec ex damnata fiat diabolus. Credimus etiam quemlibet hominem suum habere angelum custodem, et hæc omnia manifestant excellentiam animæ, quæ quamvis spiritus sit, multis tamen proprietatibus distingui potest a spiritibus ministerialibus. Sed de his distinctis proprietatibus disserere non præsumo, quia essentiam spiritus non capio. In tam miro ordine disposuisti creatæ, Domine, ut nonnisi superior creatura intelligat inferiorem; unde spirituales creaturæ intelligunt corporales tamquam sibi inferiores, et quia inter te et animam nulla excellentior creatura intercedit, ideo animam tu solus nosti, et propterea nec angelo nec diabolo notæ sunt cogitationes hominis.

Vellem, o Domine, me reddere intelligibilem mihi met ipsi in illis, quæ rettuli, quomo modi anima, quæ quantitatem non habet, ita possit includi et limitari in corpore, ut extra corpus non sit, sed hoc ipsum est, quod homo [111<sup>r</sup>:] capere non potest ex ratione jam dicta, quia anima semet ipsa superior esset, si se ipsam capere posset. Dum autem tecum unita fuerit, te noscendo se noscet, quia se videbit in te et hinc dilatabitur et affluet, et quod a te habebit, corpori suo gloriose communicabit, quod pariter cum anima in te erit in æternum. Hæc ipsa beatitudo animæ tecum unitæ repræsentat mihi infelicitatem animæ extra corpus a te separatæ. Hæc separatio autem vel est temporalis vel æterna, et quia anima a sensibus corporeis libera longe clariorem cognitionem habet tui, Deus, videt te, sed non illa visione unitiva, ut anima in te, Deus, existens te videat, (hæc est enim visio, quæ beatifica dicitur), sed videt te, Domine, separata a te per cognitionem divinitatis longe clariorem, cognitionem quam habere potuit in hac vita. Anima, quæ purificandi causa a te separatur, quo majorem habet certitudinem salutis, eo ardenter inflammatur desiderio salutis, eo acerbius affligitur de delictis, quorum causa ab unione tua, Domine, separata tenetur.

Non satis vivaciter concipit homo, quid sit ferventer amare, quid sit sua propria culpa a [111<sup>v</sup>:] fruitione summi boni separatum esse, hinc fингit sibi pœnas in purgatorio, quas animalis phantasia acerbiores esse imaginatur pœna elongationis a fruitione amati objecti. Quodsi tamen attente considerat, quid sit aliquid ferventer desiderare ex plurimis, etiam viventium hominum exemplis concipere potest, quod privatio fruitionis objecti desiderati sit maxima pœna etiam in hoc mundo, quæ primo tædium parit et hoc tædium ipsa (ut ita dicam) momenta in horas, horas in dies, dies in annos extendit; hinc continua tristitia, quæ medullas ossium hominis viventis exsiccat, et crescente desiderio crescit etiam tormentum. Addit huic incrementum in anima extra corpus patiente vermis conscientiæ, qui rodit, dum privationem objecti amati propria culpa accidisse repræsentat.

Superest consolatoria spes, sed hæc ipsa, prout dixi, per repræsentationem boni, quo se anima fruitur sperat, desiderium, hoc autem tædium auget, et hic est devorans ignis purgatorii, qui animam longe plus cruciat, quam cruciatus, quos nobis repræsentat pictorum phantasia in imaginibus, [112<sup>r</sup>:] quæ pro horrore impriendo carnalibus et simplicibus hominibus suam utilitatem habent. Sed quid dicam, Domine, de objectis justitiæ tuæ æternæ, quæ sunt animæ damnatae et ministris justitiæ tuæ ad cruciandum traditæ? Prout enim gloria, quam destinasti electis, in-

comprehensibilis et inenarrabilis est, ita illi oppositum statum damnationis et reprobationis intellectus meus adæquate concipere nequit. Animæ damnatæ proprietas est superbia vitæ, propter quam damnationem promerita est. Quo igitur plus noscit excellentiam suam, eo intolerabilius est illi potestati absolutæ dæmonum subjici. Huic dolori succedit ira et odium status sui infinitum, quod se extendit in ipsam justitiam tuam, Deus. Inter hæc repræsentatur æternitas pœnæ absque omni spe alleviationis, his jungitur invidia status illorum, qui in glorificationem transierunt, et hæc cumulantur repræsentatione bonorum, quæ amisit.<sup>a</sup> Ammissionis causas repræsentat conscientia semper rodens et anxians, et has omnes pœnas continue auget millenis et indicibilibus modis dæmonum malitia et illorum incomprehensibilis [112<sup>v</sup>:] crudelitas.

Hæc sunt, quæ respiciunt pœnam damni et sensuum animæ, qui in anima extra corpus constituta in sola potentia intellectuali consistunt. Hæ pœnæ augebuntur per sensus corporis post postremam sententiam in die judicii pronuntiandam. Quidquid igitur interea quoque repræsentat futurum animabus damnatis, semper horribilis et horribilis est, et certitudo illorum auget dolores de præsenti. Quidquid impurum est in natura, dissolutis elementis in abyssum illam inferni præcipitabitur, hinc ex materia incombustibili et semper ardente nec umquam purificabili ignis æternus et lacus sulphurei, et hæc sunt, quæ in decretis tuis, Domine, ab æterno præparata sunt diabolo et angelis ejus. Ex hac congestione omnis impunitatis, quæcumque reperitur in natura et præcipitatione illius, in unum fixum quamvis nobis immensum locum facile quis potest sibi imaginari monstra et fœdissima homines torquentia animalia. Certum est enim, quod omnia ibi erunt materialia, ita ut ex corruptione in æternum generetur corruptio et ex abominabili nascatur abominabile. Unde [113<sup>r</sup>:] fetores et quidquid naturæ etiam corporeæ in horrendo horrendissimum esse potest. Hanc materiam incorruptibilem et æternam repræsentat mihi chaos et tenebræ, quas Scriptura in creatione super faciem abyssi fuisse<sup>1</sup> tradit. Hæc fuit materia, ex qua educta sunt omnia materialia. Hinc antequam creaturas et animalia educi jussisses, Domine, dixisti: Fiat lux, et facta est lux,<sup>2</sup> quam separasti a tenebris<sup>3</sup> et ex hac consideratione lucis post materiam tenebrarum creatæ concipio hanc lucem esse in materiam longe spiritualiorem ceteris creatis et esse vitam mundi corporei. Ex materia igitur lucis, quæ pura est, et ex materia, ut ita dicam, impura tenebrarum in admiranda mensura sapientiæ tuæ mixta et temperata educta sunt primorum trium dierum opera elementa, et posteaquam lux et tenebræ secundum proportionem naturæ uniuscujusque elementi mixta<sup>b</sup> fuissent, contraxit sapientia tua omnem residuam lucis materiam et fixit in solidum corpus luminarium cæli, sed præcipue solis, ut per radios hujus et illorum communicaretur lux et activitas elementis ad producenda illa, quæ jusseras.

Ex his concipit mea [113<sup>v</sup>:] debilitas, Domine, quod post dissolutionem futuram machinæ universi solis quoque, astrorum et cælorum ex lucis materia tamquam pura formabit omnipotentia tua cælum novum et terram novam<sup>4</sup> et nova omnia,<sup>5</sup> et ex

<sup>a</sup> Correxit -it ex ?, postea rasura nonnullarum litterarum

<sup>b</sup> Sic!

<sup>1</sup> Cf. Gen. 1,2.

<sup>2</sup> Cf. Gen. 1,3.

<sup>3</sup> Cf. Gen. 1,4.

<sup>4</sup> Cf. Apoc. 21,1.

<sup>5</sup> Cf. Apoc. 21,5.

impura crassaque tenebrarum materia in chaos redacta formabitur infernus, quem taliter respiciendo concipio materiam illam per agitationem et collisionem producturam ignem urentem sine luce seu calorem activissimum et penetrantissimum inter spississimas<sup>a</sup> tenebras. Sed si quis supradicta monstra et horribilia animalia sibi imaginari voluerit, oportet, ut aliqualem lucem admittat, ut possint videri, et materiam illam impuram in diversos gradus motus distribuat, ut taliter reddatur capax formare monstra ex corruptione. Sed ego non permittam in hæc divagari phantasiam meam, simplicius est enim dicere materiam illam impuram tenebrarum ex tam heterogeneis partibus constare, ut nulla inter partes possit fieri junctio et coalescentia, sicut ex tenebris nihil fuisset factum præter chaos, si per materiam lucis spiritualem, homogeneam et flexilem heterogeneæ partes tenebrarum [114r:] quodammodo conexæ et conglutinatae non fuissent in formas corporum. Hinc sequetur enim, quod partes illæ materiae tenebrarum per continuum motum et violentas collisiones diversis semperque novis ac acutissimis doloribus affligerunt<sup>b</sup> damnatos homines, quorum materialia corpora per hunc motum præservabuntur ab omni corruptione continuis subjecta tormentis.

Concipio itaque infernum cum diabolis ac damnatis universis absque omni<sup>c</sup> quiete in omni imaginationem transcendentem confusione circumagi per motum turbinis materiae tenebrarum æternum. Hoc motu calefacta, uti dixi, materia aget in corporeos sensus et ipse motus sua vehementia acutissimus uret ipsosmet diabolos, qui tamquam spirituales creaturæ libere divagabuntur inter partes materiae, et disponent illas secundum diversas proprietates heterogeneitatis in novos et novos cruciatus corporum, dum animæ pœnis supra recensisit damni torquebuntur in æternum. Et ille ipse motus (quem dixi penetrabilitate sua acturum in diabolos) penetrabit et animas in corporibus. Nihil est, Domine, quod mihi repræsentari [114v:] potest his, quæ dico, horribilis et Scripturarum sensui conformius, nec quid magis oppositum esse potest statui gloriæ, quem præparabis ex spirituali materia lucis glorificandis corporibus.

Et præter hæc, quæ rettuli, quanta est, Domine, oppositio inter statum illorum, qui regnabunt cum Christo, et illorum, qui in æternam servitutem et captivitatem turbinis tenebrarum subjicientur diabolo. Noscat hunc statum in excellentia sua superbens anima, et quidquid in hac vita hominum superbissimus in humiliatione sentire potest, anima damnata in infinitum multiplicato et aucto dolore sentiet. Horribilia sunt, Domine, quæ cogito, et de his mihi repræsento, sed quæ descriptio aut cogitatio potest adæquare pœnas de damnatis vindictam sumentis justitiæ tuæ? Hæc sola idea sufficit ad concipiendum omnem tremorem et horrorem homini, qui te, Deum noscit et in te credit lumine gratiæ tuæ illustratus. Quoties ego hæc promeritus sum, Domine, et quoties promererি potero, si misericordia tua non custodiverit me a peccatis, quæ animam separant a te. Miserere, Domine, miserere mei per gratiam tuam adhuc plus offensam tuam, quam has ipsas, quas rettuli, pœnas timentis!

<sup>a</sup> Correxit *spississimas* ex *spissimas* [-ssi- supra lineam]

<sup>b</sup> Correxit *affligerunt* ex *affligendo* (?) [-do in rasura]

<sup>c</sup> Recte: *omnem*?

[115<sup>r</sup>:] MEDITATIO 7<sup>a</sup>.  
DE PASSIONIBUS VETERIS HOMINIS

Passio a patiendo sumit suam etymologiam, sed ego sumo passionem in illo sensu, in quo homo non semper patitur ingrate, sed in quantum subjectus est motui vehementi, a quo sæpe invite movetur et ad agendum impellitur. Homo ex anima et corpore constitutus ex ordine creationis præter motum vitalem habuit et alium motum impressum sibi, et hic est motus voluntatis, prout jam in præcedentibus hoc perfunctorie connotavi. Nam sicut finis operum Dei est gloria sua, ita imagini Dei conveniebat habere motum, quo moveretur voluntas ejus ad quærarendam gloriam, sed non suam, sed prototypi sui. Hic motus fuit animæ proprius, et in statu innocentiae secundum ordinem Creatoris libertati voluntatis<sup>a</sup> suæ subjectus, et seu illum vocemus desiderium seu amorem gloriæ, idem dicemus; sed ego hunc ipsum motum non distingo ab illo, qui in homine cupiditas vocatur, prout hoc jam rettulisse memini. Hæc cupiditas pro gloria prototypi sui agendi fuit [115<sup>v</sup>:] passio seu motus conveniens animæ tamquam imagini Dei, et secundum hunc motum oportuisset dirigere omnes suggestiones sensualitatis suæ, sed postquam primus homo plus obediuit voci mulieris, quam voci Dei, faciendo, quod sensualitas suggestit, anima, quia idem cum sensualitate cupivit, concupivit, et<sup>b</sup> hæc concupiscentia facta est proprietas spiritus humani, quem spiritum veteris hominis esse dixi. Cupiditas itaque est passio seu motus animæ independenter a sensualitate consideratæ, concupiscentia est passio et motus animæ cum sensibus concupientis seu ex dictamine sensuum agentis.

Ex his appareat has passiones esse naturales homini, nec esse malas per se, quamvis plerumque pro peccaminosis sumantur, et concupiscentia in sensu Apostoli<sup>1</sup> potest sumi pro peccato, in quantum anima ex pura complacentia sensuum concupiscit. Hic actus enim est animalis et carnalis propriam delectationem habens pro fine suo, sed secundum essentiam suam considerata concupiscentia profecto non est nisi fomes et causa peccati, non peccatum. Hi duo [116<sup>r</sup>:] motus seu passiones, cupiditas nimirum et concupiscentia sunt duo fontes omnium passionum humanarum. Cupiditas facultates animæ movet, sed ad concupiscendum secundum diversa organa sensuum anima movet et movetur, et dum consentit, concupiscit, quia simul cum sensibus cupidus.

Ecce, Domine, hæc considerans statuo me coram te, Creatore et prototypo meo. Agnosco ex his habere me cupiditatem gloriæ ex natura, sed cupiditatem veræ gloriæ a te dari ex gratia renovatæ creaturæ, habere autem ex me concupiscentiam, in quantum illi non ex ordine creationis, sed ex turbato<sup>c</sup> ordine naturæ lapsæ subjectus sum. Agnovi, Domine, jam in præcedentibus meditationibus meis hanc insitam cupiditatem gloriæ degenerasse in criminosaam superbiam vitæ, cuius essentia est amor ille proprius, qui se statuit in finem actionum suarum, et ex hujus cupiditatis vitiosæ motibus nascitur ira, invidia; dum autem in superbia se quærrens anima negligit, quæ tua sunt, est homo in acedia.

<sup>a</sup> Supplevit voluntatis supra lineam, partim in margine

<sup>b</sup> Supplevit et in margine

<sup>c</sup> Turbato partim in rasura, partim in margine

<sup>1</sup> Cf. Rom. 7,8 sim.

Concupiscentiæ autem fructus sunt [116<sup>v</sup>:] luxuria, gula; avaritia vero est amoris proprii proprietas, et in sensu illo, in quo se amans in omnibus respicit, quærerit excluso te, Deo et proximo, dicente Apostolo vera idolatria est.<sup>1</sup> Concupiscentia repartita est in ramos potentiarum concupisibilis et irascibilis, unde pullulant ramuscum tam differentium passionum, quæ pathemata animi vocantur. Horum illa, quæ homo cum brutis communia habet, a concupiscentia nascuntur, quæ autem actum animæ respiciunt, in his pathematibus a cupiditate causantur. Hæc enim ipsa cupiditas gloriæ habens pro objecto verum, bonum et utile,<sup>a</sup> quidquid his contrarium aut oppositum est, objectum aversionis ejus est. Gloriæ objectum non semper coniunctum est delectationi sensuum, quinimmo sæpe est illi oppositum; et tunc anima cupet, sed quæ sensibus contraria sunt, non concupit. Hinc apparet, quod numquam possit consummari concupiscentia sine cupiditate, quia animalitas sine concursu et consensu animæ agere non potest, sed quod dari possit actus cupiditatis sine concupiscentia, quia anima absque sensualitatibus potest producere [117<sup>r</sup>:] actus intellectus cupiditatis.

Sed quæso te, Domine, redde me mihi met ipsi intelligibilem per agnitionem interiorum meorum; oportet enim, ut ad verificandas has propositiones intelligam, quid comprehendatur sub nomine gloriæ; hoc autem non possum cognoscere nisi in te, qui fons es omnis gloriæ. Considero itaque gloriam tuam aliam esse a temet ipso, et hæc gloria tibi soli competit, quia a temet ipso es, per te es et in te es, et ideo es, qui es, et hanc gloriam tuam vellet imitari abominabilis superbia vitæ veteris hominis. Alia est quodammodo gloria tua ex operibus tuis, quia omnia bona sunt, quæ fecisti<sup>2</sup> et quæ facis. Hujus gloriæ cupiditatem habet sibi insitam imago tua, et hanc quærerit tota vita sua mortali. Dum imago tua testimonium operum suorum a semet ipsa quærerit, gloriam a se quærens mendacium repperit. Dum testimonium ab hominibus quærerit, num opera sua sint bona, vanitatem sectatur, quia recipit mercedem, et merces et opera, in quantum vana, id est ipsi inutilia fuerunt, pro homine bona non fuerunt, etiamsi hominibus bona apparuissent. [117<sup>v</sup>:] Dum autem imago a prototypo suo quærerit testimonium operum suorum, veram gloriam quærerit, quia illi vult esse conformis; quoquo autem modo hæc quærat, quærendo cupit, et quid cupit? Gloriam, quam quærerit. Dixi, Domine, superbiæ vitæ et depravatæ naturæ effectum esse gloriam a se quærere, et hoc faciunt homines, qui non curant tua, Deus, mandata, et quidquid homines dicant, dummodo sibi ipsis, quod faciunt, placeat, jam bonum, jam gloriosum esse statuunt, et sunt abominabiles coram te, Domine, et ipsis hominibus fiunt intolerabiles, quia sunt monstra amoris proprii.

Dum ergo hæc taliter considero, non reperi am hominem, qui gloriam non cupiat tamquam bonum, et qui bonum non cupiat tamquam gloriam. Non loquor hic de me tantum, Domine, totum enim hoc opus confessionum mearum demonstrat hanc veritatem, quam refero, quod nimur tota vita mea vel ex me vel ab hominibus vel te miserente a te cupiens quæsiverim gloriam tamquam bonum. Sic operatur cupiditas in omni homine vivente, et in quibus cupiditas in concupiscentiam depravatur, glo-

<sup>a</sup> *Hæc... habens... utile* [nota fortasse Gallicismum, gérondif!]

<sup>1</sup> Cf. I Cor. 6,7–10; 8,1–7; 10,1–33.

<sup>2</sup> Cf. Gen. 1,31.

riam et bonum [118<sup>r</sup>:] in sensualitatibus quærunt, et hi sunt, qui reprobo sensui traduntur. Jam dum hæc denuo rumino, quæ passio et quod pathema animi erit, quæ a cupiditate aut a concupiscentia non trahit originem? Jam autem cupiditas radix,<sup>1</sup> concupiscentia fomes omnis mali facta sunt per naturam in veteri homine, hæc autem et illa corriguntur per gratiam in nova creatura, sed tolli non possunt, quia sunt proprietates naturæ humanæ impressæ illi in bonum, sed per peccatum convertuntur in malum in illis, qui his proprietatibus non utuntur in finem, in quem datae sunt, ut nimirum cupientes quæramus gloriam, quæ a te est, Deus. Dum per gratiam illuminatur intellectus, convertitur cupiditas ad hanc gloriam, et per cupiditatem hujus gloriæ trahitur voluntas novæ creaturæ, sed veteris hominis offuscatus intellectus trahitur a cupiditate vanæ gloriæ, et hanc pariter sequitur tracta voluntas semper libere, et sic ego semper vel tuæ gratiæ cooperor vel miserande per se operatur hæc cupiditas, quæ est in me, ita ut bonum meum, veram gloriam meam, illam nimirum, ut ego imago fiam tibi, prototypo similis in gloria, [118<sup>v</sup>:] operer tecum et per te, falsam gloriam autem operer mecum et per me, et sic agens maneo mihi met ipsi similis, imago sine gloria.

MEDITATIO 8<sup>a</sup>.  
DE CONDUCTU VITÆ VETERIS HOMINIS

Ecce me, Domine, coram abyso mea propria, quam te adjuvante metiri aggressus sum, et hactenus tantum exteriora ejus, ambitum nempe et circumferentiam dimensus dum ad conductum vitæ veteris hominis meditandum accedo, hujus abyssi profunditatem scrutari aggredior. Dum intellectus gratia tua illustratus considerat dignitatem hominis, excellentiam animæ et extensionem facultatum ejus, tunc primum videt spissitatem tenebrarum, quas recessus primi hominis a te, Deus, induxit super intellectum et cæcitatem animæ, in qua ambulat homo vetus in diebus peregrinationis suæ super terram. Quodsi enim homo etiam per gratiam tuam illuminatus te, prototypon suum nonnisi in ænigmate potest videre,<sup>2</sup> donec vivit, quid videt non illuminatus, nisi quod videre potest in [119<sup>r</sup>:] animalitatis tenebris propemodum sepultus intellectus, cui dominantur potentiaæ animales, quas homo communes habet cum brutis? Interrogo: quid videt? Nam etiamsi ex naturali notione intellectus te existere ipsa natura clamante et magnalia tua prædicante cognoscere possit, hæc sterilis cognitio non est lumen, quod tenebras ejus dissipare possit, quia te existere noscet, se et interiora sua ignorabit.

Jam enim rettuli tot philosophos, quondam sapientes mundi appellatos cognovisse te hac cognitione sterili, sed quia se non cognoverunt, in ipsa notione tua superbierunt et evanuerunt in adinventionibus suis. Sed quid dico, Domine, quod se non cognoverint, cum tam præclara opera conscripserint de anima, de vita morali et de ipsa natura? Ita est, Domine, hæc omnia præstiterunt, quia tamen te nonnisi lumine naturæ cognoverunt, nec se aliter noscere potuerunt. Quis potest enim dicere imaginem aliquam exemplari suo similem esse, qui exemplar nonnisi e longinquo respicit

<sup>1</sup> Cf. 1 Tim. 6,10.

<sup>2</sup> Cf. 1 Cor. 13,12.

aut in tenebris [119<sup>v</sup>:] nonnisi confusos ejus tractus videt. Ut igitur se noscat homo, imago tua, debet te noscere, prototypon suum, ut autem te noscat, debet et se noscere.

Redde mihi, Domine, sensibilem hanc veritatem ex conductu vitae veteris hominis; postquam enim Adam peccasset, quam brevi post peccatum tempore secundum mensuram, in qua in cognitione tua defecit, omnis caro corrupti viam suam,<sup>1</sup> et ut genus humanum ad cognitionem tui efficaciter reduceres, opus tuum per publicationem legis inchoasti in populo, quam tibi elegeras, ut legis transgressiones docerent homines se noscere et prævaricationum frequentia faceret te quærere. Sed quid fecerit in carnali illo populo naturæ vetustas, historia ejus nos docet. Homo per peccatum despurcans imaginem tuam in se sibimet ipsi factus est dissimilis, quia imago tua permansit in illo respectu animæ, sed non permansit spiritus tuus in homine, quia caro factus fuit et in hoc sibimet ipsi dissimilem fecit se.

Hinc opus habuit exemplari novo, cui se conformare disceret, ut conformis factus exemplari suo novo [120<sup>r</sup>:] in conformitate ejus conformis fieret tibi, Deus. Et ideo Verbum caro factum est,<sup>2</sup> ut per similitudinem carnis fieret conforme homini et per conformitatem Verbi homo fieret conformis Verbo et in illo tibi, Domine. Oportuit mihi referre adorandum conductum tuum respectu veteris hominis, antequam descendenter in profundum abyssi conductus vitaे veteris hominis, quia per hanc misericordem operationem tuam in homine factum est, ut ego noscerem clarius te, ut melius cognoscerem me. Nisi ergo lumen gratiæ tuæ illuminaverit me, in abyssum veteris naturæ meæ descendere non potero, quia nihil videbo in illa.

Nihil videtur mihi admiratione dignum in infidelibus, qui non neverunt mysteria bonitatis tuæ, Deus, erga hominem, quia hæc ignorantes parum noscunt te, et propterea nequeunt noscere se, et ideo sequuntur prudentiam carnis, quæ regulat externas actiones illorum, sed interna sua ordinare nesciunt. Hinc in omnibus se solos aestimantes omnes ceteros homines contemnunt et sibi inferiores esse autumant. Et hic spiritus [120<sup>v</sup>:] superbiæ demonstrat mihi vetustatem naturæ in illis. Quamvis igitur composito vultu et moribus modesti, quamvis sobrii, quamvis misericordes videantur, superbia, avaritia, invidia regnat in ipsis, et nonnisi sepulchra dealbata sunt.<sup>3</sup>

Non miror, inquam, hos, sed mirabor populos, quibus lumen fidei largitus es et principia veræ religionis noscere dedisti, et inter hos mirabor memet ipsum, cui tot ac tantas gratias largitus es. Per hoc lumen tuum fidei nosco opera tua, nosco exemplar, cui me conformare jussisti, et per hoc eo clarius noscens te necdum tamen nosco me. Non loquor de his, qui lumine fidei obscurato ambulant in tenebris, in quibus animalis sensualitas captivas tenet facultates animæ; hi enim et externe et interne pejores sunt infidelibus, quia opera carnis effrene patrantes vivunt in vetustate peccati, sed respicio illos, qui in novitate vitaे ambulant, nec tamen veteres homines esse cessant. Obscurum est, quod dico, non tamen est contradictorium, dum quis considerat veterem hominem incepisse vivere in primo homine, nec moriturum nisi in ultimo homine in illo sensu, [121<sup>r</sup>:]<sup>4</sup> in quo sensibus alligatus in

<sup>4</sup> Supra, in margine sinistro: XI

<sup>1</sup> Cf. Gen. 6,12.

<sup>2</sup> Cf. Ioan. 1,14.

<sup>3</sup> Cf. Matth. 23,27.

corruptionem naturae, id est, in proclivitate ad malum vivit omnis homo. Dum ergo homo regeneratur, in novo spiritu vivere incipit, sed haec nova vita habet suas aetates, secundum quas considerandus est conductus vitae veteris hominis, qui inimicus est novi et insidiatur huic, ita ut saepe hunc in infantia suffocet, saepe in statu virili enervet, saepe in proiecta aetate occidat, cespitare autem et cadere omni propemodum hora facit.

Ecce, vorago abyssi, quam considero, prout enim navis voragine abrepta torqueatur in gyrum, donec artatis circulis ducatur ad patulum voraginis centrum et tunc gurgite absorbetur, ita et vetus homo novum hominem circumagit. Appropriata videatur mihi haec voraginis similitudo, nam sicut circularis motus ab uno puncto incipiens reddit ad illud ipsum punctum, sic solent<sup>a</sup> fieri actiones veteris hominis, quae incipiunt ab amore proprio et ad illum redeunt. Non loquor amplius de illa abominabili superbia vitae, quae ex deliberata malitia taliter dirigit actiones suas; illa enim est [121v:] incompatibilis cum novitate vitae. Non repeto, quae jam de motu illo vehementi cupiditatis vanae gloriæ et concupiscentiae sensualitatum rettuli; hi postremi enim sunt motus hominis animalis cum novitate vitae pariter incompatibilis, sed recognoscit sensibiles illos et subtilissimos amoris proprii motus, qui circumagunt hominem, quos observare primo ignoramus, saepe contemnimus, saepissime negligimus, et sic foveamus vitam veteris hominis in nobis.

Dixi, Domine, et vere se sic habet, quod homo per peccatum imaginem tuam non amiserit, sed in concupiscentia agens sibi metuens ipsi dissimilis factus fuerit. Hinc ut reparare possit in se hanc similitudinem, quam amiserat (siquidem prototypum suum, te, Deum videre non potuit), proposuit misericors bonitas tua homini prototypum novi<sup>b</sup> hominis in Christo seu in Verbo carne facto,<sup>l</sup> cui se conformem reddere debet, ut in illo tibi, Deus, fiat similis. Postquam igitur homo hanc misericordiam tuam agnoscens vitam Christi meditari incipit et sua interiora respicit, inchoat se noscere, sed sicut rudes homines artis pictoriae ignari quamvis pessime depictam imaginem videant, [122r:] illam tamen exemplari suo conformem esse dicent, quia et oculos et nasum et os representat imago, sic etiam vetus homo, qui novitatem vitae ingreditur, quamprimum criminibus caret, se imagini Christi conformem esse putat, sed sicut ille rudis homo artis pictoriae ignarus, cum picturas videre assuescit, incipit considerare et examinare rudiiores tractus imaginis, quam antea prototypo conformem<sup>c</sup> esse putavit, et statim incipit observare, quod sit in plurimis dissimilis et partes vultus plane non conformes habeant, et sic quo saepius intuebitur imaginem et quo attentius considerabit eam, post partium vultus dissimilitudinem, lineamentorum defectus, dein colorum, dein lucis et umbranum ineptam applicationem et ex his causatas difformitates et dissimilitudines<sup>d</sup> observabit, ex quibus facile videbit, quanta fuit sua propria ignorantia et judicii error, dum imaginem tot defectibus plenam exemplari conformem esse putavit. Sic noscitur vetus homo, Domine, per examen et intuitionem continuam, sed hoc opus requirit, ut primo exacte quis noscat prototypum, cuius

<sup>a</sup> Correxit *solent ex solet* (?)

<sup>b</sup> Correxit *novi ex* ?

<sup>c</sup> Correxi *conformem ex conformem*

<sup>d</sup> Correxit *-es ex*

<sup>l</sup> Cf. Ioan. 1,14.

similitudinem [122<sup>v</sup>:] quærit in imagine. Quo enim exactius noscet illud, eo sanius formabit judicium de hac.

Unde elucescit veritas, quam ad initium hujus meditationis rettuli, quod nisi te homo noscat, Domine, nequit se noscere, et nisi se cognoscat, te ignorat; tam stricta est relatio inter te, prototypon et inter hominem, imaginem et similitudinem tuam.<sup>1</sup> Tu enim videri non potes nec aliter cognosceris, quam ex operibus tuis. Jam autem numquid omnia creasti pro homine, et mirabilia, quæ fecisti, operatus es in homine, quomodo ergo aliter cognosci posses, nisi in hac ipsa imagine tua, pro qua omnia creasti, in qua tua magnalia manifestasti? Sed nec imaginem nosci posse, nisi per te, iam demonstravi. Vis itaque, Domine, ut nos conformemus imagini novi hominis, sed noster vetus homo plerumque secundum sensus suos representat nobis et hunc novum hominem et nosmet ipsos, ita ut sæpe nos illi conformes credamus. Dum tamen et partes vultus nostri aliter expressæ et omnia lineamenta ejus differentia sint, colores aut fusi aut pallidi, umbræ denique nimis fortes sunt et defigurantes.

Dixi, Domine, plurimos esse, qui si [123<sup>r</sup>:] te adjuvante criminibus carent, statim se exemplari conformes esse imaginantur, sensibus veteris hominis indulgent, et per hoc fit, quod partes vultus longe aliter dispositas habeant, quam in exemplari nostro, Christo, qui quamvis vitam communem duxerit, sensus tamen (quos ego partibus vultus assimilo) divagari numquam permisit. Lineamenta faciei ejus sunt virtutes, colores sunt externæ actiones, incidentiæ lucis et umbræ exprimuntur in nobis per charitatem et intentionem, in qua operamur, quæ quia in nobis numquam tam pura est, prout esse deberet, ideo se per modum umbrarum habet, hæ autem umbrarum incidentiæ nimis fortes fiunt, dum amor proprius se illis immiscet et reddit vultus repræsentationem torvam, asperam aut austera.

Quis est, o Domine, qui has vultus sui difformitates agnoscat, si divinum prototypon continuo præ oculis non habet et se frequenter non respicit? Hæc est ars pictoria hominis Christiani, quam nonnisi a te discere potest et tu, Domine, illam non semper statim instruis hominem, sed requiris, ut desideret instrui et sit assiduus docilisque in discendo. Jam autem vetus homo, qui [123<sup>v</sup>:] in nobis est, semper nos aliter repræsentat nobismet ipsis, quam sumus in omni conductu vitæ nostræ, et sic nos abstrahit a discenda hac salutari arte pictoria. Jam sæpius dixi, quod vix crimina deseramus, statim nos conformes Christo esse credamus, vix sensibus abuti cessamus, jam illos in servitutem redegisse putamus, vix te misericorditer visitante humiliamur, humiles esse imaginamur. Hinc tepiditates, segnities, negligentiae et omissiones, quas parvi pendimus, dum desiderio caremus conformes fieri prototypo nostro, dum denique a nobis ad hoc prototypon et ab illo ad nos continue oculos non convertimus, ut nos secundum illud dijudicemus.

Sed o Domine, tu vides in me, quam sæpe vetus homo miris modis impeditat hæc præstare, interjicit enim inter exemplar et imaginem futilia objecta, propter quæ nec nos nec exemplar semper distincte videre possumus. Jam exhalationes, jam vapores, jam nebulae, jam tenebræ exsurgunt ex corruptione naturæ nostræ et lineamenta coloresque faciei nostræ [124<sup>r</sup>:] longe aliter repræsentant, quam sunt. Unde sæpe fit, quod sciamus, quales deberemus esse, sed quales simus, ignoramus. Hi vapores humanæ vetustatis habent se per modum microscopi respectu nostri, quia objecta

<sup>1</sup> Cf. Gen. 1,26.

augentes, quæ in nobis parva sunt, pro magnis repræsentant ita, ut magna fecisse arbitremur, dum exigua agimus, et ex altera parte inspissati quandoque hi vaporess vix reddunt perceptibiles defectus, qui sunt in vultu animæ nostræ.

Hæc, quæ refero, quotidiana sunt, Domine, et totum vitæ meæ conductum respiciunt. Ex his adverto, quomodo necdum sim talis, qualis esse deberem. Sed numquid insanum diceremus esse pictorem, qui diceret: Quid prodest mihi imaginem pingere, cum sciām, quod hæc imago numquam possit esse ita conformis homini, quem repræsentaturus sum, ut possit dici homo, sed semper erit imago? Quidni insipientes sunt ergo etiam illi, qui dicent: Ad quid tenderem ad perfectionem et ad similitudinem Christi, ad quam pervenire numquam potero in hac vita? Ars pictoria [124<sup>v</sup>:] cessaret, si supradicta ratio valida esset, ita profecto hac posteriore hypothesi stante (si possibile foret) Christianitas aboleretur, quia vix potest dici Christianus, qui se Christo conformem reddere non studet, quamvis se Christum fieri non posse sciāt. Posuisti limites conformitatis hujus secundum misericordia decreta tua, Domine, unicuique electorum tuorum, et propterea etiam diversas mansiones præparasti in domo tua.<sup>1</sup> Sed quia hos limites ignoramus, ideo debemus esse ferventes, ut de nobis factis decretis tuis correspondeamus bene utentes et gratiis, quas largiris, et tempore, quod concedis, ad opus tuum et nostrum perficiendum in terris.

Operare igitur in me, Deus, ut<sup>a</sup> ego operer tecum et in te! Fac me diligendo cognoscere te, ut noscens me odio habeam veterem hominem, qui est in me!

#### MEDITATIO 9<sup>a</sup>. DE ABUSU TEMPORIS

Loquar mihi coram te, Domine, scio enim, quam facile austерitatis, rigiditatis arguuntur illi, qui de dispendio temporis aliter loquuntur, quam illi, [125<sup>r</sup>:] qui tot generis et speciei animi relaxationes suadent, admittunt et auctorant. Sed nec ego illas omnes tamquam peccaminosas condemno, verum conductum vitæ veteris hominis considerans non de usu, sed de abusu temporis proposui meditari. Hinc dum quis apte facit, quæ licita sunt, utitur tempore, sed qui illa inepte agit, abutitur tempore. Quis negabit complures esse relaxationes animi et honestas distractiones, quæ ex sua natura innocentes possunt dici, quia nemini obsunt, homini prodesse possunt? Sed etiamsi illæ, prout dixi, ex natura sua innocentes sint, heu, quam sæpe corrumpere potest illas veteris hominis sensualitas, ita ut ipsa innocentia per se convertat in peccaminosa, otiosa et indefectuosa.

Interrogo enim memet ipsum præscindendo ab omni alia definitione astronomica, quid sit tempus, et respondeo respectu Christiani hominis tempus esse spatium vitæ homini concessum ad operandum opus tuum, Deus, et ex hac consideratione reperio tempus esse tuum, non meum mihi concessum, non datum in proprium. Reperio, inquam, hanc concessionem opus esse gratuitæ misericordiæ tuæ, a qua esse [125<sup>v</sup>:] mihi datum est, et hoc esse gratuitæ prolongatur, ut operans, quæ tua sunt, agam, quæ mea sunt, in quantum sic ordinasti, ut agendo illa, quæ tua sunt, mihi prosint, et sic

<sup>a</sup> Ut in rasura

<sup>1</sup> Cf. Ioan. 14,2.

tempore, quod concedis, lucrer tempus æternum, quod promisisti in proprium. Prout accommodatur pecunia mutuo ad usuram, ita das, Domine, tempus mutuo, et propter ea merito rationem exigis de illo. Quodsi enim tempus in proprium dedisses mihi, rationem de meo exigere non amplius posses. Sed quia nihil habemus in proprium præter esse animæ, ideo de tempore libere disponis, sed de esse animæ non amplius potes disponere, quia illud dedisti animæ in proprium, nec amplius animam annihi-labis, quia datum, quod jam est alienum, recipere non convenit justitiæ tuæ. Ma-gnum et inæstimabile est tempus, dum illud sic consideratur, sed qui illud in pro-prium convertens illo adinstar animalis utitur, convertitur in detrimentum, quia de tempore rationem dare non potest.

Opera tua sunt illa, Domine, quæ statum vocationis et bonum proximi respiciunt et intentione ad te directa suscipiuntur. Opera mea sunt, quæ pro alio quocumque fine fiunt, et si omni absolute fine [126<sup>r</sup>:] carent, otiosa dicuntur. Opera, quæ pro te fiunt, plurimis modis corrumpit in nobis vetus homo; quamvis enim nihil dixerim de illis hominibus, qui se in status vitæ mundanæ non te, Domine, vocante ingerunt, qui proximo servientes exinde plus suam utilitatem et lucrum respiciunt, qui ambitiosi, avari, honorum et bonorum temporalium cupidi sæpe pro te credunt agere, Domine, et ut proposita sua assequantur, orationes et devotiones instituunt, eleemosynas pro-fundunt; quodsi autem pondere sanctuarii ponderarentur actiones illorum, viderent, quam parva, quam exigua sint, quæ in illis pro te facere credentes te respiciunt, et quam magna multaque sint ex illis ipsis operibus, quæ semet ipsos concernunt.

Sufficienter considerare nequeo, quæ præter hæc vetus homo operatur. Dum ho-mo illa agit, quæ sibi cordi sunt, inquietus est, et hæc ipsa inquietudo vel grata vel modesta est, quia ut hujus vel illius speciei esset, determinatur a fine, a quo bonum sperando grataanter inquietatur homo, malum timendo moleste turbatur. Dum quis gratanter inquietatur, ipsa inquietudo relaxatio animi est, propterea nec occurrit ho-mini in illis [126<sup>v</sup>:] occasionibus alias relaxationes animi quærere, sed dum inquietudo molesta est, molestiam dissipare quærerit. Omnia hæc, quæ refero, cadunt in hominem animalem et in hominem rationalem, ita ut sint vel inquietudines corporis vel inquietudines animi in illis, quæ corpus respiciunt, relaxationem indulgere ne-cessitatis est respectu miseriæ naturæ nostræ, obligationis est respectu amoris pro-prii, charitatis est respectu tui, Deus, secundum cuius ordinem corpus propter te amare, id est pro opere tuo conservare tenemur.

Quod porro inquietudines animi respicit, attentius considerandum est, et tunc per hæc principia facile cognoscemus, quod dum tempus relaxationibus animi impendi-mus, ex defectu dilectionis tuæ, Deus, agimus. Ex defectu, dico, non semper mali-tioso, sed ex defectu infirmitatis, propter quam semper orare, semper actus amoris elicere non possumus. Quodsi relaxationes animi pro bono proximi aut salutis no-stræ impendimus, tempore utimur, quodsi nulla super hæc reflexione facta ad illa, quæ nobis placent, ideo ruimus, quia placent et delectant, tempore abutimur, et ipsæ innocentes animi relaxationes etiamsi non fuerint [127<sup>r</sup>:] peccaminosæ, erunt defe-ctuosæ.

Examino, Domine, has innocentes animi relaxationes, quæ sunt vel honestorum hominum conversationes vel venatio, piscatio, aucupium vel tam differentes lusus seu corporis seu ingenii exercitia, et statim reperio in his semper præferre hominem illa, in quibus se excellere vel novit vel credit vel excellere intendit, et primus laqueus, quem nobis homo vetus tendit, est cupiditas vel complacentiæ vel laudis,

quam vel ab aliis quærimus vel a nobismet ipsis. Sæpe enim sufficit credere, quod bene ludamus, etiamsi ab alio laudem non recipiamus. Secundus laqueus est æmulationis, in omni lusu enim statim quis sibi particularem æmulum eligit, quem superasse plus gratulabitur sibi, quam alios. Tertius laqueus est impatientiae, dum lusus secundum conceptum non succedit, dum de eo mæorem quis concipit, aut dum in lusu vincit, aliis illudit risu jocosis aut mordacibus verbis. Non loquor de contentionibus et motibus animi hominum, qui verbis verba reponentes in animositates, rixas et in ipsas læsiones charitatis deviant vel horum fermentum [127<sup>v</sup>:] in corda recipiunt et fovent. Prætereo infinita mala, quæ causant lusus, qui quæstus et lucri gratia instituuntur, nam ex præcedentibus quamvis longe levioribus sufficienter patet, quod illa, qua relaxationis animi causa suscipimus, sæpe occupationes sint, quibus attentius incumbimus, quam operibus, quas relaxationis causa deseruimus. Consideret quis prædictos laqueos, quorum periculis nos exponimus; profecto cæcus<sup>a</sup> erit, si in prædictis animi relaxationibus veteris hominis malitiam et temporis tam facilem abusum non reppererit, quantumcumque sint innocentes ex natura sua, et quia animi relaxationes, quas suscipimus, innocenter non tractamus, ideo occasione horum semper gemituum causas accumulamus.

Oportet, Domine, ut ego me accusem coram te illas animi relaxationes recogitans, quas homo in venationibus quærere solet. Peccavi enim, Domine, et vere peccavi, dum tot dies integros et his simul sumptis fors annos vitæ meæ in his exercitiis consumpsi, ita ut occasione venationum nihil de te cogitaverim. Quamvis enim non me accuset conscientia propter illas functiones status mei seposuisse, illas tamen ignoranter omittere sæpe potui;<sup>b</sup> [128<sup>r</sup>:] sufficientem doloris materiam suppeditat, quod pro venatione illa, quæ salutem animæ meæ respiciunt, neglexerim et seposuerim falsa opinione delusus taliter potuisse me agere absque peccato. Verum est, quod hæc exercitia juventutem meam a multis criminosis avocaverint, et hoc gratiæ tuæ attribuo, quod meam malitiam in majora crimina ruere non permiseris. Verum est, quod venationum, aucupii et piscationis relaxationes exemptæ sint a multis laqueis, quos in præcedentibus recensui, immunes tamen non sunt præcipue pro illis, qui impatientis naturæ sunt et ex levissima causa effervescunt. Jam enim contra canem, jam contra equum, jam contra semet ipsum movetur homo, nec considerat, quod his motibus passionum suarum frenum relaxet et illas foveat. Sed quid fit, dum motum suum in homines extendit, quos increpat, percutit, indigne tractans contristat? Hæc enim plerumque vel peccaminosa sunt vel criminosa, in quantum charitatem offendunt.

Talia sunt, Domine, in quibus te homo aut parum aut non ferventer aut prorsus non diligens quærerit relaxationes animi sui [128<sup>v</sup>:] tepensis in illis, quæ tua sunt, Domine. Quis dicet occupationem homini non esse necessariam? Quis asseverabit infirmitatem ejus posse perseverare in continuis orationibus, meditationibus et lectioibus tempore ab occupationibus suis status sui<sup>c</sup> vacuo? Sed o Domine, quis te diligens et temporis pretium considerans non agnoscat, quantæ præcautiones, quanta moderatio adhibenda sit<sup>d</sup> in ipsis (nobis, heu, quam necessariis) corporis et animi

<sup>a</sup> Correxit cæcus ex

<sup>b</sup> Potui fere illegibile

<sup>c</sup> Supplevit status sui supra lineam

<sup>d</sup> Sic! (pro: sint)

relaxationibus? Principale opus hominis est et obligatio se abnegare intendendo, ut sensibus dominetur. Quid autem significat relaxare, nisi illis quoquo modo indulgere? Quid autem est aliud indulgere sensibus, quam vel criminose vel peccaminose vel defectuose agere?

Tremendum est, quod dicit dilectus apostolus, quod qui se sine peccato esse dicit, mendax est.<sup>1</sup> Sed hanc ipsam veritatem ex his, quae refero, pathetice agnoscimus, nec tamen obstantibus non te nosceret homo, Domine, qui te crudelem et tam immisericordem crederet, quod propter omnia hæc, de quibus loquitur apostolus, peccata te hominem damnaturum supponeret. Hinc humilis [129<sup>r</sup>:] confidentia in te, Deus, pellit servilem timorem ex corde hominis Christiani, et elongat præsumptionem, quam habere posset de misericordia tua, si considerare omitteret, quanta sit tua justitia. Justitia, dico, Domine, quia quamvis hæc infirmitates, involuntariae negligentiæ et defectus sint corruptionis naturæ affectus, a<sup>a</sup> quibus homo vivens immunis esse nequit, in quantum sunt sequelæ peccati primi hominis, non possunt remanere impunitæ; sed in thesauro justitiae tuæ, Deus, multæ sunt pœnæ, in quibus omnibus suam partem habet misericordia, et illarum applicationem ita moderatur tua sapientia, ut dum pœnis, quos amas, castigas,<sup>2</sup> castigatum exclamare facias: Cognovi, Domine, quia æquitas judicia tua et in veritate tua humiliasti me.<sup>3</sup> Bonum est, quia humiliasti me, ut noscam justificationes tuas.<sup>4</sup>

Ex his facit me agnoscere bonitas tua, Deus, quod mundana prosperitas major pœna sit, quam mundana afflictio, quia illa oblivionis, hæc visitationis tuæ est signum, et per consequens prosperitas reprobationis, afflictio electionis tuæ est indicium. Penitus ignorant, Domine, profunditatem judiciorum [129<sup>v</sup>:] tuorum, vel vix levem ideam habent illorum, qui has tam differentes purificationes justorum jam in hac, jam in altera vita non credunt te exercere, sed nec naturam hominis bene considerant nec se noscunt. Prout enim homo creatura spiritualis et corporea est, ita et hujus speciei peccata, impuritates et defectus, de quibus jam supra dixi, vel spirituales vel sensuales sunt. Jam autem in præcedentibus fecit me agnoscere bonitas tua, Domine, alios esse sensus animæ, alios esse sensus animalitatis, alios esse actus animæ pure intellectuales, alios actus animæ, in quantum anima spiritus humanus dicitur, et ex hoc consequenti concipio peccata et impuritates animæ intellectuales purgari in altera vita, peccata, defectus et impuritates spiritus humani purgari in hac vita. Ex his clare dignoscitur, quam justa<sup>b</sup> propositione dispensem pœnas justitia tua animæ qua creaturæ intellectuali et animæ qua spiritui humano per sensus delinquenti.

Recogito, Domine, quæ jam de cupiditate et de concupiscentia rettuli in præcedentibus, nam hæc, quæ profero, reddunt mihi illa clariora. Non moveor, Domine, [130<sup>r</sup>:] a scrupulosa pusillanimitate cordis; quem enim defectus anxient, tranquillitatem ignorat, et hæc ipsamet anxietas est plerumque superbiæ effectus, quem tolle-

<sup>a</sup> Supplevit supra lineam a

<sup>b</sup> Correxit *justa* ex *juste* (-i?)

<sup>1</sup> Cf. 1 Ioan. 1,8.

<sup>2</sup> Cf. Apoc. 3,19 sim.

<sup>3</sup> Cognovit...: Ps. 118,75.

<sup>4</sup> Bonum...: Ps. 118,71 (*noscam pro discam!*)

re debet miseriarum vitæ hujus humilis agnitione, et illarum non querulosa, sed tamen gemebunda tolerantia. Justa sunt, Domine, tua judicia<sup>1</sup> de humanæ corruptionis massa, et ex illis,<sup>a</sup> quæ meretur homo, discernitur, quantum ames, quem castigas,<sup>2</sup> quam sis misericors, dum in hac vita purgas. Sit tibi, Domine, gloria de his, quæ mihi agnoscere das!

MEDITATIO 10<sup>a</sup>.  
DE ABUSU GRATIARUM

Abusus est vel re aliqua non uti vel in aliud finem uti vel non adæquate uti, et hæ tres species abusus gratiarum tuarum, Deus, patent in veteri homine, et ex hac sola consideratione vel criminosa vel peccaminosa vel defectuosa sunt opera ejus coram facie justitiæ tuæ. Credo me sat intelligibilem reddidisse, quid intelligam sub his denominationibus criminis, [130v:] peccati et defectuum. Hæreticum esset enim dicere te adjuvante facta bona opera peccaminosa esse, sed humilitatis est agnoscere esse defectuosa, in quantum prout agere oporteret et sæpe agere possemus, non agimus non ex defectu voluntatis, sed ex infirmitate mortalitatis et corruptionis naturæ nostræ. Abutimur, Domine, dotibus corporis et animæ, dum illis pro gloria nostra utimur, non pro tua. Involvimus in sudarium talentum, fodimus illud in terram, dum segnes et tepidi non fructificamus pro te, sed nec tunc adæquate utimur donis tuis, dum decem talentorum loco quinque talenta referimus, nam fideles servi [evang]<sup>b</sup> in parabola evangelii quot talenta receperunt, tot talenta lucrificerunt.<sup>3</sup> Non loquor de illis, qui gratiis tuis criminose abutuntur, Domine, et sunt homines animales. Has veritates enim, de quibus meditari vellem, quotidiana opera demonstrant mihi, etiamsi non fiat ductu animalitatis criminosa, quæ ex delectatione cognita et volita<sup>c</sup> præfert opera carnis operibus spiritus.

Sed o Domine, quis est, qui enarrare et observare [131r:] possit omnes tuas gratias, quas recipit! Nisi enim tu illuminare digneris hominem, semper gratias, quas dare dignaris, naturali cursui rerum attribuet, sed dum te illuminante respicit, et illa, quæ occurunt, discutit. Tunc videt veritatem, quam enucleare vellem, sed quis me intelliget, nisi bonitas tua illum de hac veritate convicerit. Qui habent aures audiendi, audiunt Apostolum dicentem, quod diligentibus Deum omnia cooperentur in bonum,<sup>4</sup> et exinde concludent omnia, quæ agenda occurunt, posse cooperari in bonum, et esse gratias, quibus dum non utimur, ut cooperentur in bonum, abutimur. Sunt plurimæ actiones morales, quæ per se mala non sunt, quin innocentes dicuntur, sed in quantum illas in bonas respectu salutis non convertimus, quis hominum audebit decidere, num peccaminosa, num solummodo defectuosa sint? Non est enim

<sup>a</sup> Correxit illis ex his

<sup>b</sup> Delevit

<sup>c</sup> Volita ut participium verbi velle

<sup>1</sup> Cf. Tob. 3,2 sim.

<sup>2</sup> Cf. Apoc. 3,19.

<sup>3</sup> Cf. Matth. 25,14–30.

<sup>4</sup> Diligentibus...: Rom. 8,28.

difficile casus solvere, sed multum difficile casus rite applicare, quia spiritus huma-nus partialis judex est actionum suarum et se semper excusare nititur, et nisi tua bonitas, Domine, daret illud humile sentire [131<sup>v</sup>:] de semet ipso, quem de peccato voluntario non accusat conscientia, sæpe se sine peccato esse diceret homo.

Elevatus gradus puritatis est nihil, quod bonum est, voluntarie negligere, nec malum voluntarie patrare; nec tamen hæc puritas impuritate caret, dum quis considerat differentes usus et abusus gratiarum tuarum humiliiter sentiens de semet ipso. In hoc constituit efficax virtus gratiæ habitualis, quam electis tuis dare dignaris. Sed hæc ipsa gratia, qua illuminante de se quis humiliiter sentit, gradus suos habet et diversificatur, ita ut illud ipsum humile sentire semper perficiatur et adhuc humilius sentire possit. Propterea docet æterna Veritas, ut postquam omnia fecerimus, adhuc nos servos inutiles esse<sup>1</sup> agnoscamus et profiteamur. Audit homo sapientum loquelas de operibus ad salutem necessariis et de operibus supererogatoriis. Audit doctrinam, quæ dicit non quemlibet teneri ad perfectionem, et in his sententiis male intellectis quærerit vias largiores, quia de se humiliiter non sentit. Sed dum considerat, ipsum bonum quam defectuose agit, in præmemoratis [132<sup>r</sup>:] doctrinis non se plus fondat,<sup>a</sup> quam sana ratione fundare potest, in quantum nimirum hæc propositiones (aut potius explicativi termini) distinguunt opera præcepti expliciti et impliciti, secundum quæ de aliis judicare charitas suadet, sed de se taliter judicare non permittit, quia charitas, et humile sentire de semet ipso ignorat, quid sit dicere: Sufficit.

Infinita est, Domine, obligatio creaturæ erga te,<sup>b</sup> Creatorem, quam ideo creasti,<sup>c</sup> ut in æternum laudet et gratias agat. Hinc si hæc obligatio infinita est, quis potest ita satisfacere illi, ut possit in semet ipso dicere: Sufficit, nisi respectu præcepti expliciti, quæ mandata sunt. Sed quis est tam temerarius, qui se his, prout oportet, satisfecisse arbitrabitur? Absit a me humani spiritus fragmentis adhærere, quæ docent etiam gratia tua, Deus, succurrente legem adimplere neminem posse, sed absit et humana præsumptio, qua ductus quis duceret se legem adimplevisse. Respectu litteræ legis igitur (quam ego legem explicitam appello) datur supererogatio, sed respectu [132<sup>v</sup>:] spiritus legis (quam legem implicitam nuncupo) qui te, Deus, diligit, numquam in agendo pro te dicit: Sufficit. Vere ignoraret, quanta sit humanæ sensualitatis infirmitas et veteris hominis malitia, qui crederet se ita vivere et tam perfecte operari, ut datis gratiis melius uti et perfectius vivere non posset. Unde apparent gratiarum si non peccaminosus, vel saltem defectuosus usus, qui in sensu jam supradicto in quantum non est adæquatus, abusus est. Et hæc reflexio fundamentum est humilitatis nostræ.

Hæc itaque considerationes abusus temporis et abusus gratiarum humani cordis abyssum immensurabilem et notionem nostram propriam reddunt tenebrosam. Hæc sunt, quæ opus misericordiæ et bonitatis tuæ, Domine, erga hominem eo clarius manifestant, quo obscuriora sunt humano intellectui, qui ægre potest convinci sine te nihil posse agere hominem pro salute sua. Sed hæc misericordiæ et bonitatis tuæ, Deus, agnitus est spei confidentiæque nostræ confirmatio, hujus autem fundamen-

<sup>a</sup> Sic! [ut Gallicismus, pr fundat]

<sup>b</sup> Supplevit te supra lineam

<sup>c</sup> Correxii [correxit creastit? ex creavit]

<sup>1</sup> Cf. Luc. 17,10.

tum est tua promissio. Cum autem homo de se nihil posse, tecum [133<sup>r</sup>:]<sup>a</sup> omnia posse te illuminante convincitur, et se et te cognoscit, omnia a te sperat, et dum se despicit, te, Domine, aspicit levans oculos ad montes misericordiarum tuarum, unde venit nobis auxilium; auxilium, inquam, a Domino, qui fecit cælum et terram.<sup>1</sup> Rigorosas speculationes dicet esse, quæ profero, homo, qui non sentit illa, quæ profero, crebet tantam (uti dicunt) austeritatem hominem ad desperationem ducere posse, sed salutaris est nimis desperatio in se, sine qua vix datur completa spes in te, Domine. Non dico ego omnem abusum gratiarum criminosum et peccaminosum esse, sed dico, quod nullus abusus sit, quin sit defectuosus; nam in hoc sensu verificatur propositio, quod nemo sit innocens in conspectu tuo, Domine, quamvis fuerint sancti, qui te adjuvante statum baptismalis innocentiae usque ad mortem conservaverint, ab imperfectionibus tamen et a defectibus fragilitatis illos immunes fuisse nemo dicet. Hæc fuit causa gemitus illorum continui, hinc si exclusa misericordia judicares, Domine, quis salvaretur, cum vix justus sit securus<sup>2</sup> coram te?

Sunt itaque differentes gradus [133<sup>v</sup>:] justitiae et innocentiae, ad quos tua elevat misericordia, et hæc diversitas mensuræ justitiae discernit diversitatem gloriae et beatitudinis secundum differentes mansiones domus tuæ, Deus. Hinc fit, quod similitudo imaginis tuæ in homine cum prototypo suo secundum quid perficiatur. Quodsi enim nulla daretur differentia inter imaginem et inter exemplar, imago non esset imago, sed ipsum prototypon. Quodsi autem ex horum, quæ referto, consideratione homo de tua misericordia desperaret, non horum, quæ protuli, consideratio, sed superbia sua esset causa dementiae suæ, nam nihil durius est homini, quam nihil suum agnoscere; et propterea numquam cessabunt disputationes de auxiliis gratiae tuæ. Vellit enim semper plus scire homo, quam credere, cur et quomodo hunc salves, alterum condemnes. Ignorat, Domine, quid sit Deus, quid sit Creator et creatura, qui de tua bonitate desperat. Quodsi ignorat, quid sit Creator, de Creatoris bonitate desperare poterit, et si nesciverit, quid sit creatura, de se præsumet et in se sperabit, sed quo te, Deum et se plus [134<sup>r</sup>:] cognoverit, te diligendo timens in te solo sperabit.

Fac igitur, Domine, ut semper taliter noscam te; tunc enim non verebor respicere me, ut agnoscam virtutem tuam, quæ manifestatur in infirmitatibus<sup>3</sup> meis; da, ut in hora mortis meæ experiar tuam misericordiam etiam in judiciis tuis!

## MEDITATIO XI. DE ABUSU SENSUUM

Rettuli, Domine, te adjuvante in principio præcedentis meditationis, quot modis homo re aliqua abuti possit, et in illa extensa significazione abusus considerare vellem in conductu vitæ veteris hominis illa, quæ abusum sensuum respiciunt. Consideravi, quid sint sensus et quam sint homini necessarii, ut illis utens utatur creaturis et per sanum usum referat illas in gloriam tuam, Deus. Hic finis redditum usum

<sup>a</sup> Supra, in margine sinistro: *XII*

<sup>1</sup> Cf. Ps. 120,2.

<sup>2</sup> Cum.... sequentia *Dies iræ*.

<sup>3</sup> Cf. 2 Cor. 12,9–10.

sensuum necessarium ex ordine creationis, sed huic necessitati superinduxit aliam necessitatem corruptio peccati et illius turbatio, et hæc necessitas usum sensuum necessarium reddidit ad conservandam [134<sup>v</sup>:] vitam nostram. Hæc necessitas per se peccaminosa non est, sed et pena peccati. Hinc dum sensibus ad vitam conservandam utimur, hanc ipsam conservationem vitæ ad gloriam tuam referentes sensibus utimur, sed dum hunc usum ultra extendimus secundum diversas considerationes abusuum, sensibus abutimur, et hic abusus reddit opera nostra omnia defectuosa, in quantum sunt impura, facit autem alia criminosa, alia peccaminosa. Agere ex dictamine et complacentia sensuum criminose est opus veteris hominis animalis. Agere ex suggestione sensuum potest esse actio veteris hominis etiam in novitate vita ambulantis. Agere defectuose cum sensibus est proprietas corruptionis naturæ nostræ etiam electis tuis, Domine, inevitabilis. Sensus nostri, quos cum animalibus communes habemus, sunt potentissima arma, quibus hominem novum impugnant inimici sui, homo nimurum vetus, mundus et diabolus; et hic sub nomine mundi intelligo omnes creaturas, quæ homini inimicæ factæ sunt non ex natura sua, sed ex ratione corruptionis hominis et effectus [135<sup>r</sup>:] peccati, qui facit, quod creaturæ hominem a te, Deus, ad se abstrahant.

Omnis itaque prædicti inimici hominis sensibus utuntur contra hominem, et propterea est sensualitas tam periculosa, ut carnem nostram crucifigere<sup>1</sup> jubeamur et nosmet ipsos abnegare mandet Salvator noster.<sup>2</sup> Hæc autem abnegatio consistit in voluntatis et per consequens sensualitatis nostræ abnegatione. Hinc dicit Magister noster, quod si oculus noster simplex fuerit, totum corpus perlucidum erit,<sup>3</sup> quia sensualitates potissimum per visum incipiunt tentare hominem; raro enim quis cupid, quod non videt aut numquam vidit, et si de aliqua re delectabili audit, primum illam videre cupid. Lucernæ corporis sunt oculi,<sup>4</sup> per horum usum ingrediuntur in nos objecta externa, hinc præ ceteris sensibus jubemur custodire simplicitatem oculorum, ut sit corpus perlucidum.

Jam autem dum considero, in quo consistat simplicitas oculi, facile concipio in eo consistere, ut illo homo utatur ad necessitatem, quia simplicitas ex natura sua [135<sup>v</sup>:] non admittit duplicitatem, quæ destruit simplicitatem oculorum, dum illos ad duplum usum converto; converto autem semper, dum ex sensualitate seu delectatione visus aspicio, quia hic actus differens est ab actu necessitatis, propter quam aspicere debeo, quod convenit et quod prodest, impendenter a sensualitate, quæ delectationem qualemcumque suggerit et per consequens duplicitatem secum ferens simplicitatem oculorum corrumpt. Ex hac simplicitate oculi facile est colligere, quæ sit simplicitas ceterorum sensuum, qui nisi ad actum necessitatis restringantur, actum sensualitatis seu delectationis huic actui necessitatis superaddunt, et sicut jam dixi, duplicitatem contrahunt. Sic manifestatur, Domine, abusus sensuum corruptioni nostræ proprius et ita adhærens, ut hunc defectuosum usum sensuum et in hoc sensu abusuum homo cavere nequeat.

Sed ecce, audio interrogantem argutum sciolum, quid est ad necessitatem aspicere? Debetne homo semper occlusos tenere oculos et sensus; quomodo satisfacet

<sup>1</sup> Cf. Gal. 5,24.

<sup>2</sup> Cf. Matth. 16,24.

<sup>3</sup> Cf. Matth. 6,22.

<sup>4</sup> Cf. Matth. 6,22.

huic speculationi? Quodsi autem oculos habuerit occlusos, quis ipsi innuet, ut appetiat, dum quid [136r:] occurrit, quod videre necessarium est? An quis clausis oculis ambulare poterit, quin cadat, et sic non utendo oculis, quos Deus dedit, abutetur; si autem apertis oculis incedit, quomodo poterit præpedire, quin plurima videat, quæ videre non erat necessarium? Ipse egomet sum hic sciolus, qui hæc interogo; sic colloquitur enim homo vetus cum homine novo, qui te illuminante, Domine, noscit longe aliud esse videre, aliud aspicere, aliud intueri. Hinc non oportet, ut homo occlusis oculis incedat, nam videre est necessitatis. Millena objecta videt homo simul et semel, et ex illis in uno figit visum, et hoc est aspicere. Inhæret huic aspectui delectanter, et hoc est intueri. Si ex illis, quæ visui repræsentantur, reflexe formata bona intentione, quod aspiciendum est, seligit, si in illud objectum figens oculos illud ad gloriam tuam refert et te, Creatorem in illo intuetur, utitur oculo et in te delectabitur in spiritu, non in sensualitate.

Dixi, quod aspicere sit fragilitatis, et hoc ideo, quod plerumque irreflexe [136v:] seligimus, quæ aspicimus, et hic actus irreflexus est actus fragilitatis, quia præcedit actus instinctus animalis actum voluntatis, et hic actus irreflexus ex hac ratione est fragilitatis defectus. Ad videndum provocat natura, ad aspiciendum incitat plerumque curiositas, et ad intuendum determinat concupiscentia oculorum, et in his duabus posterioribus actibus abutitur homo sensu visus secundum differentes gradus sensualitatis suæ, per quam plus vel minus adhæret objecto et delectatur in illo succedente actu voluntatis.

Jam itaque his taliter consideratis te, Domine, adjuvante intelligo, quod videre sit actus simplicissimus oculi, et si illud objectum, quod aspiciendum seligo, refertur ad statum<sup>a</sup> obligationis meæ, te aut proximum respicienti aspicere fit necessitatis, et in aspiciendo conservatur simplicitas; sed si in aspiciendo succedit etiam delectabilitas, tu solus potes discernere, qui nosti renes meos,<sup>l</sup> de puritate intentionis,<sup>b</sup> num objectum, quod aspexi ex necessitate, intuar in simplicitate vel in duplicitate sensualitatis. Quodsi enim in intuendo persevero [137r:] absque necessitate et absque intentione ad obligationem meam directa, clarum est, quod agam ex sensualitate et ex concupiscentia. Hæc, quæ profero, applicabilia sunt ad omnes sensus meos, et distincte demonstrant infinitos abusus veteris hominis, quos committit non utens sensibus ex necessitate, sed ex delectatione, quam ego sensualitatem appello. Propterea primus actus omnium sensuum est naturalis et simplicissimus, in secundo actu fit tentatio, et in tertio consommatur<sup>c</sup> abusus. Primum enim actum appello: audire, videre, odorare, gustare, tangere, secundum actum dico: de his discernere, tertium actum statuo: illi, quod discretum est, adhædere, quod est sensualitati consentire vel ex necessitate vel ex sensualitate. Unde dependet actus simplicitas vel abusiva duplicitas, et hæc vel peccaminosa vel criminosa est, et numquam a defectu tam immunis, ut pura et innocens possit dici in conspectu tuo, Deus.

Quidquid hactenus de conductu vitæ veteris hominis, quidquid de abusu temporis et gratiarum rettuli, quidquid [137v:] jam antea de potentiis animalibus et de sensibus connotavi, dicit me, Domine, te adjuvante ad clariorem notionem abyssi cordis

<sup>a</sup> Correxit statum ex status

<sup>b</sup> Intentionis sc. meæ

<sup>c</sup> Sic! [ut Gallicismus]

<sup>l</sup> Cf. Ps. 7.10.

humani et veteris hominis. Ecce igitur, me abyssumque meam statuo in conspectum tuum, Domine, dum hæc meditor. Chaos tot abusuum, defectuum, delictorum et peccatorum video in me, et præter hoc nihil video. Quam miser essem, si hæc taliter noscens ignorarem misericordias tuas, quæ lucent in hac abyso spem et confidentiam in te eo plus augentes, quo minus confido de me sine te.

O Domine, quam bonus es diligentibus te, et quam micericors etiam non diligentibus! Si homo hanc abyssum suam sine cognitione tui posset videre, desperaret de salute sua, sed quia se noscere nequit, antequam te noscat, postquam se aspicit, ad te convertit oculos suos, et tu respicis illum dans plus noscere te; et quo plus te noscit, eo audactius respicit examinans interiora sua, et quo plus se examinat, eo profundius descendit in abyssum suam, eo plus videt sordium in se, et denuo eo confidentius recurrat ad te, quo clarius videt hanc [138r:] cognitionem sui esse opus misericordiæ et dilectionis tuæ erga se. Non desperat igitur, sed semper plus sperat, et ideo non se querit excusare coram te, sed se reum profitens gemit coram te. Hoc est opus, hic est labor continuus hominis viventis in hac mortali vita, et ausim dicere, quod religionem et vitæ Christianæ principia non noscit, qui hunc laborem ad salutem suam necessarium esse non credit. Laborem dico, non sterilem tantummodo notionem harum veritatum; hanc autem notionem quomodo corrumpat vetus homo et quot modis abutatur notione sui et notione tui, gratiam tuam peto, ut edicere valeam.

#### MEDITATIO 12<sup>a</sup> DE ABUSU NOTIONIS DEI ET NOTIONIS SUI

Continuabo, Domine, te adjuvante considerare abusum in sensu jam sæpe explicato. Examino veterem hominem non animalem, qui reprobo sensui traditus est, nec te nec se noscit, sed veterem hominem ab homine novo inseparabilem et in hoc [138v:] sensu in novitate vitæ ambulantem, in eo tamen veterem, in quantum fragilitatibus et corruptioni naturæ suæ plus vel minus subiectum, numquam tamen ab illis immunem. Purgatur homo per gratiam tuam a criminibus, purgatur a dominatibus passionibus, noscit et diligit te secundum differentes gradus notionis et dilectionis, hac tamen notione abuti non cessat. Refertur hic abusus ad illa, quæ de abusu gratiarum jam rettuli, in quantum notio tui et sui est opus gratiæ tuæ, est tamen objectum particulariter meditandum, in quantum tam sæpe noscit homo, quæ facere deberet et non facit, et sic cumulat vitæ hujus mortalitatis delicta et defectus.

Abusus, de quibus hactenus meditatus sum, plerumque respiciunt spiritum humandum, sed hi abusus notionis tuæ et suæ concernunt actus intellectus, et propterea ad hujus speciei abusus sunt revocandæ tot milles cogitationes et verba, quæ irreflexe producuntur, quia homo toties tui et sui obliviscitur, dum taliter agit. Excusat se a peccato malitiæ, dum inconsiderate et irreflexe hæc committit [139r:] dicens voluntatem ad hæc non consensisse. Sed nonne etiam voluntate abutitur, dum voluntate in ordine tuo, Domine, non utitur? Potest irreflexe consentire voluntas ad hæc, quæ dico, sed etiamsi irreflexe, tamen consentit. Unde fit, quod similia possint esse sæpe immunia a peccato, non sunt tamen immunia a defectu, qui veteris hominis misera conditionem semper manifestant nobis. Unde patet, quod non nos excusare debeamus coram te, sed accusare, ut per horum attentam considerationem nutriatur humilitas et agnitus tui et nostri in nobis.

Quid dicam, Domine, de abusu magno nimis hujus notionis tuæ, dum homo fidem, per quam te noscere das, nutrire neglit? Alia sunt enim, per quæ fides conservatur, alia, per quæ augmentum sumit, conservatur per exercitia pietatis, per orationes vocales, per lectiones spirituales, quas omittere esset peccare, sed incrementum sumit per meditationes illarum veritatum, quas aut legimus aut audimus. Jam autem harum meditationum omissiones numquid non revocantur directe ad abusus notionis tuæ, quam nobis dare dignaris, [139<sup>v</sup>:] sed illam nutrire non quærimus in cordibus nostris? Omnia hæc causat veteris hominis a nobis inseparabilis infirmitas, quæ nos deflectere facit ab illis objectis, de quibus sensualitas non participat. Jam autem evidens est, quod nullius rei sint minus capaces sensus, quam illorum, quæ notionem tuam concernunt, nec plus obtunditur nostra superbia, quam dum in notione nostra laboramus. Quo enim plus nos noscimus, eo plures defectus in nobis reperimus.

Fugit igitur vetus homo notionem tui et sui vel ex hac sola ratione, et quo plus fugit, eo facilius omittit, quæ ad hanc rem pertinent, et omittendo abutitur intellectu, quem ad hæc non convertit, ad quæ convertere deberet, ut notionem tui et sui semper in majori et majori gradu acquireret. Homo Christianus intellectum fidei subjiciendo fidem conservat, sed in lumine fidei lumen quærendo utitur notione, quam illi dare dignatus es, et sic dum se infirmitates defectusque suos examinat, utitur notione sui, quam a te ad hoc recipit, ut se plus noscat. Conscientia causat remorsum homini de criminibus. Dilectio tua accusat de peccatis et delictis. Humilis sui agnitus [140<sup>r</sup>:] gemere facit de infirmitatibus, quia hæc humilitas est dilectionis tuæ, Deus, vera proprietas. Hinc homo te vere cognoscit diligendo, et se vere noscit humiliando, abutitur dilectione, quam das, dum te non quærerit, abutitur humilitate, dum se non respicit, non arguit et non reprehendit, sed etiam tunc abutitur humilitate, dum hæc inquiete, impatienter et anxianter peragit. Humilitas enim datur a te, ut se homo agnoscat et condicioneis suæ miserias patienter ferat nihilumque suum coram te profiteatur, Domine. Quo enim se gratiis indignorem credit, ad diligendum te eo plus incitatur, quia ex sua indignite eo evidentius manifestatur tua bonitas.

Quot et quam multifariis modis posset hæc, quæ refero, censurare arguta sciolitas hominum, qui vias salutis applanare et sensualitatibus accommodare student? Sed te diligentibus et se noscentibus non apparebunt aspera, quæ profero; quibus enim te das diligere, illis das cordis tranquillitatem, quæ pusillanimitatis anxieties ignorat, et tunc homo gemit in patientia consolationem in tua misericordia, non in sui excusatione quærens. [140<sup>v</sup>:]

Suavis es enim, Domine, nimis noscentibus te, et consolari dignaris noscentes se. Veteris hominis sunt itaque suggestiones cordis sui plicas non discutere, dum de criminibus non arguit conscientia. Veteris hominis est imperfectiones nihili pendere, de infirmitatibus suis non gemere, et ex his dispositionibus tepiditatis et frigiditatis cordis consistit abusus notionis tuæ, Deus, et notionis sui proprii cordis, quia ubi has notiones non sequitur gemitus, non fit harum notionum rectus usus. Noscam igitur te, Domine, ut cognoscam me. Fac, ut plus noscam me, ut plus diligam te propter miserationes tuas, quas manifestas in me. Gemam de meis, ut exsultem in tuis! Humilier in illis, ut exalter in istis, cor contritum enim et humiliatum non despicias.<sup>1</sup> Da,<sup>a</sup> Domine, ne abutar lumi-

<sup>a</sup> *Da sc. mihi*

<sup>1</sup> Cf. Ps. 50,19.

ne, quod mihi dare dignatus es, non querendo et non diligendo te toto corde, tota mente et totis viribus meis!<sup>1</sup> Da,<sup>a</sup> ut in ordine tuo utar notione, qua dedisti noscere indignitatem, nihilum meum et ex his procedentia delicta, peccata, miserias, infirmitates, imperfectiones et defectus meos! [141<sup>r</sup>:]

Hic vetus homo, Domine, de quo te adjuvante hactenus meditatus sum, est omnis homo, quia nemo in hac vita fit novus in novitatem naturae, sed fit in novam creaturam, in novitatem gratiae. Unde fit, quod nova creatura semper circumportet veterem hominem, et hanc veritatem non noscere quoque esset abusus luminis, quod dare dignaris, sed nos illud non convertimus, ut in illo abyssum cordis nostri respiciamus; et quoties haec, prout oporteret et facere possemus, facere negligimus, prout saepe dixi: lumine tuo abutimur.

Sit tibi, Domine, gloria ex his omnibus, quae ex hac anatomia veteris hominis dignatus es docere me! Repraesentasti mihi in illo vultum nativitatis meae et proprietates immensa misericordiae tuae, et sic te et me vidi, Domine, in hoc speculo, in quod etiam bona vitae et pie viventes Christiani diversimode solent inspicere, et hinc saepe fit, quod te et se successive non uno intuitu videant. Sunt profecto, qui hoc speculum veteris hominis respicientes vident congeriem levium peccatorum quotidianorum, [141<sup>v</sup>:] quae charitatem ex cordibus illorum non excludunt. Sed quia refrigerant, dicunt: Non sum angelus, sed homo, sum peccator, sufficit mihi crimina non committere, peccatis carere non possum; ad quid vellem mihi turbationes et anxietates scrupulosas causare de illis, quae evitare nequeo? Hi, Domine, qui sic respiciunt vultum nativitatis suae, non vident se, te tamen intuentur, quia noscentes bonitatem tuam et in illa confidentes negligunt examinare, unde emanent haec loquela; tunc enim viderent haec peccata et delicta, quae in se noscunt, genima esse sensualitatum, quae in se supportant, quia vivacior est adhuc in illis sensualitas, quam tua, Deus, charitas. Non noscunt sensualitatis pericula, ignorant, quam sit difficile homini discernere illa, in quae deliberata consentit voluntas, ab illis, in quae invita trahitur pondere fragilitatis et infirmitatis suae.

Jam autem horrendum est cogitare homini te diligenti, quod illa, quae homo mala esse agnoscit et tamen facit, nonnisi per gravitatem materiae differant a peccatis mortalibus, quia haec et illa ex [142<sup>r</sup>:] eodem fonte malitiae voluntatis emanant, quae te, Deum leviter offendisse parvi pendit, et sic sibi indulget placere plus, quam tibi. Non, non, Domine, non noscit se homo, qui ad hanc considerationem non horret et se voluntarie in hac dispositione intertenet, quia ubi adhuc voluntaria sensualitas regnat, odium etiam praeteritorum peccatorum multis illusionibus expositum est, et per consequens paenitentia de praeteritis etiam peccatis defectuosa esse potuit, in quantum vera paenitentia odium peccati requirit.

Jam autem, quomodo potest homo securus esse, quod vere odio habeat effectus, quorum causas foveat in corde? Magna est, o Domine, differentia abstinere a peccato et odio habere peccatum. Primum timor tui servilis, aetas provecta, temperamentum deficiens, sanitas turbata, occupatio distrahens, occasio deficiens respectu plurimorum peccatorum specificorum producere potest, sed odium peccati nonnisi tua charitas potest dare.

<sup>a</sup> *Da sc. mihi*

<sup>1</sup> Cf. Luc. 10,27.

Repetam igitur, quod se homo non respicit in speculo nativitatis suæ, dum se non examinat, in quonam gradu habeat hoc odium [142<sup>v</sup>:] peccati; nam ille, qui dicit: Mallem mori, quam peccatum mortale committere, non semper dicit: Mallem milles mori, quam Deum vel levissime offendere. Sed o Domine, potest hoc quoque sentire et dicere, plurima tamen facere, quia non persuadet sibi, quod tu offendaris illis. Sic excusamus enim plurima delicta nostra et præcipue sensualitates nostras, et re vera aliud est contra præceptum agere, quod est proprie te offendere, aliud est non sequi beneplacitum tuum non tendendo semper ad illa, quæ perfectiora sunt. Sed o Domine, ille, qui peccata venialia et delicta parvipendit, non potest dicere, quod te non offendat, quia illa, quæ facit, mala esse scit et tamen foveat in se, et sæpe eo procedit insania ejus, ut cogitet et dicat: Deus non damnabit me propter hæc et hæc; quodsi autem ad purgatorium condemnabor, felicem me reputabo; quis sum ego, ut prætendam directe ad cælum pervenire?

Unde procedit, Domine, similis loquela, nisi ex illa tepiditate, quæ hominem nec frigidum nec calidum reddit, quæ tamen tibi tantum nauseam parit, ut mineris tepidos evomendum iri ex ore tuo.<sup>1</sup> [143<sup>r</sup>:] In tali dispositione non curat homo te offendere, dummodo non valde offendat, non timet pœnam, dummodo non sit æterna, denique non curat tibi displicere, ut sibi complacet in illis, quæ sensualitatem delectant, ad quæ fertur voluntas propria; et tamen imaginabitur te amare super omnia, credetque se abnegasse, quia non amplius appetit crimina. Plenis buccis repetit: Sufficit me Deum amare super omnia appretiative, sed energiam hujus expressionis non considerabit, alioquin reperiret, quod in omnibus illis, quæ in prædicta dispositione agit, in imaginatione sua quidem, illa, quæ amat, tibi, Domine, appretiabit, in opere autem se plus amet, quam te, Domine, quia sibi plus vult placere, quam tibi. Sunt, Domine, qui in hoc (quod dixi) speculo nativitatis suæ se vident et te non semper respiciunt. Et hi sunt continuo timori, anxietati et scrupulis obnoxii, austeri, torvi, rigidi, quia nonnisi delicta et defecitus suos respiciunt et in tua misericordia confidere necdum satis sciunt, et sic sæpe indiscrete sæviunt in semet ipsis.

Sæpe immiscet [143<sup>v</sup>:] se in hæc amor proprius, qui coram te irreprehensibilis esse vellet. Cognitione tui igitur et sui uti est te et se semper simul respicere, ut se homo semper reprehendat sperans in te et suas miserias ita respiciat, ut simul et tuam bonitatem videat, sed nec misericordias tuas nec hanc tuam bonitatem ita intueatur, ut tuæ justitiæ, suorum delictorum, infirmitatis et fragilitatis denique suæ obliviscatur. Tunc enim gemet de suis operibus et delectabitur in tuis misericordiis. Sic spei et confidentiæ in te firmitas, diffidentiæ in viribus suis humilitas erit bilanx conservatrix tranquillitatis suæ, quam dat tua dilectio. Hæc sola novit conciliare gemitum cum gaudio, tristitiam cum lætitia, novum hominem cum veteri homine.

Ecce, Domine, dignatus es elevare mentem meam, ut in his meditationibus meis de veteri homine viderem me et respicerem te. Fac, o Domine, per infinitam misericordiam tuam, ut hæc cognitio mei et tui nutriat in me dilectionem tuam, qui solus dignus es, ut propter te odio habeam me, ut in æternum possideam te! [144<sup>r</sup>:]

<sup>1</sup> Cf. Apoc. 3,16.

MEDITATIO 13<sup>a</sup>.  
DE ABUSU AMORIS

Quid possum scribere, Domine, de amoris abusu, quod mihi deflendum et odio habendum non est? Quodsi enim inquiero, quid sit amor, amorem a cupiditate distinctum esse non reperiam, hunc autem motum voluntati animæ a te, Domine, impressum esse jam rettuli, ut per jam suaviter trahentem, jam voluptuose impellentem motum tenderet imago ad prototypum suum. Hinc omne simile fertur ad sibi simile, et ex hac ipsa ratione in creatura spirituali et corporea et spiritus et corpus modo unicuique convenienti hunc motum impressum habuit, ita ut spiritus ferretur ad spiritum, caro ad carnem, sed ex instituto Creatoris spiritus nobilior creatura regere debuisse corpus tamquam creaturam inferiorem et motum ejus ita refrenare, ut hujus amor et cupiditas semper conformis fuisset amori et cupiditati spiritus.

Sæpe jam consideravi, quomodo turbaverit hunc ordinem primi hominis prævaricatio, et hujus turbationis [144<sup>v</sup>:] effectus sunt abusus amoris seu motus homini impressi. Hic abusus autem in pœnam peccati taliter conversus est in proprietatem naturæ veteris hominis, ut motu amoris sui semper abutatur nec viribus suis uti possit illo pro vero bono suo. Quodsi considero hujus motus a te, Creatore inditi naturam, nihil simplicius reperiam; a te enim datus est, qui summa simplicitas es, et ideo corruptus est, quia a simplicitate deviavit. Repeto, Domine, ruminans, quod natura amoris sit simplicitas, quia vis amoris in eo consistit, ut amans et amatum, quæ duo sunt, fiant unum, id est, uniantur in fruitione, et hic fuit verus finis creationis,<sup>a</sup> ut Creator et creatura manerent in unione æterna fruitionis mutuæ.

Sed quid dico, Domine? Nonne mihi met ipsi contrarius sum, siquidem in præcedentibus distinxí amorem animæ spiritualem ab amore animali? Numquid hi motus duo sunt, et simplicitatem, quam naturæ amoris attribuo, turbant? Examino me coram te, Deus, et ecce, gratia tua manifestat mihi, quod hi duo motus non fuissent contrarii simplicitati amoris, quia idem objectum, eundem finem habuissent; amor enim [145<sup>r</sup>:]<sup>b</sup> animalis debuissest amare creaturas ex<sup>c</sup> voluntate animæ, sicut anima debuissest te amare, quia fuisti prototypon ejus, et vice versa, ex hac ratione omnes creature amassent hominem ex natura sua. Hunc instinctum dederat illis propria natura, non intellectualis cognitio, cuius ceteræ creaturæ capaces non fuerant. Hinc in statu innocentiae omnia animalia amabant hominem, sed post amissam innocentiam terror hominis mansit in animalibus.

Jam itaque appetet ex his, quod primus homo ex complacentia mulieris agens corruperit<sup>d</sup> simplicitatem amoris innocentis, quia ex hac complacentia talem actum patravit, qui ad Creatorem, prototypum suum non tantum referri non potuit (quia aliud objectum habuit), sed voluntati Creatoris penitus contrarius fuit, et sic motus amoris Adam ad aliud objectum tendens simplicitatem amisit et corruptus est. Possem hujus assertionis comprobationem ex ipsa renovatione et reparacione naturæ, ex ipsis præceptis amoris Dei, amoris proximi, amoris proprii nobis debiti et amoris

<sup>a</sup> Post *creationis* vox erasa (*tuae?*)

<sup>b</sup> Supra, in margine sinistro: XIII

<sup>c</sup> Correxit *e*- ex *d*-

<sup>d</sup> Correxit *e* ex ?

creaturarum liciti deducere; oportet enim, ut omnes hi specie differentes amores uniantur in te, Deus, [145<sup>v</sup>:] tamquam objecto ex fine, in quo et propter quem hæc omnia amanda sunt, ut sic reducantur per tuam gratiam ad illam simplicitatem amoris, quam amiserat homo per prævaricationem propter motus amoris sui duplicitatem, sed vel mediocris reflexio potest hanc veritatem comprobare. Ex qua evidenter appetet omnem amoris motum, qui simpliciter ad te non tendit, esse abusivum et per consequens vel criminosum vel peccaminosum vel defectuosum.

Memini, Domine, me rettulisse in quibusdam meditationibus meis amorem tuum ex totis viribus, ex toto corde et ex tota anima<sup>1</sup> fuisse amorem legalem, compatibilem cum amore bonorum terrestrium, ad quæ extendebar legalis promissio, sed hic ipse amor ad majorem puritatem et simplicitatem proiectus est per charitatem diffusam in corde<sup>2</sup> novæ creaturæ, per quam homo illam simplicitatem seu castitatem amoris acquirere potest, ut omnia amet in te, Deo propter te et tecum conjunctive, nihil amet autem tecum disjunctive, id est, amore inter te et creaturam repartito, et hic est status [146<sup>r</sup>:] perfectionis hominis Christiani. Hic amor perfectus, simplex et castus, qui charitas dicitur, unit voluntatem creaturæ cum Creatore, ita ut voluntas tua, Domine, fiat, sicut in cælo, ita et in terra;<sup>3</sup> unit enim hominem tecum in omni unione, in corpore mortali possibili.

Sed o Domine, dum amorem tuum super omnia in hac simplicitate considero, non intelligo,<sup>4</sup> fateor, in quo sensu possit dici, quod te sufficiat amare super omnia appretiative, quia hic ipse terminus<sup>a</sup> appretiationis dat mihi ideam divisi amoris inter te et inter creaturam, qui a simplicitate, de qua<sup>b</sup> hactenus disserui, videtur deviare et esse ejusdem naturæ cum amore legali populi carnalis. Jam autem utrum talis amor sufficiat discipulo Christi, nescio, quia hic divinus amoris restaurator et restitutor dicit: Nisi quis reliquerit patrem, matrem, sorores, uxorem et omnia, quæ possidet, adhuc autem et abnegaverit semet ipsum et sequatur me, non potest meus esse discipulus.<sup>4</sup>

Quilibet scit, quod hæc præcipue et essentialiter ad dispositionem spiritualem et internam restringantur. [146<sup>v</sup>:] Et hæc est præcise dispositio, quæ ad simplicitatem amoris requiritur, ut homo hæc amet, donec propter te, Deum amare potest, id est, te, Deum amet in illis; sed quam primum hæc quoquomodo a te, Domine, abstraherent (quia a te, Deo separarentur) homo illa non tantum appretiative, sed omnimode abnegare debet taliter, ut etiam odio habeat illa tamquam a te, Deo seducentia, nam sic eris tu, Deus, solus objectum amoris hominis, absque omni divisione amoris inter te et creaturam. De re loquor, Domine, homini impossibili, sed te adjuvante facili, non salvas enim nos ex operibus, quæ sine tuo auxilio facimus, sed ex illis, quæ tua virtute adjuvante præstamus tibi, nec agitur proinde, ut sensualis amoris nostri motibus assentire et illis complacere quæramus, sed ut omnia, quæ facere jubes, præstare posse a te petamus et tibi attribuamus.

<sup>a</sup> Correxit -u- ex

<sup>b</sup> Correxit q- ex h- (?)

<sup>1</sup> Cf. Luc. 10.27.

<sup>2</sup> Cf. Rom. 5.5.

<sup>3</sup> Cf. Matth. 6.10.

<sup>4</sup> Cf. Matth. 16.24 et Luc. 14.26.

Dum hæc taliter considero, profecto tamquam humanam doctrinam respicio illam, quæ in amando te quoquomodo dicit: Sufficit. Comparo sententiam doctoris docentis: Omnes divitias, thesauros, possessiones, honores, dignitates deinde omnes creaturas [147<sup>r</sup>:] potes amare, dummodo Deum his magis ames, cum Apostoli doctrina, ut hoc mundo utamur tamquam non utentes et omnia possideamus tamquam non possidentes,<sup>1</sup> et præcedens doctrina appetet humano spiritui suavior, postrema durior. Illam statim intelligit homo, hanc multis modis explicare studet. Unde facile colligo, quod primam doctrinam sanius sit ad mentem Apostoli trahere,<sup>a</sup> quam dictum Apostoli secundum sensum præcedentis doctrinæ explicare. Dicam proinde, Domine, quod primus et maximus abusus amoris sit dicere: Sufficit. Dum enim motum imprimis animæ, ut feratur ad te et in æternum uniat tibi anima, quæ hoc amoris motu unice in hoc finem non utitur, abutitur, illa autem non utitur, quæ diceret: Sufficit, et per consequens abuteretur. Sed nec credo, quod in hoc sensu doceatur præallata propositio, ut quis sibi in amore tuo, Deus, limites imponeret, sed ut sensus legis explicaretur in generali propositione; sic solent enim quæstiones fieri et solvi in scholis scientiæ intellectus humani scire cupientis,<sup>b</sup> sed has solutiones fors nec ipsi doctores [147<sup>v</sup>:] suadent, ut quis sibi applicet in schola cordis.

Verum, si has decisiones considero sciendi gratia tantummodo doceri non te, Domine, non legem tuam, sed humani spiritus sciendi cupiditatem crederem esse objectum talis scientiæ, et hinc sit, quod tot ac tanta contestationes excitentur ex similibus propositionibus, quæ legem tuam non practice, sed speculative explicitant. Hinc sit, inquam, quod speculationes praxim corrumpant, quamvis quilibet scire deberet, quod non de scientia, sed de operibus sit nobis reddenda ratio coram tribunali venturi Judicis.

Ad te redeo itaque, Deus cordis mei, petens, ut tu doceas me simplicitatem actus amoris, quo vis<sup>c</sup>, ut cor meum feratur ad te, et profecto dum hanc simplicitatem te adjuvante ex supra relato ordine creationis meditor, infinitos reperio abusus, qui hanc simplicitatem motus amoris corrumpunt, et horum abusuum cognitio statim manifestat mihi, quod omnis motus amoris animalis seu carnalis fit vel criminosis vel peccaminosus, semper autem impurus et defectuosus. Motum dico amoris animalis, quia jam supra dixi hunc hominem communem habere cum animalibus, quia omne simile fertur ad sibi simile et sic caro [148<sup>r</sup>:] semper ad carnem, sensus semper feruntur ad sensualia, et dum hanc veritatem taliter respicio, disparent mihi omnia illa objecta amoris, quæ innocenter amare, desiderare et illis frui posse imaginabor. Sæpe enim magna contemnit homo, qui parvis adhærens ex parvis magna facit, dum illa multum amat. Nullum igitur objectum amoris parvum est respectu amantis, nullum tam exiguum, quod simplicitatem amoris, quo ad te, Domine, ferri debet, homo non corrumpat. Tu es centrum nostrum, hinc omnis motus, qui ad te directe non tendit, obliquus et ideo vitiosus est.

Sed o Domine, numquid ideo produxisti creature, ut homo utatur illis? Numquid ideo fecisti hominem corporeum, ut feratur ad illas? Quomodo posset itaque vitiosus

<sup>a</sup> Correxit -h- ex -b- (?)

<sup>b</sup> Correxi c- ex s-

<sup>c</sup> Scriptum quovis, in rasura (?)

<sup>1</sup> Cf. 1 Cor. 7,31.

dici motus amoris, quem dedisti homini, ut ferretur ad creaturas? Jam explicasti mihi hanc veritatem, Deus, sed numquam possum satis meditari, ut illam mihi reddam intelligibilem, quia hanc ipsam veritatem densissimis nebulis offuscat humanus spiritus, et propterea adhuc facilius est speculative scire, quam illam practice sequi. Scimus itaque, quod omnia, quæ [148<sup>v</sup>:] creasti, bona sunt.<sup>1</sup> Scimus nos omnia illa debere amare in te, propter te et tecum. Sed nescimus discernere, quænam amemus hoc modo, quæ sunt, quæ amemus propter nos. Quis contrarietur Apostolo dicenti, quod diligentibus Deum omnia cooperentur in bonum?<sup>2</sup> Et quis esset tam insipiens, qui usum creaturarum condemnare vellet?

Non non, Domine, absit a mente mea hæc cogitatio, sed non desit, quæso, discrecio, ut discernere possim, quænam amem in te, tecum et propter te, quæ autem amem propter me, in præcedentibus enim non deviat motus amoris a simplicitate, sed in his, quæ amo propter me. Hinc fit, o Domine, quod illa, quæ simpliciter amo propter te, desidero sine turbatione et possideo tamquam non possidens, sed dum aliquid desidero propter me, turbor et inquietor, et dum amitto, quod amans amore proprio posse di, doleo et contristor.

Sed si hæc taliter considero, quid dicam de zelo illorum, quæ tua sunt, Domine? Numquid condemnabo desiderium possidendi multa pro gloria tua? Numquid non<sup>a</sup> dolebo de ammissione illorum, per quæ proximo et in proximo tibi prodesse potui? Condemnabone hos motus desiderii et doloris? Non, Domine, [149<sup>r</sup>:] dispellit a mente mea has cogitationes gratia tua; tu enim instruis me, quæ sit differentia inter motum zeli tui, quod est indicium fervoris amoris tui, et differentia inter motum zeli illusorii, cuius principium est amor proprius. Fervens motus amoris tui, qui zelus dicitur, est spiritualis et absque turbatione et impatientia continet se in corde et desiderat violenter, gemit interne, nec dat signum doloris et desiderii, nisi coram te, sed motus amoris propriae, qui pariter zelus dicitur, nequit se continere in homine, sed inquietudinem, dolorem et fervorem producit in actionibus, verbis et in ipso vultu hominis, quia in his tangitur humanus spiritus, animalitate mota in illis tangitur anima te et<sup>b</sup> quæ tua sunt, exclusa sensualitate amans.

Sic potest homo te illuminante hæc discernere in se, sed caveat semper, ne ex similibus indicis judicium ferat de aliis, quia ipse Filius tuus zelo domus tuae<sup>3</sup> incitatus flagellum fecit<sup>4</sup> et zelum suum etiam in motu externo producit. Phariseos increpavit, sed interne, procul dubio in ipso motu externo [149<sup>v</sup>:] tranquillus fuit, et hoc est irasci et non peccare.<sup>5</sup> Tu, Domine, solus potes noscere et videre interiora hominis. Das potentibus gratiam noscendi se, et hinc meditor, ut noscam me. Non scribo regulas ad ferendum judicium de aliis, et sic tua bonitas præservat me, ne scandaliser in illis, quæ alii faciunt, dicunt et docent. Signa externa zeli possunt dare occasionem directoribus, ut probent spiritus, examinent et moneant alios, sed non nisi per revelationem tuam, Deus, possunt adhærere judicio, quod ex signis externis

<sup>a</sup> Supplevit *non* supra lineam

<sup>b</sup> Supplevit *te et in margine*

<sup>1</sup> Cf. Gen. 1,31.

<sup>2</sup> Cf. Rom. 8,28.

<sup>3</sup> Cf. Ps. 68,10.

<sup>4</sup> Cf. Ioan. 2,17.

<sup>5</sup> Cf. Ps. 4,5 et Eph. 4,26.

plerumque æquivocis formare possent. Inutile fuisset hanc digressionem facere coram te, Domine, qui sensus meos vides et noscis, sed quia tibi in scriptis meis coram hominibus confiteor, vellem me intelligibilem reddere, ne scandalizentur in propositionibus et regulis, secundum quas me vellem examinare, non autem de aliis judicare.

Verbis explicare nequeo, quid sit desiderare et dolere interne absque turbatione tranquillitatis externæ, quia hi motus sunt abstracti a sensualitate et gratia tua producit illos in facultatibus animæ non miraculose, sed secundum ordinem naturæ, quia hi motus sunt naturales [150<sup>r</sup>:] respectu animæ, sed sunt supernaturales respectu principii et finis. Pro facilitiori captu horum adducerem pro exemplo homines moraliter virtuosos, qui passionibus suis subjugatis vanam gloriam quærunt a testimonio propriæ conscientiæ suæ. Habent hi desiderium, ut omnis homo probitatem et honestatem illorum agnoscat et persuasus sit illos esse probos et honestos viros, nihilominus in omnibus, quæ agunt, ordinem et mensuram rectæ rationis observant, quod est proprie agere in tranquillitate interna. Explico obscurum per obscurum hominibus passionibus animalibus subjectis, sed claram ideam do illis, quos mundus a probitate et honestate laudat, qui sancti essent, si motum, quo feruntur, ad probitatem et ad honestatem propter se converterent ad te, Deus.

Non loquor hic de illis, qui mundani hypocritae sunt, quorum internæ dispositio-nes contrariae sunt externis, in arte dissimulationis exercentes semet ipsos. Hi enim agent in apparenti tranquillitate externa, sed [150<sup>v</sup>:] tranquillitas interna procul est ab ipsis, quia pathemata animi, quæ ne externe appareant, supprimunt, rodunt medullam ossium ipsorum. Hi tam differentes motus veterum hominum et mundi mancipiorum quoque demonstrant mihi perfectionem amoris consistere in simplicitate.

Pro dilucidatione hujus propositionis proinde repetam, quæ breviter rettuli. Diversi sunt characteres veteris hominis, qui in vetustate vitæ ambulat, et hos ego filios mundi appellabo. Alii sunt, qui passionibus carnis seu sensualitatis dediti jam a me sæpe animales appellati sunt. Hos motus amoris quia ad tot diversa objecta sensuum impellit, externe et interne turbantur, quia de sensualitate ad sensualitatem feruntur, et hæ sensualitates producunt in anima diversa pathemata, in corpus autem morbos. Unde ignorant omnem tranquillitatem, et horum mores vitam ipsum vulg[u]us<sup>a</sup> reprobant.

Alius character filiorum mundi est a carnalitate et a sensualitatibus abstractus, ita ut nec gulosi nec [151<sup>r</sup>:] luxuriosi sint, sed sunt ambitiosi, iracundi, invidi, quos motus amoris impellit ad dignitates, honores, divitias et ad sectandam captandamque gloriam ex laude populari. In hoc spiritu quærunt illi præcedentia, ut aestimentur, honorentur et laudentur ab hominibus. Hic character magis est spiritualis, quam præcedens, in quantum procedit ab operatione animæ a superbia vitæ motæ, et in istis motus amoris pariter divisus est ad tam differentia objecta (quæ jam rettuli) tendens. Unde semper interne inquieti sunt, sed sicut dixi, motum passionum iræ, invidiæ et impatientiæ supprimunt, ut placeant hominibus et per hunc modum agendi assequantur, quod ambiunt. Hos cruciat suppressa ira et invidia incarceratique (ut ita dicam) vehementiores motus, hæ autem violentationes pariter etiam in corpore multos morbos causant et hujus characteris homines tranquillitatem ignorant, quia

<sup>a</sup> Correxii *vulgus* ex *vulguis*

motus amoris per diversa media tendens dividitur. Hinc infinitæ cogitationes, quæ secundum mutabilitatem objectorum [151<sup>v</sup>:] mutantur; quamvis autem hujus characteris homines aliis placere vellent, omnibus displicant, qui ad idem objectum tendunt; unde oriuntur millenæ fallendi artes et mundanorum politicorum technæ,<sup>a</sup> quæ passiones mutuo irritant et per consequens inquietudines augent.

Tertius tandem character filiorum mundi est, in quibus motus amoris ad majorem simplicitatem reducitur, et ideo moraliter felices sunt. Hi sunt semet ipsis contenti, nec aliud quærunt, nisi aliis benefacere, neminem offendere. In his anima domatis sensualitatibus agit per puriores actus rationis, et ideo omnia in ordine et mensura agunt sorte sua contenti. Hi amicos habent plurimos, qui autem a propria malitia excitati inimici aut invidi illorum sunt, coguntur aestimare illos. Raræ sunt hæ aves in terris et Phœnicis loco habendæ. Prout enim de hujus existentia dubitatur, ita ignoratur, num natura hominis ad hunc gradum tranquillitatis et, ut ita dicam, impassibilitatis possit evehere hominem. Illi tamen, qui huic characteri [152<sup>r</sup>:] vel maxime approximant, nascuntur, et audacter dico, quod sine naturali dispositione (exculsa gratia supernaturali, quæ hominem renovat) non fiant. Non ignoro illa, quæ antiquitas de suis philosophis refert, sed quia quilibet historicorum suum habet heroem, ipsa contrarietas authorum demonstrat illorum quemque et laudabilem et reprehensibilem fuisse, moralem philosophiam multos correxisse, sed non omnia naturalia via ita extinxisse, ut in apricum non prodierint.

Sufficiunt hæc, quæ refero, ad demonstrandum, quod quidquid in his natura humana potest, tunc facit, dum amoris motus ad simplicitatem reducitur, quod fit, dum homo pro sua propria complacentia agit, quæ moraliter bona sunt et testimonio propriæ conscientiæ contentatur. Hæc est simplicitas motus amoris naturalis, quæ realis beatitudo et vera simplicitas esset, si homo sui principium et finis esset; sed quia creatura est, ideo principium et finis ejus Creator est, et donec [152<sup>r</sup>:] ad illum non tendit motus amoris, simplex esse non potest, quia alium finem habet, extra quem tranquillitate et beatitudine frui non potest.

Ex his, Domine, denuo ducor ad agnoscendam veritatem, quomodo sensuum mortificatio, passionum refrenatio et a creaturis separatio necessaria sint ad reducendum motum amoris ad veram simplicitatem, quæ nullam appretiationem patitur, nam quidquid appretiative amat, quia simpliciter non amat, nec tam intense amat, prout præceptum jubet, ut te, Deus, homo amet ex toto corde, ex tota anima et ex totis viribus suis.<sup>1</sup> Homo ergo, qui in motu naturali amoris sui modo supradicto quiescit, tranquillus est, et hæc est felicitas sapientum mundi. Tunc anima in tenebris ignorantiae suæ absque lumine supernaturali existens vel lumine fidei (si illud receperit) non utens quiescit in se, et nisi novo motu supernaturali trahatur, non fertur ad verum finem suum, quia illusa anima credit se esse in fine suo. Sed dum tenebras ejus dispellit [153<sup>r</sup>:] lumen fidei nova gratia illuminata<sup>b</sup> trahitur, et dum adjuta recedit ab amore suo, quo plus recedit, eo simplicior fit motus amoris et propius accedit ad te, qui summa simplicitas es, et sic tecum unita tecum amat omnia propter te seu, ut adæquatius loquar, te amat, Deus, in omnibus, quia te respicit in omnibus. Et hæc est charitæ animam animans, quæ tumet ipse es, Deus.

<sup>a</sup> Ms. *theecne*

<sup>b</sup> Corrixi illuminata ex illuminate

<sup>1</sup> Cf. Luc. 10,27.

Quis est, qui taliter considerato motu amoris naturalis, quem homini impresseras in creatione, ut ferretur ad te, enumerare poterit abusus amoris etiam in illo beato statu, in quo hic motus naturalis voluptuose tractus per gratiam movetur ad amandum te. Jam enim dixi, quod simile feratur ad simile; unde fit, quod caro terrena feratur ad terrena. Omnia, quæ hactenus meditatus sum de veteri homine, demonstrarunt mihi infirmitates ejus; unde exclamarem cum apostolis dicens: Domine, quis poterit salvus esse,<sup>1</sup> si non docuisset me Filius tuus, quod omina, quæ impossibilia sunt apud homines, possibilia sint [153v:]<sup>2</sup> apud Deum,<sup>2</sup> si denique ipse Salvator meus non docuisset Paulum, quod sufficiat nobis gratia ejus, cuius virtus in infirmitate nostra appetet.<sup>3</sup> In te confidam itaque, Domine, et non timebo mala,<sup>4</sup> quæ undique circumdant me, sed nec umquam mensurabo, quantum amem et quantum sufficiat amare te, gemam autem semper de eo, in quantum necdum amo te, nec petere cessabo, ut plus possim amare te, cum per cognitionem tantorum mirabilium tuorum et tantarum misericordiarum mearum trahere me, ut recurram ad te.

Adjuva itaque, Domine, omnem motum amoris mei, ut sit simplicior! Retrahe me a memet ipso, ut amor meus sit purior! Crea in me cor mundum,<sup>5</sup> ut sit te dignior! Quousque enim homo vetus vivet in me, cor meum carneum semper abutetur et tempore et gratiis et sensibus et motu amoris sui. Recordare,<sup>b</sup> Domine, et respice imaginem tuam in me, et fac illam conformem imagini Filii tui, qui dignior imago tua est, ut illi sim conformis in voluntate, cum conformis esse nequeam in puritate, et sic per ipsum unitus tecum in hac mortali vita uniar cum ipso tecum in æterna gloria! Amen.

<sup>a</sup> Supra, in margine sinistro: 309 pages

<sup>b</sup> Recordare sc. mei

<sup>1</sup> Cf. Matth. 19,25.

<sup>2</sup> Cf. Matth. 19,26.

<sup>3</sup> Cf. 2 Cor. 12,9.

<sup>4</sup> Cf. Ps. 22,4.

<sup>5</sup> Cf. Ps. 50,12.



# [1<sup>r</sup> :] MEDITATIONS EN FORME DE SOLILOQUES SUR L'ECRITURE SAINTE.<sup>1</sup>

## PREAMBULE DE L'OUVRAGE

O Dieu d'une misericorde infinie, qui daignez<sup>2</sup> me conserver, me proteger, et me nourrir par un effet singulier et continual de cette même misericorde dans mes differents pelerinages, et vicissitudes de mon état, au milieu de tant de si grandes persecutions spirituelles, et temporelles, mon ame vous demande la nourriture car ce n'est que de vous qu'elle peut recevoir le pain savoureux, et rassasiant, tandis que mon corps par une disposition toujours adorable de vôtre providence reçoit son pain quotidien de la main, et des bienfaits des infideles. Voilà, Seigneur, que je commence <la><sup>3</sup> seconde année depuis qu'ayant cessé d'ecrire, je ne me suis attaché dans mes meditations à aucune matiere fixe,<sup>4</sup> hors celles que j'ai marqué dans mes Confessions selon les circonstances des sujets. Quelques censeurs<sup>5</sup> de mes Soliloques pour tous les jours de l'avent ecrits il y a plus de deux ans me reprenoient de ce que je m'elevois au dessus de ma portée, ce qui fut cause qu'ayantachevé mes Meditations pour le Careme que j'ecrivois pendant le tems de<sup>6</sup> la critique, je quittai la plume me bornant a ne chercher que dans la lecture des livres spirituels la nourriture spirituelle. Mais o mon Dieu, je ressens bien que mon ame en est entretenue, mais à peine m'apercois-je qu'elle en soit solidement nourrie et engrassee car ou je m'ennuie dans ce que je say deja, ou [1<sup>v</sup> :] le someil vient a me surprendre au milieu de ma lecture. Mon ame a donc faim et comme ces jours passés elle se sentit interieurement invitée à une viande qui lui est tres convenable, c'est à dire à vôtre parole, Seigneur, comme je le remarque dans mes Confessions, me voicy, parlez à

<sup>1</sup> Le titre français complet figure sur la page de titre du cahier : *Méditations en forme de soliloques sur l'Ecriture Sainte*

<sup>2</sup> *M. Commencé a Rodosto avec la grace de Dieu le 14 mars 1721.* La date marginale portant la date du commencement de la rédaction, ainsi qu'une autre, à la fin du deuxième chapitre, provient sûrement de la main de Rákóczi lui-même. Vu le nombre très restreint des autographes de Rákóczi, ces notes paraissent extrêmement précieuses et elles permettent de se faire une idée sur le rythme et la méthode de travail du prince, puisque ces deux dates-limites (le 14 mars 1721 et le 17 novembre 1721) prouvent que le texte des deux premiers chapitres a été élaboré en l'espace de neuf mois.

Une autre remarque manuscrite se lit en haut de cette première page, mais celle-ci provient probablement du copiste de l'ouvrage, car l'écriture ressemble à celle de tout le manuscrit. C'est donc le copiste qui a marqué au coin gauche de la page 1 « *ler cayé* » (sic !) On trouve enfin en bas de la même page un paraphe, des initiales inconnues (ASA ?), posées au coin gauche de la marge.

<sup>3</sup> Une tache d'encre a rendu illisibles l'article et la première lettre du mot suivant (*seconde*), il est pourtant facile de rétablir les parties noires.

<sup>4</sup> Le manuscrit porte les traces d'une tentative de correction une main a ajouté le -s du pluriel à ces trois mots consécutifs, puis rayé sa propre modification.

<sup>5</sup> La première lettre du mot *censeur* a été corrigée par une deuxième main en majuscule. Nous n'avons pas gardé cette correction anodine.

<sup>6</sup> *Le tems de* inséré dans l'interligne par le copiste (l'écriture est identique).

vôtre serviteur, donnez la nourriture à vôtre pauvre, fortifiés vôtre enfant qui defaillit par la faim, car vous ne donnerez pas un scorpion à celuy qui vous demande du pain, et vous ne fermerez pas la porte a celuy qui frape.

Entrez, Seigneur, dans les replis de mon cœur, et voyez que ce n'est qu'à vous seul que je veux parler et non aux hommes, et que je ne suis pas porté à ecrire ces pensées par l'envie de savoir, curiosité, vanité ou desir de m'eriger en maître des autres, mais afīn qu'en ecrivant je vous parle avec plus d'attention, et que mon discours soit tissū<sup>1</sup> de pensées arrangées et non confuses car quand même je serois doué de toutes les sciences humaines, et que j'aurois une grande abondance de livres, je ne laisserois pas que d'implorer vôtre secours d'autant plus dois-je donc vous le demander, lorsque je reconnois, et je confesse que je manque des uns et des autres : tout le plan donc et le tissu de cet ouvrage sera bon et conforme à la Sainte Doctrine de l'Eglise, s'il est composé de vos paroles. Mais qui suis-je, Seigneur, pour presumer de vôtre bonté, et pour croire par une audace temeraire que l'esprit humain est tellement mort en moy qu'il ne puisse pas mêler à ce qui vient de vous ses propres pensées qui n'étant que des avortons de mon esprit pourront être contraires à la Sainte doctrine ? C'est dans cette crainte que je fais devant vous, mon Dieu un en trois<sup>2</sup> [2<sup>r</sup> :] personnes, cette protestation solemnelle et en face de toute votre Eglise militante et triomphante à laquelle je desire être uni et je reconnois que je suis soumis ; que par tout ce que j'ay jamais écrit, ou pourrois ecrire à l'avenir ; je n'ay jamais pretendu ni ne pretents nullement m'eloigner de la doctrine déjà receue ou qui pourroit l'être à l'avenir ni des écrits des saint Peres, ou des decisions des conseils receus ; que par avance je retracte et revoque, et que j'aneantis comme s'il n'avoit jamais été dit tout ce qui pourroit s'y trouver contraire, en conciliant mon sens, par ce qui precede et ce qui suit ; et apres cette protestation sincere, voila, o Dieu mon createur que je presente mes tenebres devant vôtre lumiere ; j'apporte mon ignorance devant vôtre sagesse ; je vous montre la froideur de mon cœur pour recevoir la divine ardeur de vôtre Charité, et je presente à vôtre esprit lumineux mon esprit envelopé par lui même de si epaisses tenebres, et sujet à tant d'erreurs. Enfin je presente l'ouvrage<sup>3</sup> devant son Createur. Soyez eternellement beni, loué, et exalté ô mon Dieu par tous vos saints et toutes vos creatures pour toutes les graces dont vous m'avez comblé ; mais particulierement de celle que vous m'avez faite de m'avoir donné la volonté de vous aimer, et de chercher la lumiere dans votre lumiere même ; je ressens veritablement que rien au monde ne me donne un rassasiment plus entier ni une plus douce satisfaction que vôtre divine parole. C'est pourquoi desormais vos saintes Ecritures seront l'objet de mes meditations. Faites donc, Seigneur [2<sup>v</sup> :] que je ne me laisse pas surprendre par l'esprit d'erreur et de mensonge ; que je ne sois pas enflé par l'esprit de vanité et de vaine gloire ; que je ne succombe pas dans les avidités spirituelles que vous pourrez m'envoyer, mon Dieu, ou dont par vôtre permission le tentateur pourra

<sup>1</sup> Le *t*- initial de *tissū* a été réécrit.

<sup>2</sup> *en trois* : les dernières lettres en bas de page sont difficiles à déchiffrer (émiettement du papier ?). Le latin confirme notre lecture.

<sup>3</sup> *L'ouvrage* : la variante définitive résulte d'une correction : dans un premier temps, le texte devait porter *votre ouvrage* que le copiste, dans un deuxième temps, avait commencé à corriger dans l'interligne en *L'o*, puis l'a rayé pour réécrire dans la ligne même la dernière lettre du mot hachuré en *L'o*.

m'affliger,<sup>1</sup> et qu'enfin jamais dans aucun tems de ma vie les dissipations de mon état ne m'éloignent de cet ouvrage. Vous savez, Seigneur, que je ne pretends nullement contredire l'opinion de personne par tout ce que j'avanceray dans mes ecrits, et que je n'ay point dessein de donner mes pensées et mes maximes pour meilleures que celles qui ont déjà été érites. Je manque de livres suffisants, de conseillers, de personnes que je <ne><sup>2</sup> puisse consulter et de directeurs. Que votre bonté donc, o mon Dieu, je vous en prie très humblement, supplée par son heureuse fécondité à tout ce qui me manque, puisque personne ne <puisse> peut<sup>3</sup> être un meilleur interprète de vos paroles que cette sagesse même qui les a dictées aux hommes. Vous avez laissé<s><sup>4</sup> à votre Eglise ce trésor immense, et c'est là où quiconque veut et demande peut avec votre secours trouver ce qui lui est convenable. Votre sainte parole est en même temps le lait des enfans et une viande et nourriture solide pour les forts. Donnez moy, Seigneur, je vous prie, ce qui me convient et autant qu'il me convient selon la mesure des grâces que votre Miséricorde m'a destinées quoique je ne sois qu'une vile poussière de la terre indigne de recevoir cette céleste influence. Après ces humbles demandes que je ne saurois assez répéter, plein de hardiesse<sup>5</sup> et de confiance je me prépare [3r :] à l'ouvrage qu'il me semble et que je ressens avoir conçu par<sup>6</sup> votre sainte inspiration et sous vos divins auspices. Gouvernez<sup>7</sup> mon esprit,<sup>8</sup> reprimez mon entendement, aidez et bornez ma mémoire, enflammez ma volonté, guidez vous-même ma plume selon votre très sainte volonté. Que<sup>9</sup> la gloire vous soit rendue, o mon Dieu, de tout ce qu'il pourra se trouver de bon dans cet ouvrage, et qu'il ne me revienne que la confusion de ce qui s'y sera glissé de mon propre fond, quoique malgré moi, et quoiqu'il ne fût que la production défectueuse de mon ignorance, que ce soient<sup>10</sup> cependant, Seigneur, des témoignages de ma bonne volonté envers vous, et de la droiture de mes intentions. Je désire nourrir mon âme et employer le temps à votre gloire, car la fin d'édifier ou d'instruire n'est ici qu'indirecte, puisque ce dernier devoir n'est pas de ma vocation. Pendant que je me livre donc entièrement à vous, o mon bien supérieur, ce n'est qu'à vous seul que je

<sup>1</sup> *m'affliger* : la première variante portait : *le tentateur m'affligera* dont la dernière lettre a été rayée, *me* esquisé dans l'interligne, puis rayé à son tour. Finalement, *pourra ma* complété dans l'interligne a abouti à la variante définitive. Toutes les corrections doivent provenir de la deuxième main.

<sup>2</sup> Rayé ultérieurement. J'ai supprimé la négation partiellement rayée, car elle est superflue du point de vue de la logique.

<sup>3</sup> Peut figure dans l'interligne, au-dessus de <puisse> rayé par le copiste en cours de copie.

<sup>4</sup> La dernière lettre (le signe du pluriel) a été rayée ultérieurement.

<sup>5</sup> La première lettre de *hardiesse* est la réécriture d'un état antérieur qui devait être *l'hardiesse* (?). car en dessous du *h*- un *I*- reste lisible et l'apostrophe reste toujours là.

